


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

87/+

2 pieces in 1 vol.

3/6

A 657542

J. 5. 12



W. H. Thompson.

[redacted]

880.9
K23

HISTORIA CRITICA
TRAGICORUM
GRAECORUM.

SCRIPSIT

WILHELMUS CAROLUS KAYSER
WESTFALUS.

Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coëgerunt. Scitum est enim, caussam conferre in tempus, cum afferre plura, si cupias, non queas.
Cic. de Orat. III, 61.

GOTTINGAE
SUMPTIBUS LIBRARIAE DIETERICHIANAE.
MDCCCXLV.

Kress
Blackwell
3-16-76
12923

PRAEFATIO.

Quadriennium prope est, cum Illustrissima Regia Societas Scientiarum Gottingensis homines, qui de literis bene mereri vellent, cum alias quaestiones instituere, tum de iis Graecorum tragicis accuratius disputare jussit, qui cum Aeschylo, Sophocle, Euripide una floruissent, quique post mortem eorum usque ad Alexandrum Macedonem artem graviter afflictam ac ruentem sustentavissent. Quod ego majorine cum gaudio ex Ephemm. Gotting. ann. MDCCCXXXVIII Nr. 208. p. 2066 cognoverim, an ipse tantum laborem cupidius suscipere decreverim, dubius animi sum [1]). Nam cum laudes tragoediae Graecae, quae ex

1) Ubi Odofredus Müllerus, vir immortalis, ut Ill. Societas mihi renuntiavit, quaestionem ita perscripserat: „Cum de incunabulis et primis incrementis tragoediae poëseos viri docti jam satis disputasse videantur, ad absolvendam tragoediae graecae historiam nihil magis desiderari videtur, quam eorum tragicorum, qui eodem quo Aeschylus, Sophocles et Euripides tempore in scena floruerunt, et eorum, qui insequentibus aetatibus usque ad Alexandrum Macedonem artem jam afflictam et ruentem sustentavere, perfectior notitia. Quam ob rem Societas Sc. R. Gottingensis optat, ut horum tragicorum quod fuerit poëseos genus, qui peculiaris unius cujusque χαρακτήρ, quae seculi et hominum virtutes et vitia in carminibus eorum conspicua, ex antiquitatis judiciis et tragoediarum, quas illi condiderunt, reliquiis, quantum fieri potest, demonstretur, et — quod maximi momenti esse videtur ad subtiliorem Atticae literaturae cognitionem — quam vim studia sophistica et rhetorica et alia poëseos genera, imprimis dithyrambicum, in illorum poësin exercuerint, studiose inquiratur". Is igitur desiderium hujus libri cum Meinekio Hist. Crit. Com. Graec. p. 4 et Welckero, praeceptore nobilissimo, Trag. Gr. P. III. p. 887 commune habuit.

epica ac melica poësi omnes in eam translatae sunt, admira
pridem omni ex parte studuissem cognoscere, idque, nisi m
moria poëtarum, qui eam coluerunt, redintegrata fieri non po
intellexissem, ex illo demum postulato vidi, quod ante m
tum dubitaveram, antiquos scriptores habere nonnulla ad e
quaestionem spectantia, quae in libris, qui historiam litera
Graeciae continent, silentio praetermissa, vel negligenter t
ctata, vel perperam essent composita. Quare monumenta
tustatis diligenter perscrutatus praesidia recentiorum adhib
collegi, quidquid inveneram comparavi, ut praeclaram poës
quoad ejus fieri posset, ex ingenti jactura ac diuturna oblivic
reficerem. Et opus, quod ita conscripseram, Ill. Societas n
praemio solum, sed illo quoque nobilitavit judicio, quod
Ephemm. Gotting. ann. MDCCCXLI ant. d. IV. Non. Decen
promulgatum est. Quin eadem me literis rogavit, ut libri
quam celerrime ederem.

Quod nisi feliciter mihi ac praeter spem cessisset, ha
ego nunquam edidissem. Unicuique enim, qui literis opera
navat, hanc legem religiose servandam esse existimo, ut
scriptum, quod ne ipse quidem habet perfectum, aliis, vel
omnibus numeris absolutum, commendet. Quod qui de l
quaestionibus arroganter contendere possem, quae cunctas d
ficultates mihi objecerunt, quarum singulae hominibus, ad di
putandum accedentibus, timorem facere solent? Nam cetei
quae sibi plerique ad excusationem sumunt, ut imbecillitate
juvenilis animi, angustias temporis, penuriam librorum, omi
timus. Quae cum per se sint levissima, aut saltem non gravi
tum nihil ad opprobria eorum mitiganda valent, qui nonni
perfectissimum quodque probandum esse opinati contemnun
quos neque otio nec praesidiis abundantes literariis laboribu
aliquid cognitione dignum assecutos vident. His vero remitt
mus, ut ipsi, quae deesse videantur, addant, vel perfectu
doctrinae specimen promant, quod recentiores scriptores adm
rari nunquam desinant. Sed quis angustias libri ignorat, i
quo de tanta poëtarum copia dicendum erat? Aut quis levei
in tali fontium conditione quaestionem censet, cum de sexcer
tis rebus, quas scire cupias, nihil afferant, aliaque tam brev
ter illustrent, ut tenorem rerum ne rudibus quidem lineis re
dintegrare, nec nisi conjectura quodammodo possis explicare

Quae quidem operis ratio, quo rectius cognoscatur, de fontibus ac praesidiis copiose nobis dicendum est [1].

In summis Graecorum laudibus ponitur, quod rationem literarum artiumque, quas monumentis ornarunt longe praestantissimis, tam vere tamque clare illustrarunt, ut, qui iisdem rebus student, omnes non modo opera eorum contemplari, sed praecepta quoque addiscere debeant. Quare ne quis miretur, quid sit, quod inter comoediam et tragoediam mature hoc vinculum fuerit, ut illa facete castigaret, si quid vitii alterum genus traxisset. Multa igitur in Aristophanis fabulis latent, quae nobis in usum vocanda sunt; alia alii comici habuerunt, quorum fabulae perierunt. Quod primum fontium genus agnovit Athenaeus I. p. 21: *Ἀριστοφάνης γοῦν (παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς ἡ περὶ τῶν τραγικῶν ἀπόκειται πίστις) ποιεῖ αὐτὸν Αἰσχύλον λέγοντα κ. τ. λ.* Quos autem Aristophanes perstringit, eorum duplex est genus, ut ipsa irrisionis ratio, qua eos cavillatur. Nam cum in illis, qui, aliquod nomen adepti, in populi favorem venerant, agitandis multum versetur idque vel poësin eorum, vel vitam moresque carpens, aliis, quorum ars paullo obscurior atque contemptior esset, quam quae publice reprehendi deberet, mores exprobrat, audientibus id callide relinquens, ut de fabulis judicarent, quas homunculi tales componere possent. In quo comicus sententiam Agathonis in Thesmoph. 149:

χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα,
ἃ δεῖ ποιεῖν, πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν

ipse sequitur. Quamobrem comoediae ejus vituperiis abundant, quae in Aeschylum, Sophoclem, Euripidem Agathonemque fudit. Sed nequaquam illa prorsus contemnenda sunt, quae de altero genere brevius monet. Quaecunque enim de Acestore, Dorillo, Meleto, Morycho, aliisque scripta reperimus, ab Aristophane explicata, vel ab iis fere sunt tradita, qui fabulas ejus illustrarunt. Quanquam de fide Aristophanis ambigunt, alii vel omnia eum, vel plurima ad veritatem expressisse, alii multa licentiae poësis tribuisse judicantes. Nos vero, posteaquam sin-

---

1) Quanquam deperditos fontes alii commemorarunt, ut Jonsius in Hist. Script. Ph., Fabricius, Biblioth. Gr. T. II, Meinekius l. l. p. 5 etc. Welckerus Trag. Gr. P. I. p. 93.

gula imaginis lineamenta, qua Agathonem depinxit, accuratius examinavimus, vix affirmare possumus, quam egregie audaciam poëtarum cum veritate conjunxerit. Cf. **Schlegel.** Praelect. de Re Scen. T. I. p. 203. 220. **Wissowa** De Aristophan. judicio, quod de tragicis aequalibus fecit, p. 5. **Roeder** De trium, quae Graeci coluerunt, comoediae generum ratione, p. 95. A quibus tragici saepe multumque vexati id ipsi quaerere coeperunt, quod vim naturamque suae artis maxime contineret. Velut Sophocles, cum splendore poësis omnes facile vinceret, poëtam rationi, aut observationi potius parere, quam temere naturam casumque sequi voluit. Quare is, Aeschylum reprehendens, quod regulas, in artis studio servatas, non satis explorate percepisset, Chamaeleon ap. Athen. X. p. 428 E: (*Αἰσχύλος*) *μεθύων γοῦν ἔγραφε τὰς τραγῳδίας. Διὸ καὶ Σοφοκλῆς, αὐτῷ μεμφόμενος, ἔλεγεν, ὅτι· Ὦ Αἰσχύλε, εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖς, ἀλλ' οὖν οὐκ εἰδώς γε ποιεῖς· ὡς ἱστορεῖ Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Αἰσχύλου.* Ibid. I. p. 22 A: *Μεθύων δὲ ἐποίει τὰς τραγῳδίας Αἰσχύλος, ὥς φησι Χαμαιλέων. Σοφοκλῆς γοῦν ὠνείδιζεν αὐτῷ, ὅτι, εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖ, ἀλλ' οὐκ εἰδώς γε* [1]), singularem librum de choro scripsit, ut modum, quem primus huic tragoediae parti posuerat non solum adversus superiores tragicos ac posteros Aeschyli, sed contra illos quoque defenderet, qui, Euripidem, vel Agathonem secuti, carmina chori externa magis fabularum ornamenta, quam partes necessarias facerent. Indicat Suidas s. v. *Σοφοκλῆς . . . ἔγραψεν ἐλεγειά τε καὶ παιᾶνας καὶ λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος.* Haec enim ita intelligenda et cum iis, quae Scholiasta ad Aristoph. Pac. 73 habet, quaeque ignotus Vitae Sophocl. scriptor memoriae prodit, ita conjungenda sunt, ut **Naekius** Choeril. p. 7 praecepit, et nos alio loco infra dicemus. Quo quidem quis unquam, quid esset tragoedia, rectius sensit, aut melius exprомere potuit, si modo cavit, ne sibi

1) Absurdum rejicimus commentum, quo Chamaeleon verba Sophoclis explicare conatus est. Nam is, quemadmodum nobilissimos poëtas etiamnunc per ebrietatem inflammatione animi et quodam afflatu quasi furoris concitari fingunt; sic ea, quae totum poësis studium significant, ad vinolentiam, cui poëtam fuisse deditum crederet, inepte maluit referre.

rursus objicerent, quod in Aeschylo reprehenderat, aliisque alia dedit praecepta, atque ipse secutus est? Sed haec monumenta literarum, etiamsi tota nobis relicta essent, tamen ad historiam tragicae poësis non multum lucis afferrent. Quemadmodum enim parvum poëtarum numerum attigerunt, idque non explicatis temporum ordinibus, sic multa silentio praeterirent necesse fuit, quae in tali opere debent spectari. Quanquam omnia recto judicio in iis ponderata fuisse credimus.

Sed philosophi paullo post eandem rem copiosius persecuti sunt. Nam hi, oculis a rerum natura, quam superiores indagaverant, in vitam communem, ut Cicero Quaest. Acad. I, 4; Brut. 4; de Rep. I, 10 ait, conjectis, civitates, instituta, mores artesque hominum perscrutantes, cum nihil in omnibus literis invenirent, quod vel praestantius tragoedia, vel Graecis acceptius esset, quaecunque ad eam pertinebant, undique conquirere coeperunt. Auctor hujus studii Aristoteles fuit. Haec enim opera ei adscribit Diogenes L. V, 1, 12: *Περὶ ποιητῶν α', β', γ', Νῖκαι Διονυσιακαὶ α', Περὶ τραγῳδιῶν α', Διδασκαλίαι α', Περὶ ποιητικῆς*. Jam illius quidem scripti, quod de poëtis fuit, primum librum Diogenes L. III, 32, 47: *διαλόγους τοίνυν φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην, Ἀριστοτέλης δὲ ἐν πρώτῳ περὶ ποιητῶν Ἀλεξαμενὸν Στυρέα ἢ Τήϊον, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν Ἀπομνημονεύμασι*, alterum Macrobius Saturnal. V, 18: *Quod ne affirmem potius, quam probem, Aristotelis verba ponam ex libro, quem de poëtis secundo suprascripsit, in quo de Euripide loquens ait: Τοὺς δὲ Θεστίου κούρους τὸν μὲν ἀριστερὸν πόδα φησὶν Εὐριπίδης ἐλθεῖν ἔχοντας ἀνυπόδετον λέγει γοῦν, ὅτι τὸ λαιὸν ἴχνος ἦσαν ἀνάρβυλοι ποδὸς, τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ ἔχοιεν, ὡς δὴ πᾶν τοὐναντίον ἔθος τοῖς Αἰτωλοῖς. τὸν μὲν γὰρ ἀριστερὸν ὑποδέδενται, τὸν δὲ δέξιον ἀνυποδετοῦσι. δεῖ γάρ, οἶμαι, τὸν ἡγούμενον ἔχειν ἐλαφρὸν, ἀλλ' οὐ τὸν ἐμμένοντα* [1]), tertium Diogenes L. II, 5, 25: *τούτῳ (Σωκράτει)*

1) Haec de Meleagri versibus scripsit, quos Macrobius l. l. servavit:

οἱ δὲ Θεστίου
Παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδός,
Τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
Ἔχοιεν, ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος.

Eurip. Fragm. Meleag. 3.

τις, καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ περὶ ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀντιόλοχος Λήμνιος καὶ Ἀντιφῶν ὁ τερατοσκόπος, laudat. Hic enim lectionem, quam libri tuentur, quamque nos ex editione Longolii recepimus, ita mutandam esse arbitramur, ut cum Rittero, Praefat. ad Aristot. Poët. c. 1 περὶ ποιητῶν scribamus, cum, quod nobilis philosophus de poëtica opus reliquit, id uno tantum libro constiterit. Sed separata hujus scriptionis pars, qua de comicis exposuit, οἱ Κωμικοὶ appellata est. Quo nomine Erotianus s. v. Ἡρακλείης νόσου: τῆς ἐπιληψίας, διὰ τὸ ἰσχυρὸν τοῦ νοσήματος καὶ δυσκαταμάχητον, ὡς μαρτυρεῖ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς Κωμικοῖς, librum Aristotelis aliunde non cognitum citat. Vidit id bene Welckerus, Tr. Gr. P. I. p. 93, cum alii, ut Charterius, Meinekius, Stephanus, nequidquam emendare verba voluissent. Atqui de Socratis obtrectatoribus in tertio libro egit, ut invidiam, credo, declararet, quam comici in illum ostenderant. Ergo tertius, opinor, liber ad comicos pertinuit, illo titulo fortasse inscriptus. Altero res Euripidis explicuit, ut supra monuimus. Quare is οἱ Τραγικοὶ haud dubie appellatus fuit. Welcker. l. l. Itaque primus liber epicos ceterosque poëtas comprehendit [1]). Quo quidem in opere cum merita poëtarum adumbraret tanta ubertate, quantam ex Macrobio cognoscere possumus, non solum originem, sed naturam cujusque literarum generis et dictionem et res, quas singuli attigerant, accurate descripsit. Alterum scriptum, cui nomen didascaliis fuit, ad auctoritatem ac similitudinem monumentorum revocavit, quibus nomen cum ipso commune fuisse constat. Nam Boeckhius in Corp. Inscript. I. p. 350 fabulas, cum doctae essent, in publicis tabulis esse consignatas vidit. Quanquam id Hermanno, Opusc. III. p. 264, non plane persuasum est. Quare hoc opus, etsi finibus unius libri inclusum, omnem scenae fabularumque comprehendit historiam, lineamentis saltem descriptam. Nimirum ad seriem annorum, ut Scholiasta Platonis p. 330: ᾧ ἔτει οἱ Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο, καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιπόδειαν ἔθηκεν, ὡς Ἀριστοτέλης Διδασκαλίαις, docet,

---

1) Hunc librum fortasse Plutarchus Quod non possit suav. vivi sec. Epic. 12: γράφειν περὶ Ὁμήρου καὶ Εὐριπίδου, ὡς Ἀριστοτέλης καὶ Ἡρακλείδης καὶ Δικαίαρχος, respexit. Welcker. l. l.

nomina poëtarum ac fabularum, quibus in Dionysiis ac Lenaeis erat certatum, ita significavit, ut grammatici hunc librum, quaestione de poëtis aut carminibus orta, propter summam vel fontium fidem laudarent, vel egregiam philosophi auctoritatem. Harpocrat. s. v. *διδάσκαλος*, Schol. ad Aristoph. Av. 282, Suid. s. v. *Ὄνου σκιά*, Phot. Lex. s. ead. v. Neque is solum ad scenicos poëtas, sed ad dithyrambicos quoque pertinuit. Schol. ad Aristoph. Av. 79 [1]). Miramur Jonsium, qui hanc scriptionem non philosopho, sed cognomini tribuat grammatico, quem Suidas s. v. memorat. Jons., Script. Hist. Ph. I, 11, 2. E tertio volumine praeter titulum *Νῖκαι Διονυσιακαὶ* nihil relictum est. Unde si quid conjicere licet, non solum fabulas, sed etiam dithyrambos descripsit, quibus in hujus diei festi celebritate summa laus obtigerat. Quartum singulare scriptum de tragoediis fuit, ut Diogenes Laërtius docet. Quae quidem cum animo accurate perpendimus, vix est, quod interitum plurium tragicorum tanti faciamus, quanti jactura horum fontium nobis ducenda est. Nam cum magnus tragoediarum numerus ad Macedones esset perlatus, qui jam diu re scenica admodum delectabantur [2]), Philippus atque Alexander, reges, honoratissimo homini eidemque dilectissimo, in his quaestionibus quidquid desiderabat, summa liberalitate haud dubie praebuerunt. Quot enim praesidiis eum instruxerit Alexander, Porphyrius apud Simplic. ad Aristot. de Coel., Plinius, Nat. Hist. VIII, 16, Athenaeus IX. p. 398 E testantur. Atque is omni virtutum genere conspicuus fuit, quae in tali opere desiderantur. Nam immensa doctrinae copia pariter atque usu philosophiae eruditus nec scientiam multarum rerum, quas unoquoque loco debebat respicere, neque commoda neglexit, quae studium sapientiae cum aliis, tum huic maxime suppeditaret necesse fuit. Sunt enim hae fere laudes, quibus quartus liber de poëtica arte ornandus est. In quo sive veritatem praeceptorum, ad naturam hujus generis accommodatam, spectamus, tam recto ea

---

1) Quod vel ignoravit, vel negavit Meinekius in Hist. Crit. p. 5, cum Cinesiam in tali libello vix ait ab Aristotele commemorari potuisse, nisi de poëtis disputavisset, quos antiqua tragoedia male habuisset.

2) Grysar, De tragoed. qual. circ. tempor. Demosth. fuit, p. 12 et 13. Welcker., Trag. Gr. P. III. p. 928.

ponderavit judicio, ut optimus quisque poëta, quae vetus philosophus vidit, etiamnunc sibi servanda existimet, seu varietatem copiamque eorum, quae in fabulis institui possunt, equidem, re tragica, qualis apud Graecos floruit, omni ex articulo cognita, nullum in singulis fabularum partibus modum, nec artificium a poëtis adhibitum inveni, ab Aristotele plane praetermissum. Respicit vero Agathonem, Astydamantem, Carcinum, Chaeremonem, Cleophontem, Dicaeogenem, Polyidum, Sthenelum, Theodectem praeter principes, qui multis locis commemorantur. Sed reliqua Stagiritae opera alibi, quid prosint nobis, infra dicemus. Nihilominus ejus auditores operam in hoc studiorum genere collocarunt. Ut Aristoxenus Tarentinus, vir tam sua doctrina, quam praeceptorum gloria excellens, Suid. s. v., de tragicis scripsit. Cujus operis ampliorem ambitum pluresque partes fuisse, ex eo intelligimus, quod *ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τραγῳδοποιῶν* apud Ammonium s. v. *ῥύεσθαι* laudatur. Unde fortasse ductum est, quod Anonym. in Vit. Soph. ap. Dindorf. p. 385, 2 et p. 388, 7, quodque Plutarch. de Music. 16 habet [1]. Idem de saltatione tragica (*περὶ τραγικῆς ὀρχήσεως*) exposuit. Harpocrat. s. v. *κορδακισμός*. Quo Jonsius Script. H. Ph. I, 14 nonnullos Athenaei locos, ut I. p. 19 F, retulit. Item Chamaeleon Heracleensis non solum res poëtarum, qui in melica poësi studium posuerant, ut Anacreontis, Lasi, Pindari, Sapphus, Stesichori, Simonidis, Athen. XII. p. 533 C. VIII. p. 338 B etc., sed scenicam quoque artem persecutus est. Hic enim quemadmodum de comoedia scripsit, Athen. IX. p. 374 A, ibid. p. 406 E; sic ea, quae de Aeschylo memoriae prodidit, Athen. IX. p. 375 F: *ταῦτα δὲ παρέθετο Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Αἰσχύλου*, X. p. 428 F; I. p. 21 E; ibid. p. 22 A, quaeque de satyris, Apost. Prov. IV, 7. Suid. s. vv. *Ἀρίστιος Κύκλωψ. μέμνηται τούτου Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Σατύρων*, id. s. v. *Ἀπωλέσας τὸν οἶνον κ. τ. λ.*, reliquit, e libro ducta videntur, quo omnem tragicorum historiam erat complexus. At epicos quoque nequaquam neglexit, ut ipse apud Diogenem L. V, 7, 92 confirmat. Quamobrem locupletem ejus librum de poëtis cujusque generis exstitisse

---

1) Nec aliunde Diogenem L. V, 17 descripsisse suspicor, quae de literaria fraude Heraclidis Pontici narrat.

statuimus, e quo omnia fluxerint, quae, velut sejunctis e fontibus hausta, citantur. Quae si uno in conspectu videntur, apparet eum de vita poëtarum moribusque disseruisse, ne narratiunculis quidem, quae paullo jucundiores essent, plane abstinentem, Athen. VIII. p. 336 B, XIV. p. 656 C, addidisse multa, quae vel intelligentiam aperirent carminum, XIII. p. 573 C, cum homines indicaret, ad quos tota carmina XIII. p. 549 E, aut singuli eorum loci essent referendi, XII. p. 533 C, vel mores atque instituta adumbrarent, e quibus singulae partes intelligi deberent, Athen. XIII. p. 573 C. Sed quamquam in eo, quod de Aeschyli furore asseveravit, videtur nobis errasse, opinione probata, quam tum multi fere sequebantur philosophi, tamen rationes temporis haud ita perturbavit, ut Athenaeus XIII. p. 599 E docet. Nam propter aetatis discrimen dubitare non licet, quin Anacreon carmen in Sappho scribere potuerit. Vide Hermesian. ap. Athen. l. l. Odofred. Müller. Histor. Literar. Graec. T. I. p. 310 et 326. Ac liber Dicaearchi de musicis Graecorum contentionibus fuit. Schol. ad Aristoph. Ran. 1337: *Σκόλιον ἡ παροίνιος ᾠδή. ὡς μὲν Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων, ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν· τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον καθ᾽ ἕνα ἑξῆς· τὸ δὲ ὑπὸ τῶν συνετωτάτων, ὡς ἔτυχε τῇ τάξει· ὃ δὴ καλεῖσθαι σκόλιον.* Quod ad Vespas v. 1231 repetitur. Schol. ad Aristoph. Av. 1403: *Ἀντίπατρος δὲ καὶ Εὐφρόνιος ἐν τοῖς ὑπομνήμασί φασι τοὺς κυκλίους χοροὺς στῆσαι πρῶτον Λᾶσον τὸν Ἑρμιονέα· οἱ δὲ ἀρχαιότεροι Ἑλλάνικος καὶ Δικαίαρχος Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον· Δικαίαρχος μὲν ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων.* Ubi nomen Demarchi libri male tuentur. Item Sextus Empiricus adv. Mathemat. III. in., ubi de variis *ὑποθέσεων* generibus agit, argumenta fabularum, quas Euripides ac Sophocles scripserunt, a Dicaearcho ait enarrata esse: *καθὸ καὶ τραγικὴν καὶ κωμικὴν ὑπόθεσιν εἶναι λέγομεν καὶ Δικαιάρχου τινὰς ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων, οὐκ ἄλλο τι καλοῦντες ὑπόθεσιν, ἢ τὴν τοῦ δράματος περιπέτειαν.* Accedunt alii grammaticorum loci, in quibus de rebus tragicis disputavisse dicitur. Nam in Argumento Oedipi Regis: *χαριέντως δὲ Τύραννον ἅπαντες αὐτὸν ἐπέγραφον, ὡς ἐξέχοντα πάσης τῆς Σοφοκλέους ποιήσεως, καίπερ ἡττηθέντα ὑπὸ Φιλοκλέους, ὥς ἱστορεῖ Δικαίαρχος.* Similiter argumenta

Ajacis ac Ranarum nonnulla habent, quae historiam tragicae poësis illustrant, ex ejusdem libris deprompta. Jam alter Dicaearchus, auditor Aristarchi, Lacedaemonius genere fuit. Suid. s. v. Quare Reinesius ad Suidam librum, e quo illa Sexti manarint, non Messanii, sed Laconis fuisse opinatur, id quod Naekius in Museo Rhen. I. p. 55. Ind. Lect. ann. 1834 nequaquam refutavit. His vero Sextum, nisi de Peripatetico cogitasset, illustri homine, sed obscurum grammaticum significasset, de quo Suidas s. v. praeter brevissimam generis, studiorum scholaeque memoriam nihil scriptum reliquit, nomen ejus non simpliciter appellare potuisse respondebimus, ut vel genus, vel disciplinam silentio praeteriret. Quamobrem alii rectius illa Messanio assignant, ut Jonsius de Script. Hist. Phil. I, 16, 1, Buttmannus Quaest. de Dicaearch. p. 38, Welckerus Tragoed. Gr. P. I. p. 94. Sed ne id quidem certum atque extra dubitationem positum est, utrum talia singulari scripto, an in illa Vita Graeciae persecutus fuerit, quam antiqui scriptores multifariam laudant. Quo quidem in opere attigit nonnulla, quae ad tragoedias pertinebant. Argument. Med. *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι γεννναιοφρόνως διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασιν.* Nihilominus igitur cetera quoque videntur eodem ex fonte ducta. Et qui tandem in illa vitae imagine, si plane eam absolvere voluit, praeclaram, nec non gravissimam rem negligere potuit, quae laudes Graeciae una omnium maxime contineret? Quae si recte sumus conjectura assecuti, Dicaearchus, in quo magnam doctrinae copiam laudant, Cic. de Offic. II, 5: *Est Dicaearchi liber — Peripatetici magni et copiosi.* Varro de Re R. I. p. 9. Plin. Nat. Hist. II, 65, cum vitam Graeciae describeret, uberrime statum poësis descripsit [1]). Nam docuit, quot ea gens et qualia haberet poësis genera, commemoravit optimas principum fabulas, exposuit, quae argumenta haberent, quare certis nominibus appellatae essent, quibus virtutibus splenderent quamque fortunam invenissent. Heraclidem Ponticum, discipulum Platonis addimus, quem summus magister, cum in Siciliam proficisci vellet, tanto honore dignum judica-

---

1) Eodem retulerimus, quae Athenaeus de Alcaeo XI. p. 460 F etc. narrat.

vit, ut eum, dum ipse abesset, scholae praefectum reliquerit. Suidas s. v. Is de poëtis ac poëtica scripsit. Diogen. Laërt. V, 6, 88: περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν α'. Idem unum librum περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν, tres vero περὶ τῶν παρ' Εὐριπίδῃ καὶ Σοφοκλεῖ edidit. Diogen. Laërt. l. l. Porro Hieronymus Rhodius, Peripateticus inprimis nobilis, Cic. Orat. 56, de quo Jonsius l. l. II, 3, 6 nonnulla affert, cum alia historiae monumenta, Athen. XIII. p. 557 C. p. 604 D, tum scriptionem de poëtis condidit; cujus liber quintus de citharoedis laudatur. Athen. XIV. p. 635 F: Ἱερώνυμος δ' ἐν τῷ περὶ κιθαρῳδῶν, ὅπερ ἐστὶ πέμπτον περὶ ποιητῶν. Et illam ejusdem partem, quae de tragicis erat, Suidas s. v. Ἀναγυράσιος citat: Ἀναγυράσιοι δὲ δῆμος τῆς Ἀττικῆς, τούτου δέ τις ἐξέκοψε τὸ ἄλσος. ὁ δὲ τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐπέμηνε τὴν παλλακήν, ἥτις, μὴ δυναμένη συμπεῖσαι τὸν παῖδα, διέβαλλεν ὡς ἀσελγῆ τῷ πατρί. ὁ δὲ ἐπήρωσεν αὐτὸν καὶ ἐγκατῳκοδόμησεν. ἐπὶ τούτοις καὶ ὁ πατὴρ ἑαυτὸν ἀνήρτησεν· ἡ δὲ παλλακὴ εἰς φρέαρ ἑαυτὴν ἔῤῥιψεν. Ἱστορεῖ δὲ Ἱερώνυμος ἐν τῷ περὶ τραγῳδοποιῶν, ἀπεικάζων τούτοις τὸν Εὐριπίδου Φοίνικα. Rem ipsam proverbio tritam e veteribus Apostol. III, 35, Arsen. 54, Diogenian. III, 31, e recentioribus autem Valckenarius in Diatrib. p. 269. b etc. attigerunt. Leutsch. ad Diogenian. l. l. Non ita multo post alii nec poëticam tragicamque artem, neque historiam fabularum, sed alia diligenter persecuti sunt, quae interiorem tragoediarum cognitionem aperirent. Hujusmodi Τραγῳδούμενα erant, quibus enarrabantur argumenta tragoediis subjecta. Velut Asclepiades Tragilensis, ex Isocratis schola, quae nonnihil operae in studium hujus poësis impendit, fabulas a tragicis exornatas sex libris explicuit. Steph. Byzant. s. v. Τράγιλος, πόλις μία τῶν ἐπὶ Θράκης πρὸς τῇ Χεῤῥονήσῳ καὶ Μακεδονίᾳ. Ἐκ ταύτης ἦν Ἀσκληπιάδης, ὁ τὰ τραγῳδούμενα γράψας ἐν ἓξ βιβλίοις. Fragmenta collegit Werferus in Act. Monac. II, 489. Vide etiam Heyn. ad Apollodor. P. III. p. 977. In quo quam fuerit copiosus, cum ex locis, quae Scholiasta Venetus ad Hom. Iliad. ζ', 155; η', 467 habet, tum inde facile perspicitur, quod fabulis de calamitate Labdacidarum aenigma Sphingis adjunxit. Athen. X. p. 456 B. Sed hexametris versibus liber scriptus fuit. Heyn. ad Apollodor. P. II. p. 694. Qui

quidem si nobis integer esset relictus, appareret illud, in quo tam vis, quam ars tragicorum maxime posita est, quid tragici propter artis ornatum, vel necessitatem in fabulis novassent. Valcken. Diatrib. p. 263 A. Simillimus liber fuit Demarati, quem fortasse Theophrastus inter auditores habuit. Diogen. Laërt. V, 2, 14. Nam is ἐν πρώτῳ τραγῳδουμένων a Clement. Alex. Protrep. III, 42, a Stobaeo Serm. XXXIX, 33 ἐν τρίτῳ laudatur. Eundem Scholiasta ad Apollon. Rhod. I, 45, 1289 citat. Sed certe Theophrastum Duris Samius audierat, Athen. IV. p. 184 D, cujus industriam laudat in historia positam Cic. ad Attic. VI, 1. Qui quidem non solum de Euripide ac Sophocle scripsit, Athen. l. l., sed etiam librum περὶ ἀγώνων reliquit, in quo Dionysia non sunt omissa. Apostol. Prov. XVII, 30. Commemoremus denique Philochorum, Atheniensem vatem eundemque haruspicem, qui circa Eratosthenis aetatem dolis Antigoni occubuit. Suid. s. v. Qui, sicut libros conscripsit, qui tam res Atheniensium, quam artem suam illustrarent, Athen. XV. p. 693 D, XI. p. 495 C. F etc. XIV. p. 648 D, ita de ludicris Atheniensium certaminibus retulit, argumenta, quae Sophocles sibi tractanda sumpserat, quinque libris exposuit, deque Euripide scripsit. Suidas s. v. περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἀγώνων βιβλία ιζ', περὶ τῶν Σοφοκλέους μύθων βιβλία ε', περὶ Εὐριπίδου. De quibus rebus utrum singularibus libris, an in scripto disputaverit, quod in Argument. Hecubae Hafniensi laudatur (τὸ περὶ τραγῳδίας σύγγραμμα), plane dubium est.

Qui omnes cum tali modo partim artem, partim historiam tragicorum illustrassent, aetas critica successit, qua non tam exploratum est, quid poëtae in omni hoc artis genere effecissent, quam quomodo fabulae eorum tractari et explanari deberent. Quare in summa librorum copia, quos bibliothecae iis in locis habebant, ubi literae florere coeperant, magistri, quo facilius discipulos accurata scriptorum lectione imbuerent quoque rectius ad literarum studia eos deducerent, illos, qui in omni earum genere maxime excelluissent, delegerunt eorumque nomina in certum ordinem redegerunt. Secutum est, ut recentiores singularem curam in explicatione eorum adhiberent, quos tali honore ornatos invenerant. Nec alii fuerunt fere, quos vel grammatici praeprimis laudarunt, vel lexicographi,

cum specimina locutionum proponere vellent, vel alii scriptores respexerunt, qui libros quamplurimis aliorum locis ornare studuerunt. Quanquam etiam tum nonnulli omnem rem tragicam superiorum ratione adumbrarunt, qui de tragicis scripserunt, quique monumenta reliquerunt, quae de poëtis, aut poëtica loquebantur. Sed primum illud genus princeps condidit Callimachus, de quo Etym. Magn. s. v. *πίναξ*: *Ὁ οὖν Καλλίμαχος, ὁ γραμματικὸς, ἐποίει πίνακας, ἐν οἷς ἦσαν αἱ ἀναγραφαὶ ποιητῶν ἀρχαίων.* Atqui non poëtas solum eosque veteres in his tabulis enumeravit; sed verum earum ambitum ac materiem Suidas s. v. *Καλλίμαχος* indicat: *Πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'.* Similiter Athen. XIV. p. 643 F: *ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων πίνακι.* Ratio libri, quam Jonsius de Script. Hist. Ph. II, 5, 1 docte et copiose explicuit, e magno fragmento cognosci potest, quod Athenaeus VI. p. 244 A. servavit: *Τοῦ Χαιρεφῶντος καὶ σύγγραμμα ἀναγράφει Καλλίμαχος ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν πίνακι γράφων οὕτως· Δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν· Χαιρεφῶν Κυρηβίωνι. Εἶθ' ἑξῆς τὴν ἀρχὴν ὑπέθηκεν. Ἐπειδή μοι πολλάκις ἐπέστειλας. Στίχων τοε'.* Unde scriptores ab eo secundum materiae, in qua versati fuerant, genera dinumeratos esse, apparet. Eam enim partem, quae eos, qui convivia scripserant, comprehendit, ita inscripsit: *δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν.* Tali modo tertia de legibus tabula fuit, Athen. XIII. p. 585 B: *Ἀνέγραψε δ' αὐτὸν Καλλίμαχος ἐν τῷ τρίτῳ πίνακι τῶν νόμων,* alia de rhetoricis. Id. XV. p. 669 D: *καὶ τὸν λόγον τοῦτον ἀνέγραψε Καλλίμαχος ἐν τῇ τῶν ῥητορικῶν ἀπογραφῇ.* Porro recensuit deinceps scriptores, qui idem argumentum tractaverant. Athen. VI. p. 244 A. Addidit prima cujusque operis verba. Athen. ibid. XIII. p. 585 B: *καὶ ἀρχὴν αὐτοῦ τήνδε παρέθετο· Ὅδε ὁ νόμος ἴσος ἐγράφη καὶ ὅμοιος, στίχων τριακοσίων εἴκοσι τριῶν.* Accurate magnitudinem scriptorum significavit, ut idem auctor l. l. declarat. Neque alia praetermisit, quae ad doctrinam cujuslibet scriptoris pertinebant. Velut praeceptores Eudoxi commemoravit. Diogen. L. VIII, 8, 2: *Οὗτος (ὁ Εὔδοξος) τὰ μὲν γεωμετρικὰ Ἀρχύτα διήκουσε, τὰ δὲ ἰατρικὰ Φιλιστίωνος τοῦ Σικελιώτου, καθὰ Καλλίμαχος ἐν τοῖς πίναξί φησιν.* Sunt autem quaedam, e quibus

intelligi potest, eum nec temere, neque inconsiderate, sed ita haec percurrisse, ut suo uteretur judicio. Quemadmodum περιήγησιν Ἀσίας, quae Hecataei Milesii esse vulgo credebatur, Nesiotae tribuit. Athen. II, 70 A. B. Idem a Parmenide carmen philosophicum abjudicavit, quod plurimi ei assignabant. Diogen. L. IX, 3, 3. Orationem Dinarchi inter Demosthenis opera retulit. Dionys. Halicarn. de Dinarch. 10. Sed maximam auctoritatem, quam nobilissimus homo his voluminibus conciliavit, ea res praeprimis ostendit, quod veteres, cum de scriptore alicujus libri agerent, hoc velut praeclarissimo literarum praesidio usi sunt. Athen. XIV. p. 643 F; VIII. p. 336 E; XI. p. 496. Alteram Callimachi scriptionem Suidas s. v. πίνακα καὶ ἀναγραφὴν τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ᾽ ἀρχῆς γενομένων διδασκαλιῶν nominat. Hoc enim nomen, cum vulgo διδασκάλων legant, cum Stoeckero Dissert. de Soph. et Aristoph. Interpp. p. 4 et Meinekio Hist. Crit. p. 11 aliisque reponimus. Rationem ejus optime Jonsius l. l. declaravit. Sed hos librorum indices postea Aristophanes auxit, auditor Callimachi. Etym. Magn. s. v. πίναξ . . . οἷς ἐντυχὼν Ἀριστοφάνης, ὁ γραμματικός, ἐποιήσατο τὰς ὑποθέσεις τῶν δραμάτων. Itaque argumenta fabularum, eaque versibus iambicis scripsit, ut illa, quae Sophoclio Philoctetae atque Oedipo quaeque septem Aristophanis comoediis praemittuntur, specimina nobis demonstrant. Athenaeus vero IX. p. 408 F: Ἀριστοφάνης δ᾽ ὁ γραμματικὸς ἐν τοῖς πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας χλευάζει τοὺς οὐκ εἰδότας τὴν διαφορὰν τοῦ τε κατὰ χειρὸς καὶ τοῦ ἀπονίψασθαι. παρὰ γὰρ τοῖς παλαιοῖς τὸ μὲν πρὸ ἀρίστου καὶ δείπνου λέγεσθαι κατὰ χειρός, τὸ δὲ μετὰ τοῦτ᾽ ἀπονίψασθαι. Unde apparet, quantam accurationem grammaticus in singulis rebus adhibuerit minutisque. At vero non solum, quae Callimachus paucis attigerat, uberius persecutus est, sed nonnulla quoque de suo adjecit. Athen. VIII. p. 336 E. Qui cum omnem librorum supellectilem immenso labore in genera digessissent, Ptolemaeus Philadelphus, quo accuratius specimina poësis Graecae, quae Alexandrina bibliotheca asservabat, ordinata cognosci et in usum vocari possent, labore tripartito diviso, tragoedias ab Alexandro Aetolo, qui quidem ipse non obscurus in numero tragicorum fuit, et colligi et in ordinem redigi jussit. Hoc enim in scholio

Caecii grammatici, quem a Tzetza non esse diversum constat [1]): *„Ex Caecio (Caeco) in commento comoediarum Aristophanis in Pluto, quam possumus Opulentiam nuncupare. Alexander Aetolus et Lycophron Chalcidensis et Zenodotus Ephesius impulsu regis Ptolemaei Philadelphi cognomento, qui mirum in modum favebat ingeniis et famae doctorum hominum, Graecae artis poëticos libros in unum collegerunt et in ordinem redegerunt, Alexander tragoedias, Lycophron comoedias, Zenodotus vero Homeri poëmata".* Sic Osannus in Romano Plauti codice scriptum invenit. Vide Welcker. in Diar. Scholast. ann. 1830. II, 147, Lobeck. ad Soph. Ajac. p. 112, Dindorf. in Nov. Museo Rhen. IV. p. 232, Meinek. Hist. Crit. p. 9. Qui quidem utrum similiter, ac fecit Callimachus, rem instituerit, nobilissimis omnium tragicorum delibatis, an omnes, quotquot reperit, in certum quendam redegerit ordinem, nullis indiciis patet. At si cunctos poëtas comprehendit, nihilominus eos pro virtutum praestantia potuit dinumerare. Quo opere confecto, recentiores facillime eos consignarunt, quibus summa laus prae ceteris esset tribuenda. Nam talem delectum mox Alexandriae duo grammatici summae auctoritatis habuerunt, quorum unus Aristophanes, alter Aristarchus fuit. Qui, ut reliquam judicii rationem praetermittamus, omnem tragicorum numerum in duos ordines distribui voluerunt. Et illi quidem, quos esse *τῆς πρώτης τάξεως* statuerunt, Achaeus, Aeschylus, Euripides, Io, Sophocles fuerunt. In quo criticos male Ruhnkenius Hist. Crit. Orat. p. 368 suum ipsorum arbitrium secutos esse existimat [2]). Quanquam id postea aliis quoque persuasit, ut Wolfio Prolegom. p. CXC not. atque Heerenio in Hist. Art. et Literar. p. 32 persuasit. Nam cum de tribus, qui principes nominantur, talia statuerent, non tam suam confirmaverunt, quam universae Grae-

1) Originem corrupti nominis e forma *Τζέτζιος* ducimus, quam recentissimi habent grammatici. Ut ap. Cramer. in Anecd. Gr. III. p. 306: *ἀλλ' οὖν ἐπιτεχνήσεσι καὶ πόνοις τῶν Τζετζίων* legimus. Conf. Lehrsii Disputat. de vocabul. *φιλόλογος, γραμματικός, κριτικός* p. 9.

2) Apponamus ipsa nobilis critici verba: *„Exorti enim sunt duo summo ingenio et singulari doctrina critici Aristarchus et Aristophanes Byzantius, qui, cum animadvertissent, ingentem scriptorum turbam plus obesse bonis literis, quam prodesse, suum judicium secuti certum omnis generis scriptorum delectum haberent".*

ciae sententiam, quae illos praeprimis excellere communi clamitabat consensu. Velut Aristophanes comicus, quanto hos ceteris praetulerit omnibus, cum ex aliis ejus fabulis, tum e Ranis intelligitur, in quibus ad Sophoclem primas detulit, alterum locum Aeschylo concessit, tertium Euripidi reliquit. Wissowa Aristoph. Judic. de trag. p. 17 [1]). Pari modo quoties nobilissimi tragoediarum scriptores in libris veterum commemorantur, hi ipsi ita conjungi solent, ut neque omittatur quisquam eorum, neque quartus addatur, qui possit iis aequiparari [2]). Addimus legem, quam populus, rogante Lycurgo, tulit. Qua effecit, ut Graeci, tametsi animum antea hoc sensu non plane habuerant imbutum, haec tamen in posterum, aut his similia certo judicarent. Quod autem ex magno ceterorum numero duos delibarunt, tragoediam post Aeschyli mortem, ut est in Aristoph. Ran. 868, corruptam censuisse videntur. Per quod temporis spatium illi duo, ut infra apparebit, ab aliis non facile superati sunt. Nam laudes Ionis cum ubertas ingenii, quoniam plurima poëmata verbisque solutis opera scripsit, tum maxime illud indicat, quod multi ad ejus illustrationem operam applicaverunt. Item haud exiguam Achaei virtutem fuisse, Athenaeus ac Diogenes docent. Quanquam si veram poëtarum praestantiam spectarunt, minime caussa in promptu est, quare Agathonem non receperint, quem tota antiquitas ob miram poësis dulcedinem in deliciis habuit. Nam Gruppius, qui in Ariadn. p. 754 hunc quoque, ut reliquos, inter canonis poëtas refert, egregie fallitur, quemadmodum saepius errat, cum multa videatur proferre recondita. Nec vero illud recte Ruhnkenius, hanc censuram criticorum scriptoribus, quos recepissent, tantum conciliavisse auctoritatis, prope ut soli vigerent et studia hominum tenerent. Nam etsi oculos doctorum praeprimi in ea opera direxit, neque apud omnes

---

1) Quanquam alii de comici judicio aliter senserunt. Barthelemy Voyage du jeune Anacharsis Chap. 69. Stanleius Commentar. in Aeschyl. Vit. ap. Schütz. Aeschyl. Vol. V. p. IX.

2) Apud omnes populos, qui literarum quique artium studia colunt, in quocunque earum genere solent adeo nonnulli excellere, ut de laudibus eorum cuncti consentiant, nec ulli unquam dubitatio relinquatur. Ut de Homeri, Pindari, Demosthenis, Thucydidis, Apellis virtute nemo potuit quidquam detrectare.

criticos, neque ubique terrarum valuit. Enimvero effecit, ut Alexandrini critici nonnisi operibus eorum illustrandis incumberent, qui essent canone nobilitati, quanquam alii nihilominus, ut legerentur et explicarentur, digni erant. Nam fabulas principum omitto; sed opera Ionis Aristarchus, Didymus, Epigenes illustrarunt; item Achaeum Didymus interpretatus est. At nemo grammaticorum Agathonem commentario ornavit, aut Aristarchum, aut Chaeremonem. Pari modo quisquis exempla locutionum proponere voluit, ea maximam partem ex his scriptoribus petiit. Quamobrem adjumentum hac in re nec lexicographi magnum nobis suppeditant, nec grammatici habent, neque illi denique afferunt, quorum scholia accepimus. Nam Didymus Chalcenterus, in quo tam ingens doctrinae copia, quam insignis industria fuit (Macrob. Saturn. V, 22: „*Didymus grammaticorum omnium quique sint quique fuerint, instructissimus*"), duodetriginta saltem libros *περὶ τραγῳδουμένης λέξεως* reliquit. Macrob. ibid. 18: „*Didymus grammaticus in his libris, quos τραγῳδουμένης λέξεως scripsit*". Hesych. Prooem. Harpocrat. s. v. *Ξηραλοιφεῖν ἐλέγετο χωρὶς λουτρῶν ἀλείφεσθαι, ὡς Δίδυμος ἐν εἰκοστῇ ὀγδόῃ τραγικῆς λέξεως.* Unde Ruhnkenius Praefat. Edit. Hesych. Albertin. p. 197 ductum existimat, quod apud Bekkerum Anecd. Gr. Vol. I. p. 349, 3 Didymo simpliciter tributum est. Ac similis liber Theonis fuit, ut ex Ruhnkenio l. l. intelligitur. Item Epitherses grammaticus locutiones Atticas explicuit, quas tragici et comici poëtae adhibuerant. Steph. Byzant. s. v. *Νίκαια*: *Ἐπιθέρσης γραμματικὸς γράψας περὶ λέξεων Ἀττικῶν καὶ κωμικῶν καὶ τραγικῶν.* Itaque nomen hujus apud Erotianum p. 88: *Θέρσις ἐν δευτέρῳ τῶν λέξεων ἄμβωνά φησι χεῖλος εἶναι σκεύους* Meinekius Hist. Crit. p. 15 bene restituit. Quos quidem Hesychius cum maxime sequeretur, haud fere quenquam e tragicis praeter eos citavit, quos in canonem relatos invenerat. Nam vicies Achaeum et Ionem commemorat, ceteris omnibus plane praeteritis [1]). Quare dubitandum non est, quin illi quoque, quos habuit du-

1) Quae de modis tibiarum, qui nomen ab Agathone duxerunt, s. v. *Ἀγαθώνιον αὔλησιν*, quaeque de nominis forma monet, quod poëtae proprium fuit, s. v. *Ναύσων*, ita scripta sunt, ut aliis de caussis, non ob memoriam Agathonis proposita videantur.

ces, eandem rationem probaverint. Nam ceteri omnes, qui lexica scripserunt, ut Ammonius, Etymologus Magnus, Harpocratio, Photius, Phrynichus [1]), Pollux, Suidas, Timaeus, alii, aut nihil praebent, aut res tragicorum a comicis, vel oratoribus commemoratas illustrant, aut, si usum loquendi, qualem tragici habuerant, exemplis declarare voluerunt, ea potius e poëtis Alexandrini canonis, quam e fabulis reliquorum sumpserunt, quippe qui, quo recentiores fuerant, eo minus quotidianum dicendi genus contempsissent. Neque enim Harpocratio laudavisset Carcinum, nec mentionem vel Stheneli, vel Theognidis injecisset, nisi oratores alicubi hos ipsos commemoravissent. Quae ex Melanthio s. v. γρυπάνιον profert, poëtae tragico nequeunt assignari. Et Suidas, quamvis multa de magno tragicorum numero habeat, ea tamen ex vetustis comicorum scholiis hausit, ut non memoriam tragicorum illustrare, sed intellectum comoediae aperire videatur [2]). Ac similis aliorum scriptorum ratio est. Neque is modus delectus in recentiorum libris mutatus reperitur. Qui quidem, nisi nudum regularum, quas superiores quidam proposuerant, indicem exemplis nequaquam confirmatum continent, ea modo locutionum specimina normis apponunt, quae alii pridem iisdem locis in usum vocaverant. Hoc satis intelliges, cum ea, quibus Hesychius ac Suidas τὴν Ἀγαθώνιον αὔλησιν explicaverunt, inter sese comparaveris. Pari modo Photius p. 10 descripsit, quae Harpocratio s. v. θίασος habet. Item locum hujus s. v. Σθένελος Photius p. 510 mutuatus est. Apud Harpocrationem s. v. Θέογνις et Suidam s. v. eadem legimus [3]). Qui vero, quam

1) Nunnesius cum de Phrynichi fontibus agat Praefat. ad Phryn. p. III ed. Lobeck.: „Probat item tres viros illos tragicos Aeschylum, Sophoclem et Euripidem".

2) De Suidae usu, quotiescunque librum ejus accurate legimus, in mentem venit judicium Ruhnkenii Epist. ad Heyn. XII. p. 686: „Nunquam ille (Suidas) decernit, nunquam suum interponit judicium, satis habet, articulos diversos, sicut eos apud grammaticos invenerat, in lexicon suum retulisse".

3) Utilissima uberrimaque quaestio esset, si quis indicaret, quantum grammatici, propria scriptorum lectione neglecta, ex alio alius deprompserint. — De Suida, qui Timaeum secutus est, Ruhnken. Praefat. ex alter. edit. lexic. Tim. ap. Friedem. p. 78.

levi tragicorum notitia imbuti fuerint grammatici, sibi persuadere studet, is unum Phrynichi locum inspiciat. Nam in Epitom. p. 312. ed. Lobeck. *παραθήκην. Ἱππίαν καὶ Ἴωνα τινὰ συγγραφέα φασὶν εἰρηκέναι.* Hic igitur historicos libros Ionis, cum olim notissimi fuerint, tam dubitanter significat, ut vel nomen celeberrimi poëtae vel scripta ignorans, quemcunque alium potius videatur, quam Chium intellexisse. Nam adversus Wesselingium ad Herodot. VI. p. 471 et 477 et Lobeckium ad Phrynich. l. l. haec ad eum referenda, nec vero de Herodoto cogitandum esse obtinemus, de quo si loqui voluisset, longe aliter dicere debuisset. Jam etsi operam eorum, qui commentarios in Aristophanem confecerunt, plurimi facimus, quia omnem poëtarum memoriam in se sustinent, qui nobis, nisi essent a comicis notati, ne nominis quidem indicium reliquissent, tamen duplex scholiorum est genus, sive copia, sive indoles praesidiorum respicitur, e quibus in unum collecta sunt [1]). Est enim unum eorum, qui non Aristophanis solum, sed aliorum quoque poëtarum fabulas haberent cognitas, ut referre possent, quomodo vitia, quae comicus tangit, a diversis essent derisa [2]). Tum eos nominamus, qui comoedias Aristophanis, quot nunc supersunt, ad interpretationem adhibuerunt. Hos autem alii insecuti sunt, quibus tam illa fontium, quam haec doctrinae defuit copia. Itaque ex ipsa locorum ratione modo sagaciter, modo stulte collegerunt, quod ad intelligentiam eorum spectabat. Quanquam haec saepius ita comparata sunt, ut ex optimis videantur fontibus fluxisse. Restat denique congeries scholiorum, quae a grammaticis sanae rationis omnino expertibus adeo mutilata et quasi decurtata legantur, ut maximam partem vix emendari, nedum satis explicari queant. De qua re sunt comparanda, quae de Alcaeis, quaeque de Agathonis comoediis infra monebimus. Illa vero, quibus interpretes haud ita vetusti reliquos scriptores illustrarunt, cuncta fere sunt illo tempore scripta, cum usus studiorum exigeret, ut, quid superiores de singulis statuissent locis,

1) De illis tantum disserimus, quae ad tragicos pertinent. Alia exempla Stoeckerus Dissert. de interpret. Soph. et Aristoph. p. 14 exhibuit.

2) Schol. ad Aristoph. Vesp. 1219.

quam quibus argumentis, quibusque rationibus sententiam confirmavissent, diligentius quaereretur[1]. Atque ubi loci ad enodandam vim dictionum, aut antiquum rerum statum describendum comparantur, cum de tragicis agunt, fabulas principum, nec ceteros respiciunt, de quibus in hac scriptione disputabimus. Quamobrem aut omnia neglexerunt doctrinae specimina, aut ea praetulerunt, quae nos parum hoc loco juvare possunt. Nullum igitur in scholiis Aeschyli, Pindari, Theocriti subsidium inest, nullum vetusti oratorum interpretes, leve vero ceteri afferunt, quibus commentarios Arati, Aristotelis, Euripidis, Platonis, Sophoclis debemus. Neque illa Homeri scholia admodum juvabit percurrisse, quae Villoisonius aliquot abhinc annis e codicibus Venetis protulit. De Eustathio nobis idem contendere licet, quod Valckenarius, certissimus ejus existimator, invenit, haud alios libros ab eo in usum esse vocatos, quam quos ipsi possumus etiamnunc adhibere. Nam quae huc pertinent, ex Athenaeo descripsit, a quo alia sexcenta accepit. Spaan. de Antiphont. ap. Friedem. p. 167. Hinc enim locum Agathonis (Athen. XII. p. 528. Eustath. ad Il. ψ. p. 1292), Ionis (Athen. XI. p. 468. Eustath. p. 1300), Chaeremonis (Athen. II. p. 43. XIII. p. 608. Eustath. p. 1545, 1658) recepit. Neque de Tzetzae doctrina aliter judicandum est. Nam fortasse versum Melanthii, ad Hesiod. p. 82 prolatum, apud Plutarchum De Cohib. Ira 2 invenit. Quanquam erui non potest, unde fragmentum Phrynichi sumpserit, quod ad Lycophr. Cassand. 433 habet.

Sed nihil fere bonae frugis ex veterum scriptis percipimus, quibus res grammaticae exponuntur. Nam qui haec reliquerunt, fabulas principum, quam aliorum cum propter dignitatem, tum ea de caussa laudare maluerunt, quod novissimi quique tragicorum id ipsum dicendi genus consectati videntur, quod comicis, quodque oratoribus maxime proprium fuit. Quare libros Apollonii Alexandrini, Dionysii Thracis, Hephaestionis, Herodiani itemque Choerobosci, Diomedis, Melampodis aliosque nequidquam excusseris. Unde patet, criticos, cum illa statuissent, vim aliquam in studia eorum habuisse, qui regulas

---

1) Nimirum haec fuit jejunitas illa, quam in Photio Ruhnkenius Hist. Crit. p. 312 agnovit.

linguae aperire conabantur. Sed regula neque apud omnes valuit, neque ubique terrarum probata est. Velut Athenaeus, cum materiem copiosissimi operis e libris plus septingentis congereret, plurimos e tragicis laudavit, ut Achaeum, Agathonem, Antiphontem, Aristarchum, Aristeam, Astydamantem, Carcinum, Chaeremonem, Critiam, Diogenem, Dionysium, Ionem, Melanthium, Phrynichum, Pratinam, Sthenelum, Theodectem. Pari modo apud Stobaeum fragmenta Agathonis, Aristarchi, Astydamantis, Carcini, Chaeremonis, Diogenis, Iophontis, Theodectis invenimus. Nec historici nobis omnino desunt, propterea quod mentionem tragicorum fecerunt. Quemadmodum Dionysius de iis adhiberi potest, qui studium tragicae poësis cum rhetorica conjunctum coluerunt; sic Diodorus locum Carcini habet et aetatem Polyidi declarat, et poëticum Dionysii regis furorem commemorat. Item Plutarchus illa doctrina, quam ubique ostendit, non solum versus Agathonis, Ionis, Theodectis in suos libros inclusit, sed narrationes quoque de his aliisque memoriae prodidit. Nec geographi ab illustratione hujus loci plane abstinuerunt. Nam et Strabo versus Ionis reliquit et Pausanias de Aristea, Choerilo, Phrynicho, Pratina scripsit et Stephanus Byzantinus aetatem librosque Theodectis declaravit. Si vero ii spectantur, qui varia literarum genera in scriptis comprehendunt, Diogenes Laërtius mentionem Achaei, Astydamantis, Diogenis, Ionis fecit. Quem exscripsit Hesychius Milesius, ubi versus Achaei protulit. Philostratus pauca de Agathone, Antiphonte, Critia scripsit. Item ex eorum libris, qui res fabulosas enarrarunt, ut Antonini Liberalis, Apollodori, Cononis, Parthenii tam argumentum, quam compositio fabularum cognoscitur. Sed quanquam sic fontes enarrare instituimus, ut appareret simul, qui studia secundum illum canonem direxissent, quique in suis, cum literis operam darent, viis institissent, Platonem tamen, postquam ad philosophos venimus, licet nominare, etsi multis annis antecessit duobus grammaticis, a quibus illud decretum accepimus. Is igitur et multa de tragoediis prodit, quales tum fere scribebantur, et Agathonem in Convivio, Critiam tyrannum in Critia, Charmide, Timaeo, Meletumque in Apologia Socratis ad vitae similitudinem depingit. Nec Aristotelis ullum est scriptum nobis inutile. Marcus Aurelius locum Agathonis habet, nonnihil corruptione depravatum. Lu-

cianus de Agathone ac Dionysio loquitur. Longinus de Ione legendus est. Sextus Empiricus duo Critiae fragmenta, unum Ionis exhibet. Pari modo nonnunquam conferre debemus, quae Aristides, Chrysostomus, Libanius, Maximus Tyrius, Themistius disputant. Unde tragicos, in canonem relatos, quanquam plus honoris, quam ceteri habuerunt, tamen non tantam laudem iis detrectasse apparet, ut ii fastidiose ab omnibus rejecti sint. At si canon hanc vim ne in eos quidem exercuit, apud quos auctoritas Alexandrinorum maximum pondus habebat, quid eum ab aliis tam religiose servatum censes, qui vel aliis e scholis erant, vel aliis bibliothecis, aliisque utebantur librorum catalogis? Nam paullo diversa scriptorum copia Pergami condita fuit. Quam Pergameni, cum in ordinem redegissent, in tabulis descripserunt, quae Pergamenae vocantur. Athen. VIII. p. 336 E: *οὔτε γὰρ Καλλίμαχος, οὔτε Ἀριστοφάνης αὐτὸ ἀνέγραψαν, ἀλλ' οὐδ' οἱ τὰς ἐν Περγάμῳ ἀναγραφὰς ποιησάμενοι.* Similiter Dionysius Halicar. Dinarch. Jud. §. 1: *ἅμα δὲ ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε Καλλίμαχον, οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ (Δεινάρχου) γράψαντας.* Hi igitur opus confecerunt ei simillimum, quod in altera Musarum sede a duobus grammaticis, Callimacho atque Aristophane, conditum est. Nam cum opera inter se ipsa comparentur, cumque argumentum ex iis ducatur, quo effici possit, num Asotodidascalus Alexidis haberi, an alii vindicari debeat, et illa comparatio et hoc plenitudinis indicium hos non tam delectus declarat, quam catalogos fuisse scriptorum. Errat igitur Bernhardius, qui Pergamenis eandem, aut similem indolem tribuit, quam Alexandrinus canon habuerit. Syntax. Gr. p. 31. Quanquam grammatici, cum omnes dinumerarent scriptores, quorum opera in bibliothecis invenerant, non solum genere ordineque literarum, a quibus nomina incipiebant, sed etiam momentis quibusdam et judicio eos disponere poterant. Quod si fecerunt, principibus, quorum virtus vix unquam in dubium vocata est, haud dubie alios adjunxerunt, quam quos Alexandrini receperant. Ut Agathonem fortasse itemque Aristarchum cum iis arctius conjunxerunt. Nam hi quo magis in suis ipsorum inventis suaque doctrina acquiescebant, id quod uniuscujusque sectae proprium est, eo constantius acriusque suum judicium secuti Alexandrinos certe audire noluerunt, qui-

buscum assiduas habebant et obstinatas maxime contentiones. Suid. s. v. Ἀρίσταρχος . . . . καὶ Κράτητι τῷ γραμματικῷ Περγαμηνῷ πλεῖστα διημιλλήσατο ἐν Περγάμῳ. Wolf. Prolegom. p. CCLXXVI etc. Verum etsi nullam virtutis rationem in illis tabulis habuerunt, tamen de singulis scriptoribus pro suo quisque sensu suaque literarum cognitione judicarent necesse fuit, ut alia Alexandrinis, alia Pergamenis de scriptis esset sententia, ni tantis excellebant ea virtutibus, ut, qui nolebant errare, communi consensu deberent ea laudare. Quodsi autem Pergameni de scriptorum laudibus haudquaquam cum Alexandrinis conspirarunt, id quod ipsi judicarunt, pro summo Cratetis nomine, aut auctoritate eorum, quos ipse auditores reliquit [1]), non paucis olim, quanquam haud ita multis, sine dubio persuaserunt. Nam celeberrimus quidem Aristarchus fuit, adeo ut unus omnium maxime floreret [2]). At Cratetem tam discipuli coluerunt, quam omnis antiquitas plurimi fecit. Nam hi duo inter grammaticos coryphaei nominantur. Strabo I, 2. p. 47 (ed. Tauch.): τοὺς δὲ γραμματικοὺς μηδὲ λέγοντος ἐκείνου αἰσθάνεσθαι ἀπὸ Ἀριστάρχου καὶ Κράτητος ἀρξαμένους τῶν κορυφαίων ἐν τῇ ἐπιστήμῃ ταύτῃ. Similiter Sext. Empir. I, 44. Vide Bernh. Thiersch. de aetat. Homer. [3]). Aristarchus nobilissimos instituit discipulos. Nec vero exilis eorum gloria fuit, qui e schola Cratetis prodierunt. Quanquam hoc maximum inter utrosque discrimen fuit, quod nomen Pergamenorum, cum literae in ea urbe vigere desiissent, celerius consenuit, cum Alexandrini diutius id tuiti nobis per manus quodammodo tradiderint.

Accedit autem, quod grammatici quidam, vel historici recentiores, cum vel historiam poësis exponerent, vel res poëtarum persequerentur, multo plures, quam canonis poëtas respicere debebant. Sub Augusti imperium Juba, cum Romam ve-

---

1) Cf. Wolf. Prolegom. p. CCLXXVI not. 64. Quid praestiterint, nuper in maximam literarum utilitatem Bernh. Thierschius docere coepit, cum de Alexandro Cotyaeensi in Program. Gymn. Tremon. ann. 1834. disputavit.

2) Apud Athenaeum XV. p. 671: ὁ γραμματικώτατος nominatur.

3) Idem de Schol. Crat. Mallot. p. 4 grammaticos, qui ante hos carminibus Homeri vel emendandis, vel explicandis operam dedissent, omnes contemptos esse arbitratur, aut contemptione dignos esse habendos.

nisset, ut per triumphum duceretur, Suid. s. v. Ἰόβας, cumque se totum post studio literarum dedidisset, et alios historicos libros, Plin. Nat. Hist. VI, 27. VIII, 3. Athen. III. p. 83 B, et *θεατρικὴν ἱστορίαν* scripsit, cujus librum septimum decimum Photius in Biblioth. 161 laudat. In qua originem instrumentorum, quibus veteres utebantur, ab exteris gentibus duxit. Athen. IV. p. 175 D. E. Attigit singula scenicarum saltationum genera, Hesychio teste s. v. *Κλώπεια· ὄρχησις, ὡς Ἰόβας ἐν τετάρτῳ Θεατρικῶν.* Addimus locum Schol. Raven. ad Aristoph. Ran. 1175; itemque Athenaei l. l. p. 177 A. p. 183 C. Eundem Scholiasta ad Demosth. de Fals. Legat. p. 253 citat, qui quidem verbis *ὁ τὰς θεατρικὰς ἱστορίας γράψας* non Asclepiadem, ut Valckenar. in Diatr. p. 182 B opinatur, sed Jubam significat. Quemadmodum igitur copiose de musicis instrumentis egit, reliquum scenae apparatum quam maxima doctrinae copia persecutus videtur. Porro Hephaestioni Suidas s. v. *Ἡφαιστίων τραγικὰς λύσεις* assignat. Telephus, grammaticus Pergamenus, quem L. Veri dicunt magistrum fuisse, Capitolin. Vit. Luc. Veri, *βίους τραγικῶν καὶ κωμικῶν* scripsit. Suid. s. v. *Τήλεφος*. Sopater sophista, aequalis Caracallae, in quarto et quinto Eclogarum libro de tragicis comicisque poëtis egit. Phot. Bibl. 161. Eugenius, Anastasio regnante, scripsit *κωλομετρίαν τῶν μελικῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου ἀπὸ δραμάτων ιε´* . . Porro liber Amaranti Alexandrini *περὶ σκηνῆς* apud Athen. VIII. p. 343 F et X. p. 414 F commemoratur. Qui quidem post Jubae, quem commemoravit, tempora vixit. Est incerta Nestoris aetas, cujus *ὑπομνήματα θεατρικὰ* ab Athenaeo X. p. 415 A semel citantur. In quibus commentariis quod mentionem Herodori fecit, qui aetati Demetrii Poliorcetae suppar fuit, Athen. l. l., apparet, eum post illius aetatem vixisse. Rufus Apameensis *ποικίλην ἱστορίαν τραγικῶν τε καὶ κωμικῶν*, a Photio in Cod. 161 laudatam, confecit. Quem librum quod Sopater ille, de quo diximus, in usum vocavit, Rufus Caracallae saltem anteponendus est. Item Aristoclis Alexandrini de choris (*περὶ χορῶν*) laudatur scriptio, cujus locos bene longos Athenaeus IV. p. 174 C, XIV. p. 620 D, 621, 630 B, I. p. 22 A servavit. Quod opus non partem libri, quem idem de musica, Athen. XIV. p. 620 C, reliquit, sed singularem fuisse librum, ex eo intelligimus, quod octavus ejus

liber ibid. p. 630 commemoratur. L. Attius, quem Jonsius l. l. II, 13 ab insigni tragoediarum poëta non habet diversum, διδασκαλικὰ scripsit. Vide Madvig de L. Attii didascal. 1831. Cujus operis primum librum Aul. Gell. Noct. Attic. III, 11, 4, nonum Priscianus III. laudat. Similia fuerunt, quae Carystius Pergamenus, cujus aetatem ignoramus, Jons. IV, 11, περὶ διδασκαλιῶν literis mandavit. Athen. VI. p. 235 E. Et commentarius Chariclis περὶ ἀστικοῦ ἀγῶνος, Athen. VIII. p. 350 C, exstitit. Dionysodorus quidam ἐν τοῖς παρὰ τοῖς τραγῳδικοῖς ἡμαρτημένοις apud Schol. Vatican. ad Rhes. 499 laudatur.

Quam quidem scriptorum copiam paulliesper animo contemplatus quisque tam pauca nobis tamque tenuia relicta esse mirabitur. Et ipsae fabulae maturius etiam interierunt. Nam de Thespide dubitamus fabulas utrum egerit tantum, an scripto quoque ediderit. Bentlej. Opusc. p. 281, Wolf. Prolegom. p. LXIX, Welcker. Trag. Gr. P. I. p. 16. Letronn. Journ. des Savans 1838. p. 324 [1]), adeo ut res ad liquidum omnino perduci nequeat. At vero tragoediae Choerili ac Phrynichi, in quibus multa cum ad omnem poësis indolem incompta, tum ad dictionem erant durissima, si ullo tempore habuerunt aliquam gratiam, circa Aristophanis aetatem placere pridem desierant. Omitto Choerilum, poëtam adeo vetustum, ut modo auctor tragoediae, cf. Alexid. ap. Athen. IV. p. 164 C, Naek. Choeril. p. 5, modo princeps satyrici generis appelletur, quod et antiquissimum, neque ab incunabulis valde remotum fuit. Plot. ap. Choeril. p. 4. Item antiquitatem Phrynicho, cum propter miram carminum dulcedinem plurimis esset acceptus, nonnihil tamen offecisse, ex Aristoph. Vesp. 220 intelligitur. Nec poësis Pratinae diu viguit. Sed quid omnino de Thespidis, Phrynichi, Pratinae fabulis judicamus, qui quidem ἀρχαῖοι a vetustate nominati sunt? Athen. I. p. 22. Cum vero de ceteris, quando fabulae eorum perierint, quaestio suscipitur, duo poëtarum ordines praeprimis distinguamus oportet, unum eorum, qui nomen aliquod adepti sunt, alterum plane obscu-

1) Qui modis admodum diversis judicant. Ut Letronnius versum e papyro Musei Parisini profert, quem unum Thespidi censet assignandum esse. [Cf. Schneidewin Fragmente Griechischer Dichter, aus einem Papyrus des Königl. Musei zu Paris. 1838.]

rum. Et in hoc quidem alterum Achaeum, Alcestidem, Aristonem, Bionem, Carcinum seniorem, Dorillum, Euripidem seniorem, Hieronymum, Hippiam, Morsimum, Morychum, Nothippum, Pythangelum, Xenoclem nominemus, qui fabulas, quas ne aequales quidem probarunt, non admodum posteris commendavisse, neque ab eorum contemptione ac fastidio vindicasse videntur. Sed nihil de Apharei, vel Euphorionis obscuritate contendimus. Nam quae de illo feruntur, tam plena, tamque distincta sunt, ut posteritatem ejus oblivione non inobscuratam esse appareat. Et Clemens Alexandrinus in Stromat. V. p. 603 ex Euphorionis tragoedia duo versus deprompsit, si modo infra de librorum scriptura recte statuimus. Sed cum de interitu ceterorum quaeritur, indicia, quae nobis lexicographi praebent, nequaquam adhibere licet, propterea quod, cum unus alterum exscripserit, qui primus singulos locos e fontibus extulerit, certo nequit explorari. Post Aristotelem haud fere quisquam scriptorum fabulas Cleophontis, aut Polyidi vidit, ni Tzetzes tam tragoedias hujus, quam dithyrambos novisse putatur. Non ita multo post Philocles ac Timesitheus in oblivionem venerunt. Extremi enim eorum, a quibus olim commemorati erant, haud dubie sunt ii, quibus didascaliae vindicantur, qui et fabulas hujus nominatim dinumerasse et Pandionidem illius, primo ejus versu apposito, ut apud Scholiast. ad Aristoph. Av. 282 legimus, commemorasse videntur. Nec Meleager Antiphontis ante grammaticorum aetatem intercidit; hunc enim Adrantus fertur grammaticus explicuisse. Sed Plutarchus, qui circa ann. 98 post Chr. nat. floruit, quemadmodum elegos Melanthii ad manus habuit, sic tragoedias ejusdem, e quibus unum laudat versiculum, haud dubie adhibere potuit. Recentissima Achaei, Aristiae, Ionis, Stheneli que vestigia in Athenaei aetatem cadunt. Nec Stobaeo tragoediae Agathonis, Aristarchi, Astydamantis, Carcini, Chaeremonis, Dicaeogenis, Diogenis, Iophontis, Neophronis, Theodectis defuerunt. Ducentis fere post annis Antonius opera Diogenis, Dionysii, Moschionis invenit. Sed insignem re vera fortunam tragoediae Critiae tyranni expertae sunt. De quibus cum veteres ambigerent, utrum Euripidi eas, an Critiae adscriberent, haec dubitatio tantum favorem iis conciliavit, ut diu cum Euripidis operibus servarentur. Has enim Gregorius Corinthius ob ocu-

los habuit, cum longum Pirithoi locum in Commentar. ad Hermogen. T. VIII. p. 948 proposuerit.

Nunc alterum sequitur, ut de praesidiis dicamus. Itaque Grotius fragmenta tragicorum et comicorum in unum collegit. Qui cum hoc maxime sequeretur, ut locos cum ad moralia praecepta commendanda, tum ad indolem poëtarum declarandam utilissimos colligeret, idque, non omnibus undique comportatis, intellexisset fieri posse, nec minuta proposuit fragmenta, neque cunctos adhibuit fontes, e quibus materiem haurire debebat. Attulit autem versus Achaei p. 440, Agathonis p. 436, Antiphontis p. 438, Aristarchi ibid., Astydamantis p. 440, Carcini p. 450, 1003, Chaeremonis p. 844, Critiae p. 452, Dicaeogenis p. 442, Diogenis ibid., Dionysii p. 444, Ionis p. 448, Iophontis p. 577, Melanippidis p. 454, Melanthii ibid., Moschionis p. 920, Neophronis p. 454, Theodectis p. 444. Quos ut inveniret, Platonem et Aristotelem legit, Scholiastas eorum adjunxit, Philonem, Plutarchum, Sextum Empiricum, oratores, rhetores, historicos Graecorum adhibuit, Aelianum, Athenaeum, Scholiastasque et tragicorum et Aristophanis inspexit, neque Athenagoram, Clementem, Justinum, Theophilum aliosque neglexit scriptores Christianos. Unde hoc opus, si nobis in nostram rem nequaquam sufficere intelligimus, ne id quidem, quod singulis locis exspectamus, recta aut emendandi, aut explicandi via consecutus est. Namque cum vires ingenii periclitari potius, quam fidem, vel consensum librorum explorare cuperet, idemque non omnia uno in conspectu videret, fragmenta sibi saepissime corrigenda ratus, audacius exstirpavit, quae suspicioni nullum locum relinquebant, et alia ingeniose ad suum arbitrium mutavit, quae ad normam longe aliam erant revocanda. In quo sic sibi indulsit, ut verba versibus adstrinxerit, in quibus ne minimum quidem appareret numerorum vestigium. Cujus rei, a Valckenario in Diatrib. p. 3 A, p. 195 C pridem animadversae, nos unum extulerimus exemplum. Apud Clement. Alexand. Strom. II. p. 407: ὅθεν, ὡς ἔλεγεν Ἀρίστων, πρὸς ὅλον τὸ τετράχορδον, ἡδονὴν, λυπὴν, φόβον, ἐπιθυμίαν πολλῆς δεῖ τῆς ἀσκήσεως καὶ μάχης·

> οὗτοι γὰρ οὗτοι καὶ διὰ σπλάγχνων ἔσω
> χωροῦσι καὶ κυκλῶσιν ἀνθρώπων κέαρ.

Unde scripsit:

πρὸς τὸ τετράχορδον δ' ὅλον
τὴν ἡδονὴν, ἐπιθυμίαν, λύπην, φόβον
ἀσκήσεως γε καὶ μάχης πολλῆς δέει,
οὗτοι γὰρ οὗτοι καὶ διὰ σπλάγχνων ἔσω
χορεῦσι καὶ κυκῶσιν ἀνθρώπων κέαρ.

Quos versus, cum Aristonem, ut in Not. p. 962 ait, inter tragicos non invenisset, Agathoni conjectura adscripsit. Quo quid potest audacius, quidve magis ingeniosum cogitari?

Sed longe gravius auxilium ab iis nobis exspectandum est, qui omnem literarum Graecarum historiam percurrentes memoriam tragicorum attingere cogebantur. Ut Lilius Gyraldus, Ferrariensis, exemplo Politiani motus, de iis quoque poëtis in juvenum utilitatem scribere ingressus est, quorum opera interierant. Nec quisquam opus suscepit unquam utilius, aut reliquit perfectius. Quemadmodum enim ex tritissimis quibusque fontibus omnia hausit, sic ad cognoscendum se retulit, quid bonae frugis tam scholiastae praeberent, quam vetusta haberent lexica, ut ea, quae recentiores, cum in hunc locum incidissent, disputarunt, ex hoc libro Gyraldi fluxisse, aut eo duce collecta ac disposita videantur, utque ceteri, si vestigia hujus premere voluissent, jamdudum memoriam poëtarum intermortuam renovassent. Nam cum tanta hominibus crudelitas tum atque religio esset, ut ambiguam fidem dubitarent narratiunculis denegare, Gyraldus adeo veritatis indagandae expers fuit, ut ne fraudes quidem in literis vel gloriae, vel ostentationis caussa detrectarit. Cf. Huschk. Praefat. ad Tibull. p. XI. Post eum Mart. Ant. Delrius prolegomenis in Senecae tragoedias centum duodetriginta poëtas tragicos dinumeravit. In quo catalogo, quamvis a Gyraldo nonnulla mutuatus, alia tamen e suis scriniis addidit, alia correxit a duce temere peccata. Non ita multo post Joh. Gerh. Vossius de temporibus veterum poëtarum scripsit. Qui haud facile quenquam judicavit eandem inituram esse provinciam, quam Gyraldus, egregio ingenii, judicii, doctrinae, industriae specimine dato, reliquisset. Cf. Voss. de Poët. p. 82. ed. Amst. Quare catalogum ejus paullo exiliorem, quam ipsius Gyraldi habemus, a quo vel menda recepit, quae Delrius ante notaverat. Quos quidem Fabricius cum cupide sequeretur, multa contendit, quae pro illa doctrinae copia ac studiorum ratione

refellere debebat; alia passim a doctis hominibus memorata, vel potius correcta religiose congessit, sive pugnabant inter se, sive conciliari poterant; ipse vero pauca rarissime correxit, tanta in hoc modestia usus, ut vix dispiciamus, quid verum habuerit. Nimirum opiniones doctorum hominum conquisitas exhibere voluit, quo majus otium tantis laboribus necessarium nancisceretur quoque largiorem doctrinae copiam nec certis regulis coërcitam, nec opinionibus suis fucatam suppeditaret. Quare nemo miretur, quid e sententiis aliorum eos quoque tragicos numeraverit, quorum operam videbat in tragica poësi omnino nullam fuisse. Post Barthelemius, cum historiam theatri Graeci proponeret, de Agathone, Astydamante, Dionysio, Ione, Philocle, Phrynicho retulit, quae nec per se gravia sint, neque in unum conjuncta, aut vitam, aut poësin eorum satis illustrant. Voyage du jeune Anach. Chap. 69. Nec quidquam Gruppio potius fuit, quam ut ex omnibus vetustatis libris diligenter anquireret, quid singuli poëtae in arte praestitissent, quam per singulas historiae aetates illustrare volebat. Ariadn. p. 716. Verum enim quamvis copiose de nonnullis eorum disputaverit, tamen nec fontes dolemus ab eo indicatos, e quibus videtur sua fere duxisse, nec rationes communicatas, neque argumenta nobis monstrata esse, quibus fortasse vel judicia, vel suspiciones, vel opiniones defendere potuit. Hi autem libri, cuicuimodi sunt, quam raro, quamque leviter ab iis in usum vocati sunt, qui nuper omnem rerum, quae ad Graecas literas pertinent, historiam scripserunt! Quemadmodum Frid. Aug. Wolfius e trecentis, quos in scena floruisse tragicos censet, Praelect. de Hist. Liter. Graec. p. 255, praeter coryphaeos Achaeum, Agathonem, Ionem, Iophontem nominat, omissis aliorum nominibus, quanquam multo digniores Iophonte erant, de quibus propter rerum seriem disputaret. Est quidem longe major eorum copia, quos Passowius in Lineament. Hist. Gr. Liter. p. 86 numeravit. Sed is brevissime scripsit, nec vitia removit, quae, si monumenta, quae de iis loquuntur, prudentius consuluisset, facillime depellere potuisset. Sunt, quorum mentionem Schoellius injecerit; sed is alios silentio praeteriit, ut nobis rationem, quam in delectu eorum secutus est, nec videre, neque probare, aut refellere liceat. Apud Groddeckium denique nonnulla de principibus, de familiis eorum

de illisque leguntur, qui honore canonis ornati sunt. Sed hi omnes quaecunque scripserunt, cum non singulari studio undique eruta, nec diligenter composita, nec assidua ac diuturna contemplatione elaborata, sed ab uno ad alterum translata videantur, facilius studium quaestionis copiosius atque amantius repetendae excitant, quam desiderio eorum respondent, qui rem omni ex parte exploratam cognoscere cupiunt. Nec vero duumviri summi nominis, Odofredus Müllerus et Godofredus Welckerus, cum historiam tragicorum diligentius coepissent cognoscere, hoc studium ita persequi voluerunt, ut nihil in omni disputatione desideraretur. Nam is, quem primo loco nominavimus, cum scriptionem de historia literarum Graecarum confecisset, quae multa diligenter elaborata; quaeque memoriam poëtarum sexcentis fragmentis aliisque illustratam locis comprehendit, hanc literarum jacturam adeo sibi non refecisse videbatur, ut laborem, quem nos nunc absolvimus, in commodum literarum cognitionis subiri ac perfici admodum cuperet. Nihilominus alter Welckerus sibi et titulos fabularum indicandos et fragmenta in iis poëtis explicanda fuisse fatetur, quorum historiam infra enarrabimus; alia vero se aliis ad disputandum integra reliquisse. Tragoed. Gr. P. III. p. 887.

Quibus quidem fontibus ac praesidiis quomodo ad historiam tragicorum Graecorum scribendam usi fuerimus, exponere non longum est. Nam cum perfectam disputationem, quae locum omni ex parte illustraret, vix fieri posse appareret, nil vero, quod ex historiae monumentis certe exploratum esset, tam leve ac minutum haberemus, e quo probabilis effici nequiret conclusio, quae vel damnum fontium reficeret, vel sterilitatem resarciret; omnes res, quae huc pertinent, ita explanavimus, ut non solum veritati, verum etiam copiae hujus libri bene prospiceretur. Quare nihil omissum est, quod aetatem poëtarum declararet, quodque vel vitas eorum, vel poësin posset adumbrare. Exposuimus enim, qualia singuli argumenta delegissent, quomodo ea exornavissent, quo dicendi genere, quibus metris usi fuissent, quibusque tibiarum vel numeris, vel modis. At vero de singulari fabularum compositione nihil fere addidimus, quanquam indoles poësis in ea maxime cernitur. Nam ii scriptores, qui mythos narrarunt, plerumque principes sequuntur. Est quidem, ubi alios poëtas ob oculos habeant.

Sed cum res, quas ab iis sumpserunt, a pluribus poëtis tractatae sint; proprietates, quibus distinctae videntur, certis poëtis tribuere dubitaveris. Est autem alia fabularum ratio, quam nos nusquam neglexisimus. Quemadmodum enim nonnulla argumenta, utcunque demum ornata videantur, praeprimis misericordiam movent, sic alia terrores excitant, alia libidines stimulant, quamvis a tragoediae fine longe aberrent. Quae disputationis pars cum ad aetatem, cui talia praeprimis placuerunt, tum ad ingenium poëtarum cognoscendum utilissima est. Quas autem rationes quaeque argumenta habemus, quibus sententiam et in his, et in aliis rebus probavimus? Nimirum levissima fortasse eaque non admodum certa pro gravissimis et compertis attulimus, quo res obscurae, incertae, dubiae cupidius, quam verius confirmarentur. At caussa non latet, quare hoc ita instituimus. Neque enim largam invenimus quaestionis materiem, ut omnia, quae scire cuperemus, e certis historiae monumentis petere, aut argumentis probare liceret, qualia contemplatio totius rei continet. Atque haec sunt gravissima, quod ex ipsa rerum natura ducuntur. Objecerit fortasse quispiam, nullum suspicioni locum esse, cum leviora in disceptationem cadant, etiamsi gravissimis in rebus adhiberi possit. At leviora non sunt, ubi graviora deficiunt; nec quidquam per se tam leve est, quod, si cum aliis rebus, ad quas attinet, recte conjungitur, nullam plane afferat utilitatem. Et si ea, quae plenam hominum fidem habent, diligentius examinaveris, ab historicis vulgo plura narrata invenias, quae tum ad veritatem, tum ad probabilitatem his ipsis, quae de tragicorum historia disputabimus, haud dubie longe postponenda sint.

Sed exsistent fortasse nonnulli, qui majorem in disputando brevitatem, aut concisius dicendi genus exspectent, in quo nec desideretur quidquam, quod ad rei cognitionem necessarium sit, rerumque copia verborum copiam gignat. At hi totam quaestionis difficultatem mihi, cum juvenis essem, impositam reputent. Nam dubito, num opus ullo in genere confestim ita perfici possit, ut, qui primus quaestionem de certa re moverit, idem, cum perfectiores aliae disciplinae videantur, absolverit eam omnibus statim numeris, ut omnino laudari possit. Atque integra res mihi tractanda fuit. Nam ut levia, de quibus dictum est, praesidia omittam, mirabili sane hoc casu accidit,

ut tertiam libelli, quem Welckerus de tragoedia Graecorum edidit, partem non ante nanciscerer, quam opus confectum Ill. Societati proposuissem. Quam si maturius bibliopola mihi misisset, non modo egregium opus in usum vocare, sed tempus etiam, quod molesta locorum collectione consumptum est, in majorem disputationis perfectionem impendere potuissem. Nec similis Bodii *) scriptio opportune mihi oblata est. Unde non solum incommoda, quae diximus, nata sunt, sed evenit etiam, ut res, quas singulari industria videbar mihi reperisse, ab iis dudum expositas legerem. Quod non ea de caussa commemoro, tanquam laudes, quas ii consequi solent, qui res novas et a se inventas in medium afferunt, ab ornatissimis viris praereptas mihi doleam, sed ne qui moleste ferant, quod neque suum cuique tribuerim, nec iis sententias assignaverim, quibus eas deberi existimant. Nam, ut eas rationes omittam, de quibus Muret. Oper. T. II. p. 967 unus omnium optime judicavit, cum ea, quae illi docuerant, cum hac scriptione conferrem, cogitationes a tempore gigni mihi persuasum est, quanquam eas homines eloqui viderentur.

Sed facere non possum, quin duobus viris eruditissimis mihique familiaritate conjunctissimis publice gratias agam, quantumque iis debeam, ingenue profitear. Nam cum copia librorum, quae in tanta quaestione desideratur, in bibliothecis urbium, in quibus forte versabar, mihi non fieret, Winiewskius, professor regius, qui bibliothecae Monasteriensi praeest, et Vorwerkius, praeceptor archigymnasii Susatensis, ad quem cura copiosae bibliothecae pertinet, quidquid postulabam, summa liberalitate atque humanitate mihi praebuerunt. Qui si officium mihi detrectassent, nihil efficere potuissem.

Scripsi Retbergae Westfal. ann. MDCCCXLII.

---

*) [Geschichte der Hellenisch. Dichtkunst v. G. H. Bode. Vol. III. P. I.]

INDEX.

P. II.

DE TRIBUS POETIS PRAECLARISSIMIS.

P. III.

DE POETIS DETERIORIBUS, QUI MAXIMAM PARTEM AEQUALES EURIPIDIS FUERUNT.

HISTORIA CRITICA

TRAGICORUM GRAECORUM.

Ex quo gravissimam et jucundissimam antiquitatis cognitionem in eo maxime versari perspectum est, ut eruamus, quidquid in rationibus culturae ac literarum elaborandis tam singuli scriptores, quam universi effecerint populi, cum speciem cujusque scripturae generis idque singulis historiae aetatibus intuentes perfectiorem in dies aut poësin facerent, aut solutam orationem; res ipsa non eos modo scriptores, quorum libros superstites habemus, cognoscendos, sed memoriam aliorum renovandam esse loquebatur, quae oblivione pridem obruta fuit. Quare multi nostrorum hominum in epicam inquisiverunt, aut melicam Graecorum poësin; alii explorarunt, quantum iidem in historiae atque orationum compositione praestitissent quamque de philosophicis et grammaticis quaestionibus subtiliter docteque instituendis bene meriti essent. Sed scenicae artis contemplatio ab historicis diu repudiata est. Neque enim diu est, ex quo Meinekius, cum de comica Graecorum poësi antea multa dispersim disputavisset, historiam comicorum Graecorum scripsit, a quibus comoediam aut inventam perfectamque, aut corruptam esse accepimus. Et longe indignior etiam miseriorque videtur fortuna, quam tragoedia invenit. Nam etsi Bentlejus, Grysarius, Hermannus, Jacobsius, Schneiderus, Welckerus, inprimis illustres viri, docuerunt, quam originem hoc genus habuisset, quaeque prima incrementa cepisset, nec eorum virtutes, quas Alexandrina pleias comprehendit, a Naekio ac Nagelio declaratae, in obscuro jacent; omnes tamen, qui cum coryphaeis floruerunt quique artem post mortem eorum afflictam sustentaverunt, nullum omnino lumen doctarum quaestionum habent. Quanquam non pauci virtutes tragoediae Graecae laudant, velut ea Graeci tantum ipsi sese superaverint, quantum omnibus populis praecellant omni literarum genere. Qui cum principes solum re-

spiciant, aut divinam Aeschyli majestatem mirantur, aut grave, pressum, splendidumque genus dicendi collaudant, quo Sophocles utitur, aut artem Euripidis intuentur, qui moralibus sententiis abundet, artes rhetorum varie misceat, quique ad animos spectatorum misericordia commovendos maxime idoneus sit. Vide Dionys. Halic. de Vet. Script. Cens. 10, 11. Quintil. Inst. Orat. X, 1, 66. Arist. Poët. 13, alios. Qui quidem, si saepius et accuratius de virtutibus, quas jactant, secum cogitassent, e populo, cui principes originem debent, haud dubie multos vidissent praeclarosque poëtas prodiisse, quorum cognitio cum jucundissima per se atque utilissima esset, tum ad historiam literarum intelligendam necessaria haberetur. Quemadmodum enim carmina Homeri poëtas ante ipsum non paucos floruisse significant, Cic. Brut. 18; ita perfectio Aeschyliae poësis magno deberet argumento esse, multos ante ipsum tragicos poëtas in Graecia fuisse, qui artem vel invenirent simul, vel excolerent, etiamsi literae de Thespide, Choerilo, Pratina, Phrynicho plane conticuissent. Summa vero gratia, quam Aeschylus a populo fabulis iniit, permultos in scenam alliceret necesse fuit, qui, cum clarissimum ducem sequerentur, non essent indigni, ut cum eo contenderent, aut compararentur. Nec aliter de studiis Sophoclis atque Euripidis judicamus. Nam illum sive in ducis locum adscitum, cum Antigonam dedisset, sive tanta apud Lacedaemonios auctoritate valuisse meminimus, ut Lysander inducias Atheniensibus concesserit, per quas funere Sophoclem possent efferre; tot tanti favoris documentis facillime viri permoti sunt, ut vel divinae poësis amore, vel cupidine honoris gratiam eadem via inire cuperent. Et gloriam Euripidis alibi attingemus. Hic autem honor, hoc studium tantum abest, ut cum morte eorum exstinctum sit, ut ars, quam Athenienses initio soli coluerunt, ex urbe profecta ad alias gentes pervenerit, quae tum demum coeperunt theatra exstruere. Accessit, quod Athenienses tragoedias mortuorum principum agendas decreverunt. Quare memoria eorum apud recentiores tantum valuit, ut plurimi tam studium hujus artis amplecterentur, quam ad eorum imitationem se accommodarent. Verum enim ex reliquiis tragicae poësis non solum multitudo, sed virtutes quoque eorum cognoscuntur, quorum opera interciderunt. Nam ut principes prae ceteris longe excelluerint,

tamen a populo omnique poëtarum grege ita secernendi non sunt, ut ipsi per se putentur magni fuisse. Nimirum virtutes Graeci ingenii indolisque Graecae cum ceteris aemulis communes habuerunt. Porro quid alios, cum principes imitarentur, nec vim orationis ab Aeschylo sumpsisse, neque ad Sophoclis subtilitatem adspirasse, nec philosophicam Euripidis eloquentiam expressisse censemus? Qui si mediocres omnino aut contemptione digni fuissent, cum excellentissimis coryphaeis certamen nec subiissent, neque sustinuissent, nec vero victoriam de iis reportavissent. Sed quid plura de poëtarum copia disputamus; quam ipsa antiquitatis monumenta significant? Quemadmodum Dionyso de miserrimo statu tragoediae querenti Hercules Aristoph. Ran. 89:

οὔκουν ἕτερ' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια,
τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μύρια,
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα;

Cui de multitudine quidem ille l. l. v. 92 sqq. consentit. Item Tzetzes in Prolegom. ad Lycophr. Cassand. praeter veteres tragicos eosque poëtas, qui in canonem recepti erant, alios memorat sexcentos: *καὶ ἕτεροι μυρίοι νέοι.* Ac Delrius tragicos, quorum memoria exstet, centum et duodetriginta numerat, Proleg. ad Senec. Tragoed. c. IX. Trecentos autem fuisse Fr. Aug. Wolfius in Praelection. de Hist. Lit. Gr. p. 255 existimat. Quae cum ita sint, hoc libro est instituta et suscepta nobis de iis tragicorum disputatio, qui ab Aeschyli aetate usque ad Alexandrum Macedonem fuerunt, omissis principibus, quorum historiam plurimi copiosissime scripserunt.

Examinemus igitur catalogum, quo Fabricius tragicos dinumeravit; videamus, utrum, quos illo loco appellavit, hoc in genere omnes haberi, an nonnulli eorum in alium ordinem restitui debeant. Is vero primum tragoedos, ut Aeschinem [1]),

---

1) De hoc Vossius de Poët. Gr. p. 53: „*Aeschines Atheniensis, priusquam ad eloquentiam ac rem publicam animum appelleret, tragicus poëta fuit.*" Quod nec Delrius rejecit, neque Fabricius in Biblioth. Gr. T. II. p. 281. Sed scripta veterum nihil de ejus tragoediis, multa de actione tragica habent. Pseudo-Plutarch. in Vit. Dec. Orat.: *λαμπρόφωνος δὲ ὢν τραγῳδίαν ἤσκησεν, ὡς δὲ Δημοσθένης φησίν, ὑπογραμματεύων καὶ τριταγωνιστῶν Ἀριστοδήμῳ ἐν τοῖς Διονυσίοις διετέλει ἀναλαμβάνων ἐπὶ σχολῆς τὰς παλαιὰς τραγῳδίας.* Hic igitur personam tritagonistae dicit

Andronicum, Apellem, Archelaum, Archiam, Athenodorum, Callippidem, Clementem, Demetrium, Hegelochum, Heraclidem, Iasonem Trallianum, Myniscum, Neoptolemum, Polum, Satyrum, Theodorum, Thessalum inepte cum tragoediarum scriptoribus conjunxit, aut perturbata catalogi ratione aut usu vocis *τραγῳδός* deceptus, quae saepius cum *τραγῳδοποιός* confusa est [1]). Nihilominus ii a tragicis poëtis sejungendi sunt, qui non tragoedias fecerunt, sed ea literis mandarunt, quae ad naturam historiamque earum pertinebant. Quo in numero Aristoxenus, Asclepiades [2]), Callimachus, Demaratus, Dicaearchus, Didymus, Duris, Hephaestio, Heraclides, Hieronymus aliique fuerunt scriptores. Cum veteres philosophi et grammatici, duo poësis genera, unum tragicum esse, alterum vero comicum voluissent, nec epicis, aut melicis carminibus, quae quidem non essent ludicra, gravitatem ac sublime dicendi genus deesse

---

ab eo in vetustis, id est, alienis fabulis susceptam esse. Et Oenomaus Sophoclis fuit, quem agens pessime stetit. Demosth. de Coron. p. 372. Vit. Aesch. Anon. Hesych. s. v. *τριταγων*. Similiter Demosthenes l. l. p. 447. Aeschinem fecit versus recitare, quorum unus ex Euripidis Hecuba prolatus est. Sed vide etiam Philost. Vit. Soph. Cic. de Rep. ap. Augustin. de Civit. Dei II, 10. Grysar De Graec. tragoed. qual. circ. temp. Demosth. fuit p. 38 et 39.

1) Itaque non modo veteres, Aelian. Var. Hist. XIV. c. 40. Valcken. Diatrib. p. 182 A., sed etiam recentiores mutatione, quam vis potestasque vocis *τραγῳδός* sensim experta est, adeo perturbati videntur, ut dubitarent, eos, qui *τραγῳδοί* vocantur, utrum tragicos histriones numerarent, an poëtis vero adscriberent. Nam id vocabulum proprie tragicum actorem significat. Ammon. s. v. *τραγῳδοὶ καὶ κωμῳδοὶ καὶ τραγῳδοποιοὶ καὶ κωμῳδοποιοὶ διαφέρουσι. τραγῳδοὶ μὲν γὰρ καὶ κωμῳδοί εἰσιν οἱ ὑποκριταὶ τῆς κωμῳδίας καὶ τραγῳδίας, τραγῳδοποιοὶ δὲ καὶ κωμῳδοποιοὶ οἱ ποιηταὶ τῶν δραμάτων*. Quod is optime contra eos docuit, qui tam actores, quam scriptores fabularum hoc nomine appellaverant. Cujus rei ab Aristotele ducamus initium, qui in Poët. 22, 8: *ἔτι δὲ Ἀριφράδης τοὺς τραγῳδοὺς ἐκωμῴδει* ait, si quidem is locus a philosopho nequit abjudicari. Cf. Dionys. Halic. de Vet. Script. Cens. 9, Athen. II. p. 35 D., Hermogen. *περὶ μεθόδ. δεινότ.* p. 68. ed. Sturm., Polyaen. Prooem. p. 7, Schol. ad Aristoph. Ran. 86. Adde usum Quintiliani I, 8, 6.

2) Asclepiadem certe, de quo supra diximus, poëtam tragicum habuit Gyraldus de Poët. Hist. VII. p. 284. Vossius p. 45: „*Asclepiadis, tragoediarum scriptoris, qui Isocratis fuerit discipulus, meminit Plutarchus.*"

vidissent, quod tragoediae inprimis proprium est, plures poëtae melici atque epici inter tragicos falso relati sunt. Qua de re infra plura exponentur. Unde hoc judicium, in quo nulla historiae pars latet, historici quidquam momenti habere non potest. Quare Fabricius falso Arionis, Pindari, Empedoclis, Xenophanis nomina huc transtulit. Haemonem, quem ipse poëtam non esse, sed personam Sophocliae fabulae vidit, superiores ea de caussa receperant, quod versibus non tam poëtarum, quam personarum nomina in veterum scriptis apposita sunt. Valcken. Diatrib. p. 198 A., 151 A. Simili errore Adrastum et Alcmaeonem in hunc alienum ordinem inculcarunt. Fabric. l. l. p. 283. Item Sylburgius, cum Clementem in Stromat. p. 716 non satis recte intellexisset, Amphionem tragicum numeravit.

Quae postquam in Fabricio facillime notavimus, ad alia eaque graviora refutanda aggredimur, quae partim majorem prae se speciem veri ferant, partim luculentis veterum testimoniis confirmari videantur. Quo ex genere primum comicos poëtas nominemus, quorum inter tragicos plurimi relati sunt. Nam comoediae medii generis, quod dicunt, tam nomina, quam argumenta cum tragoediis habuerunt communia. Meinek. Hist. Crit. p. 283. Roeder. De trium, quae Graeci col. etc. V, 3. Quod in summa rei scenicae obscuritate cum et veteres grammatici nescirent et recentiores ignorarent, non solum fabulae comicorum ab his in tragoediis habitae, sed ab illis quoque testimonia, in libris scriptorum saepenumero corrupta sunt. Hac enim de caussa alii Apollophanem [1]), alii Eubulidem [2]), alii Euthyclem [3]) putabant in tragicis fuisse. Quos nunc

---

1) Hunc unum e comicis fuisse Vossius l. l. p. 49, Grotius Exc. p. 638, Thom. Gatakerus Oper. Crit. p. 492, Fabricius l. l. p. 284 consentiunt. Sed Daulidem ejus pro tragoedia habuit Delrius.

2) Gyraldus l. l. Et quanquam ei Colomesius nequaquam suffragatus est, tamen Delrius Eubulidi, Milesio, Megarico philosopho Diogene L. II, 10, 6 teste, multas tragoedias tribuit. Sed is, utcunque locum (ἐποίησε δὲ καὶ τραγῳδίας πλείους, ἐν αἷς εὐδοκίμει κατὰ τοὺς ἀγῶνας) expediveris, ipse non fuit a comico diversus. Meinek. Hist. Crit. p. 421.

3) Fabricius in hunc errorem deductus est, quod in fabulis ejus Atalantam invenerat. Sed Harlesius longe aliter de eo judicavit.

omnes videmus in locum suum rediisse. Sed illud quoque vitium, quod in libris admodum frequens est, qui τραγικός et τραγῳδία pro κωμικός et κωμῳδία habent, a grammaticis ducamus oportet, qui eadem similitudine nominum errarunt [1]. Ut de Cephisodoro Suidas s. v. Κηφισόδωρος, Ἀθηναῖος, τραγικὸς τῆς ἀρχαίας τραγῳδίας. Quae Eudocia in Violar. ap. Villoison. Anecdot. T. I. p. 270 ad verbum exscripsit. Atqui caussa et ratio erroris haud quenquam facile fugerit. Nam sicut nomina fabularum, quas scripsisse fertur, in tragoedias vix unquam videntur quadrare potuisse, ita modo cum tragicis conjunctus, Athen. XIV. p. 629 C., modo comicus diserte appellatus est, Athen. XI. p. 459 A. Jul. Polluc. IV, 24. Sed quae vetus tragoedia dicitur? An grammaticus divisionem ab Alexandrinis profectam spectavit, eosque poëtas intellexit, quos illi ad primum tragicorum ordinem (τὴν πρώτην τάξιν) retulerant? Minime. Nec vero idem poëtam, qui Ol. 94, 3, Meinek. H. C. p. 267, comoediam docuit, illis adscribere potuit, qui veteres olim appellabantur. Athen. I. p. 22 A. Quare quanquam res longa oratione non eget, ut errorem, in quem Suidas et Vossium p. 36 et Jonsium de Script. Hist. Ph. I, 13, 1 induxit, plane deponamus, praesertim cum is a Delrio, Meursio, Meinekio pridem refutatus sit; ipsa tamen ratio loci tam originem mendi, quam medicinam, qua tollitur, optimam indicat. Nam, ut Meinekius H. C. p. 267 voluit, scribimus: Κηφισόδωρος Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. Nec vero ulli grammaticorum hoc mendum fortuito excidit; sed meditatum id cogitatumque inculcavit, quicunque Amazones fabulam, idque non improbante Delrio, pro tragoedia habuit. Strattis Atalantam, Myrmidones, Phoenissas reliquit. Itaque Suidas s. v. Στράττις Ἀθηναῖος τραγικός, quod Eudocia p. 385 recepit. Sed eum nihilosecius comicum fuisse et Hugo Grotius Exc. p. 878 sibi persuasit et alii omnes probarunt. Atqui cum omnes Suidae libri, de quibus rescivimus, eam lectionem praebeant, idque mendum Eudocia vetustissimum

1) Exempla, quae ap. Casaubon. de Sat. Poësi I, 5. p. 148, Bentlejum Opusc. p. 63 (ed. Lips.), Meinekium Hist. Crit. p. 340, 521, 524 invenimus, cum inter se, tum ab his, quae proposuimus, longe discrepant. Nam alia habeat aliam originem.

esse demonstret, errorem grammatici cum Meinekio Hist. Crit. p. 223 refellere, quam τραγικός in κωμικός mutare malumus, propterea quod, quamvis fides singulis scriptorum locis denegetur, menda tamen, quibus abundare videntur, litura non licet corrigere. De Lysippo, comico poëta, Eudocia p. 282: Λύσιππος τραγικός. Quaeri jam potest, an Delrius Proleg. in Senec., Fulv. Ursinus in Eclog. p. 282, Vossius p. 91, qui hunc auctoritate Athenaei ac Suidae tragicum faciunt, additamentum τραγικός, quod Eudocia nonnisi ab eo sumpsit auctore, quem ubique sequitur, in vetusto libro Suidae invenerint, cum a vulgatis exemplaribus absit 1).

Quemadmodum vero comoediarum titulis decepti nonnulli comicos poëtas in numero tragicorum habuerunt, ita dithyrambos propter ipsam nominum, quibus inscripti fuerunt, similitudinem aut communem in utroque poësis genere usum, Odofr. Müller. Hist. Lit. Gr. T. II. p. 290, miramur permultis ansam errorum dedisse, ut cum tragoediis temere confunderentur. Est enim hoc in errore Grotius, cum Melanippidem quendam, sive is major, sive minor natu poëta est, tragicum perhibeat. Excerpt. p. 455. Qui cum Persephonam fabulam laudat, rationes, quibus carmen tragoediam tragicumque fuisse poëtam declaret, nullas omnino affert. Sed versus proposuit, quos apud Clement. Alex. Strom. V. p. 602 D. legimus:

κλῦθί μοι, ὦ πάτερ θαῦμα βροτῶν
τᾶς ἀειζώου ψυχᾶς μεδέων.

Verum enim Clemens neque carmen accuratius significat, e quo locum desumpsit et Melanippidem μελοποιόν vocat; ipsum vero fragmentum, sive sententiam spectamus, sive versuum ac dialecti indolem 2), majorem vel hymni, vel dithyrambi,

---

1) Est enim inprimis mirabile, quod Athenaeum ac Suidam auctores hujus rei faciunt. Voss. l. l.: „Lysippus tragicus Athenaeo et Suidae memoratus." Lysippum uterque commemorat; eundem tragicum neuter perhibet. Nam, ut de Suida taceam, Athenaeus duobus locis eum commemorat, idque uno eum cum comicis jungens, Athen. III. p. 124, altero eum diserte comicum appellans. Athen. VIII. p. 344.

2) Quod multis demonstrare non opus est. Item duo fragmenta, quae sunt apud Athenaeum l. l., et Doricis formis et varietate metrorum distincta sunt. Quartum, quod Stobaeus habet, Heynius l. l. bene correxit.

quam tragoediae similitudinem habet. Nec aliter melicam indolem in ceteris fragmentis invenimus. Stob. Eclog. Ph. I. p. 129 (ed. Cant. 52. ed. Heeren.), Athen. XIV. p. 616 C.; ibid. p. 641 F. Quare cum nihil sit, quod Melanippidi tribuamus tragoedias, opinionem Grotii, quam neque Heerenius ad Stob. Ecl. Ph. improbavit, neque Heynius ad Apollod. p. 1048 explosit, valde dubitamus confirmare. Quam mirabilis enim fortunae casus ita tulisset, ut, cum fragmenta ceterorum tragicorum e dialogis fere petita sint moralesque iis sententiae contineantur, chorica tantum Melanippidis carmina nobis antiquitas relinqueret, si id verum esset, quod isti contendunt, eum in tragica poësi elaboravisse. Sed maximi sunt momenti gravissimique ponderis ea, quae Suidas s. vv. de utroque Melanippide refert. Nam is tragoedias senioris Melanippidis, si quas unquam cognitas habuisset, sine dubio nominatim appellavisset, quoniam opera ejus ex optimis fontibus accurate dinumerat, nec genus, quod tanti habebatur, verbis *καὶ ἄλλα πλεῖστα* universe significasset. Ait enim: *Μελανιππίδης Κρίτωνος, γεγονὼς κατὰ τὴν ξέ ὀλυμπιάδα, Μήλιος. ἔγραψε δὲ διθυράμβων βιβλία πλεῖστα καὶ ποιήματα ἐπικὰ καὶ ἐπιγράμματα καὶ ἐλεγεῖα καὶ ἄλλα πλεῖστα.* Idem, si tragoedias junioris cognovisset, eum non *λυρικόν*, sed *τραγικόν* nominavisset. Quare Müllerus in Hist. Liter. Gr. T. II. p. 284. 290 nobiscum facit. Omitto de Philoxeni Cyclopè plura disputare. Qui dithyrambusne fuisset, an tragoedia, cum propter nomen, quod cum fabula Euripidis commune habuit, aut ea de caussa quidam dubitassent, quia aliquid veri apud Scholiast. ad Aristoph. Plut. 246 [1]) et Suidam s. v. *τρεττανελό* sibi invenisse videbantur, qui et poëtam tragicum numerant et fabulis carmen accensent, a plerisque nuper in ordinem dithyramborum relatus est, ut locus dubitationi haud ultra relinquatur.

---

1) Non unus grammaticus hoc scholion scripsit. Sed primum legimus: *διασύρει δὲ Φιλόξενον τὸν τραγικόν*, mox vero: *Φιλόξενον, τὸν διθυραμβοποιὸν ἢ τραγῳδοδιδάσκαλον, διασύρει, ὃς ἔγραψε τὸν ἔρωτα τοῦ Κύκλωπος, τὸν ἐπὶ Γαλατείᾳ· λέγουσι δὲ, ὅτι ποτὲ Γαλατείᾳ τινὶ παλλακίδι Διονυσίου προσέβαλε καὶ μαθὼν Διονύσιος ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς λατομίαν. φεύγων δὲ ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Κυθήρων καὶ ἐκεῖ δρᾶμα τὴν Γαλατείαν ἐποίησεν, ἐν ᾧ εἰσήνεγκε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας, τοῦτο δὲ αἰνιττόμενος εἰς Διονύσιον.*

Hermann. ad Aristot. Poët. II, 6, Müller. Hist. Lit. Gr. T. II. p. 290, Schneidewin. Fragm. Poët. Gr. e Pap. Reg. Mus. Paris. p. 22. — Timotheum, poëtam dithyrambis et musica arte longe celeberrimum, in tragicis fuisse Grotius Exc., Vossius p. 46, Fabricius l. l. p. 326 censent. At manifestus est Grotii error; nam Persae, quos pro tragoedia habet, Pausania VIII, 50 teste, *νόμος* fuerunt. Nihilominus Cyclops et Nioba dithyrambi fuisse, aut in melico genere ponendi videntur. Nam illum quidem in hoc ordine numerat Aristoteles Poët. II, 6. c. not. Herm., Schneidewin l. l. p. 22; hanc vero quare, Harlesio auctore, tragoediam habeamus, caussa omnino nos deficit. Welcker. in Trag. Gr. T. I. p. 294. not. 9. Pari modo *Σεμέλας ὠδῖνας* negamus unquam in scena comparuisse. Decretum enim, quo Lacedaemonii poëtam castigarunt, quod hoc carmen qualicunque modo proposuisset, nonnisi artem citharoedi reprehendit, qui foedissima ac turpissima argumenta exornavisset, qui novam carminum compositionem invenisset, quique pravum adhibuisset instrumentum, quo animi mollirentur atque effeminati exsisterent. Scaliger. ad Manil. p. 385. Cic. de Legg. II, 15. Addimus, quod carmen in Eleusiniis cantatum est, a quibus omnis tragoediarum abhorruit actio. Nam legitur in ea lege: *παρακλεισεις δε και εττον αγονα ταρ Ελευσινιαρ Δαματρορ απρεπε διεσκευασατο ταν τω μυθω διασκευαν, ταν γαρ Σεμελαρ ωδινα ουκ ενδικα τορ νεορ διδακκε κ. τ. λ.* Müller l. l. p. 291.

Nunc vero ad obscuram eorum seriem pervenimus, qui utrum tragoedias scripserint, an ne fuerint quidem, magna est quaestio. Nam memoriam eorum aut semel, aut rarissime repertam vel corruptae scripturae librorum, vel perversis interpretum commentis debere videmur. Velut Acas, quem praeter Suidam s. v. *Ἄκας, ποιητὴς τραγῳδίας* neque alius quisquam veterum scriptorum, neque ipsa memoravit Eudocia, num fuerit unquam, valde dubitamus. Nam auctoritas Suidae cum alias levissima sit, tum hoc loco inprimis contemnatur oportet, ubi poëtae, cujus mentionem fecit, nec genus, nec patriam, neque scripta rescivit. Scio quidem, valde lubricam eorum viam haberi, qui in dubitationem ea vocare solent, quorum tenuis memoria invenitur; idque, ne mihi vitio duceretur, scriptori vel

maxime dubiam fidem haberem, ni tam multa in historia tragoediae peccata facillimamque viderem a Fabricio propositam emendationem, quae suspicionem de loci integritate posset movere, etiamsi aliae rationes nullae accederent. Hic enim *Σάκας* pro *Ἄκας* scribit. Quae scriptura si placet, cognomen Acestoris habemus, poëtae notissimi, de quo in scholiis comicorum, qui eum perstrinxerunt, fortasse exaratum erat, quod alibi Suidas s. v. *Σάκας, ὄνομα κύριον, τραγῳδίας ποιητής*. Nam error neque a Suida receptus, neque a librariis potest admissus esse, quod nomen hunc lexici locum tenet.

Cynulcus Athenaei enumerationem multorum nominum ait audientibus neque jucundam, neque utilem esse, Athen. XIII. p. 610 C.: *Τί γὰρ ὄφελος τῶν τοσούτων ὀνομάτων, ὦ γραμματικὲ, πάντας ἐπιτρῖψαι μᾶλλον, ἢ σωφρονίσαι δυναμένων τοὺς ἀκούοντας. Καὶ ἐὰν μέν τίς σου πύθηται, τίνες ἦσαν οἱ εἰς τὸν δούριον ἵππον ἐγκατακλεισθέντες, ἑνὸς καὶ δευτέρου ἴσως ἐρεῖς ὄνομα καὶ οὐδὲ ταῦτ' ἐκ τῶν Στησιχόρου (σχολῇ γάρ), ἀλλ' ἐκ τῆς Σακάδα τοῦ Ἀργείου Ἰλίου πέρσιδος· οὗτος γὰρ παμπόλλους τινὰς κατέλεξεν.* Ubi cum Lobeckio Parerg. ad Phrynich. III. §. 8. *Ἰλιουπέρσιδος* legimus. Quodsi igitur de iis quaeratur, qui equo Trojano fuerint inclusi, pauca eorum nomina referri posse, eaque non a Stesichoro, sed a Sacada Argivo recitata, qui plurima eorum decantaverit. Ubi quemadmodum carmen Argivi spectat, quod *Ἰλιούπερσις* inscriptum fuit, ita cognominis Stesichori dithyrambus significari videtur. Utrumque vero carmen haud dubie melicum fuit, ut ex ipsa comparatione cernitur. Quocirca conjectura Corsini nobis non admodum placet. Legitur enim in plurimis Athenaei libris *Ἀκάτου*[1]. Quod is ita mutavit, ut nomen Acatis, de quo diximus, in Athenaei textum inferret, Fast. Attic. T. III. p. 4, quamvis memoria ejus ambigua atque obscura et commemoratio tragici poëtae ab hoc loco longe alienissima esset. Est autem exemplar, in cujus margine *Σάκα*, sive *Σακάδα τοῦ Ἀργείου* invenimus. Quod cum Meursius, a Corsino nequidquam castigatus, probavisset, novissimi editores receperunt. Recte. Sacadas enim Argivus, poëta meli-

1) Hermannus ad Aristot. Poët. p. 162 non improbavit commentum Corsini.

cus, Plutarch. T. X. p. 659 ed. Reisk., qui circa quadragesimam olympiadem floruit, Müller. H. L. Gr. T. I. p. 188, aequalis et aemulus Stesichori, Ibid. p. 357; inprimis clarus, Pausan. ap. Fabric. Bibl. Gr. T. II. p. 136, isque fuit omnino, quem Athenaeus in ea comparatione posset appellare. Atque haec emendatio nobis tanto verisimilior videtur, quanto propius ad formam vulgati nominis accedit. Placet igitur, quod Welckerus Trag. Gr. T. I. p. 8. Sacadae Argivo dithyrambum Ἰλίου πέρσιν adscripsit.

Lepidissima argumentatio Agathonis, poëtae tragici, est, cum a Mnesilocho reprehensus, quod mollissimis vestibus utatur, hoc decus Ibyci, Anacreontis, Alcaei proprium fuisse ideoque omnibus poëtis convenire contendat. Nam neque rationem comici perspicit, qui eum propter mollem et amatoriam poësis indolem in fabulis conspicuam illudit; neque aliud ingenium aliosque mores in aliis requiri generibus poësis sentit, perinde ac si poëtae favorem in scena consequi debeant, quorum opera amatoriis nugis referta sint. Est igitur sic apud Aristophanem in Thesm. 149:

ἐγὼ δὲ τὴν ἐσθῆθ' ἅμα γνώμῃ φορῶ·
χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα,
ἃ δεῖ ποιεῖν, πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν.

Alcaeum Mitylenaeum intelligimus. Quemadmodum enim omnis antiquitas de amatoriis carminibus clamat, quae Ibycus, quaeque Anacreon scripserit, Athen. XIII. p. 601 B., Maxim. Tyr. Dissertat. XXIV. p. 296; ita furor, vel insania, qua Mitylenaeus res Venereas exornavit, Aristot. Rhet. I, 9. Quint. Instit. Orat. X, 1, 63: „*Sed (Alcaeus) in lusus et amores descendit, majoribus tamen aptior.*" saepius effertur; et, quod ad hanc opinionem, vel explicationem confirmandam maxime pertinet, hi tres peculiarem sibi laudem, aut gloriam adeo sibi hoc genere compararunt, ut, cum omnes superarent reliquos, alius vero alium aequipararet, a Cicerone, velut soli hoc perturbationum genere illustres, conjungerentur. Is enim Tusculan. Disput. IV, 33: „*Fortis vir, in sua re publica cognitus, quae de juvenum amore scribit Alcaeus? Nam Anacreontis quidem tota poësis est amatoria. Maxime vero omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum, apparet ex scriptis.*" Quae quidem ita conspirant, ut, si levem interpretum morem sequeremur, qui sententias, quae aliquam inter

sese similitudinem habent, eorum, qui afferunt, proprias non esse, sed ab uno quidem primo inventas, mox autem ab aliis receptas esse existimant, versus Graeci poëtae Romano diceremus ob oculos fuisse, nec ab eo non sedulo expressos videri. Quae cum ita sint, Burdinus mirabiliter fallitur, cum Atheniensem tragicum intelligat, qui a Mitylenaeo fuerit diversus. Ait vero: ἦν ὁ Ἀθηναῖος τραγικός, ὅν τινες θέλουσι πρῶτον τραγικὸν γεγονέναι. ἦν δὲ καὶ ἄλλος τις Μιτυληναῖος καὶ ἄλλος Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας πέμπτος, υἱὸς δὲ Μίκκου, ὅστις ἔγραψε δράματα δέκα. At haec Burdinus sibi non finxit, sed e Suida descripsit, qui, cum et melicum et comicum commemoret [1]), Atheniensem tradit Alcaeum fuisse, quem nonnulli tragicorum perhibeant principem. Eudocia p. 60 Suidam sequitur.

Jam ut mendum Burdini mittamus, si modo is doctrinam grammatici importuno loco deprompsisse videtur, quid nobis de ipso Alcaeo judicandum est, qui primus in illo genere appellatur? Unde narrationem censemus hac ipsa de caussa dubiam fluxisse, quod ὅν τινες θέλουσι πρῶτον κ.τ.λ. additur? Utrum aliis ex fontibus, an deperditis veterum scholiis, quae illum Aristophanis locum illustrabant? Equidem originem ejus a vetustis comici interpretibus duxerim, a quibus tam multa Suidas petiit. Est enim haec ratio Scholiastae, quem Suidas ad manus habuit, quemque ad verbum exscripsit, ut locupletissimis ac sagacitate plenis commentariis usus alia tam mutila et quasi decurtata proponat, ut vix intelligi possint, alia tot vitiis inquinata, quot homines committere solent, quibus non solum doctrina, sed omnis quoque prudentia rerumque cognitio deest. Quae cum ita sint, quo graviora, quoque plura in eo menda invenimus, eo cautius nobis agendum est, ut veteres commentarios, quorum forma, quae primitus fuit, omnino refingi nequeat, in mente nostra duntaxat ad sanam rationem revocemus. Ut ex his, quae de Alcaeo habet, non tam inanes somniantium nugas, quam corruptam interpretum doctrinam

1) Suid. s. v.: Ἀλκαῖος, Ἀθηναῖος τραγικός, ὅν τινες θέλουσι πρῶτον τραγικὸν γεγονέναι. Idem deinde: Ἀλκαῖος Μιτυληναῖος, εἶτα Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας πέμπτος, υἱὸς δὲ Μίκκου. ἔγραψε δράματα δέκα. Quae Baylius Lexic. s. v. temere perturbavit.

elicere conamur. Nam veteres, cum de natura, quae in unoquoque literarum genere inesset, accuratius secum cogitare idque eo tempore facere coepissent, quo fabulae tam tragicae, quam comicae, etiamsi ceteris generibus non plane obscuratis, tamen in summum favorem escenderant, duo poësis genera, unum tragicum, alterum comicum esse voluerunt, propterea quod severam ac grandem poësis indolem in tragoediis residere, comoediam vero retinere opinabantur, quidquid humile atque ridiculum poëtica haberet oratio. Atque haec quidem divisio a Platone primo inventa, mox autem a philosophis eruditisque grammaticis adeo pervulgata est, ut carmina, quae grandia essent, ad tragicum genus referrent. Legimus enim apud Platonem Theaet. p. 152 D.: *καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος.* Idem de Rep. p. 595 C. Homerum *ἁπάντων τραγικῶν πρῶτον διδάσκαλόν τε καὶ ἡγέμονα* nominat. Cf. Ibid. p. 598 D., Heindorf. et Stallb. ad h. l., Groen van Prinsterer Prosop. Plat. p. 10. Quam divisionem haud dubie Polemo, Academiae veteris philosophus, respexit, qui, cum neque in Platonica philosophia quidquam mutaret, neque ab Aristotele longe recederet, Cic. Acad. I, 10. Orat. III, 18, et Sophoclem tragicum Homerum et Homerum tragicum Sophoclem dixit. Diogen. L. IV, 37: *ἔλεγεν οὖν, τὸν μὲν Ὅμηρον ἐπικὸν εἶναι Σοφοκλέα, Ὅμηρον δὲ Σοφοκλέα τραγικόν.* Porro vereor, ut Heraclides, filius Serapionis, non admodum nobilis scriptor, recte intellexerit Aristotelem, cum alius Empedoclis moneat tragoedias esse, quas Agrigentino ille vindicaverit. Diogen. L. VIII, 2, 3: (*Ἀριστοτέλης*) *καθόλου δέ φησι καὶ τραγῳδίας αὐτὸν γράψαι καὶ πολιτικά*[1]). Aristoteles enim in libro de poëtis agnoverat Homericam quandam indolem dictionis, qua is carmen de natura exornavit. Diogen. L. VIII, 2, 3: *ἐν δὲ τῷ περὶ ποιητῶν φησιν* (*Ἀριστοτέλης*), *ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν.* Eudocia p. 170. Sed hoc multo clarius Diodorus Ephesius, qui Alexandrum aemulum Empedoclis fuisse ab eoque et tragicam

---

1) Haec ad Aristotelem retulerim, nec vero Hieronymum intelligam, cujus mentio, in Diogenis locum inclusa, nonnihil rationem contextus impediit.

orationis granditatem et vestis gravitatem sumpsisse scribit, Diog. L. l. l. 11: *Διόδωρος δὲ ὁ Ἐφέσιος περὶ Ἀναξιμάνδρου γράφων φησὶν, ὅτι τοῦτον (Ἐμπεδοκλ.) ἐζηλώκει τραγικὸν ἀσκῶν τῦφον καὶ σεμνὴν ἀναλαβὼν ἐσθῆτα.* Aristoteles igitur si Platonis sententiam probare Homericumque dicendi genus nominare tragicum voluit, Empedocles ei in ordine tragicorum fuit numerandus. Atque hoc ei vere placuit, ut ex eo intelligimus, quod Diogenes Laertius ab Aristotele tradit tragoedias Empedocli tributas esse, seu philosophus singulas amplissimi carminis partes aliaque, quae scripsit, carmina audaciori, nec proprio vocabuli usu tragoedias dixit, id quod acutae dictionis indoli nimis adversatur, sive Diogenes L. tragicum, qui proprie ac vere diceretur, necessario tragoedias scripsisse ratus, Stagiritae verba mutavit resque, velut ab illo acceptas, retulit, a quibus animum habuit longe alienissimum. Cum vero Aristoteles Empedoclem tragicum appellasset, ita quoque sententia ejus perverti potuit, ut tragoedias seniori, hoc teste, adjudicarent, quas nescio quis junior poëta cognominis fecerat. Itaque errores neque Hieronymi, neque Neanthis persequimur, quos ex Diogene L. l. l. cognoscimus. Unde duo loci, in quorum angustiis eruditi haesitarunt, suum lumen accipiant necesse est. Nam Eusebius int. Hier. ad Ol. 60, 4: *Phocylides clari habentur et Xenophanes, physicus, tragoediarum scriptor.* Item Syncell. Chronogr. p. 238 (ed. Dind.): *Φωκυλίδης τε καὶ Ξενοφάνης, φυσικὸς, τραγῳδοποιός.* Nimirum id nomen accepit, quod severa quaedam et excelsa et magnifica mens in versibus ejus apparebat. Vid. Brandis. Hist. Ph. Gr. et Rom. T. I. p. 357. Sed haec partitio non solum ad epicos, verum etiam ad melicos pertinuit. Quemadmodum Arion inventor tragici modi fuisse dicebatur. Tzetz. ad Lycophr. Cassandr. Prolegom. Suidas s. v. *Ἀρίων . . λέγεται καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρετὴς γενέσθαι.* Müller. Hist. Lit. Gr. T. I. p. 369. T. II. p. 30. In Simonide laudant, quod ad miserationem commovendam inprimis idoneus fuerit. Ut Quint. Instit. Orat. X, 1, 64: *„Praecipua tamen ejus (Simonidis) in commovenda miseratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus ejus operis auctoribus praeferant."* Nec aliter Dionys. Halic. de Vet. Script. Cens, 6: *Σιμωνίδου δὲ παρατήρει τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων τῆς συνθέσεως τὴν ἀκρίβειαν, πρὸς τούτοις, καθ' ὃ βελτίων εὑρίσκεται καὶ Πιν-*

δάρου, τὸ οἰκτίζεσθαι μὴ μεγαλοπρεπῶς, ἀλλ', ὡς ἐκεῖνος, παθητικῶς. Qua de causa ei tragoedias vindicarunt. Suid. s. v. Σιμωνίδης. . . . . θρῆνοι, ἐγκώμια, ἐπιγράμματα, παιᾶνες, καὶ τραγῳδίαι καὶ ἄλλα. Eudoc. p. 383. Schol. ad Aristoph. Vesp. 1402 [1]). Pindarum vero, cujus tragica indoles praeprimis propria fuit, Hermog. de Form. Orat. I. p. 68 (ed. Sturm.) καὶ ὅσοι τῶν ποιητῶν τραγικώτερόν πως προαιροῦνται, ὥσπερ Πίνδαρος, cum alia carmina, tum septendecim fabulas tragicas ferunt scripsisse. Suid. s. v. Πίνδαρος . . ἔγραψε . . δράματα τραγικὰ ιζ'. Quae quominus ex nostra interpretemur sententia, neque vox δράματα prohibet, nec rationes eorum officiunt, qui de lyricis tragoediis cogitarunt. Nam exemplum Scholiastae ad Aristoph. Plut. 296, qui δρᾶμα dithyrambum Philoxeni vocat, vim ejus nominis apud grammaticos olim latius patuisse demonstrat. Cf. Plat. Apolog. p. 35 B. Theodoret. Vol. I. p. 425. 430. Jacobs. ad Achill. Tat. p. 414. 436. Nec vero de lyrica tragoedia cum nobilissimis viris pugnamus, hoc maxime quaerentes, utrum ea, quae de Pindaro narrantur, ad eam necessario referri, an aliter debeant explicari. Atque alio loco, cum in Aristeam sermo inciderit, eos commemorabimus, qui comici hoc sensu nominati sunt, ut nullas unquam scripserint comoedias. Eandem denique poësis divisionem Hermog. de Gravit. p. 69, Plutarch. de Vit. et Poës. Hom. 213, Euseb. Praep. Evang. XII, 49 attingunt. Nec alia fuit, quam Ptolemaeus Philadelphus secutus, cum negotium libros Graecorum poëticos colligendi atque in ordinem redigendi illustrissimis viris daret, Alexandrum tragoedias, Lycophronem comoedias, Zenodotum vero poëmata Homeri dinumerare jussit, tripartito labore, quod tot tantaque carmina Homeri invenerat,

1) Quanquam hoc etiam in Simonide fuit illustre, quod res, quas descripsit, partim rhythmis, partim verbis verissime expressit. Cf. Müller. Hist. L. G. T. I. p. 380. Quaeri potest, num dithyrambi, an alia carmina ejus hoc nomine appellata fuerint. Et Simonidi quidem, qui dithyrambos fecit, Suidas s. v. θρήνους, ἐγκώμια, ἐπιγράμματα, παιᾶνας καὶ τραγῳδίας καὶ ἄλλα vindicat; dithyrambos non item, nisi verbis καὶ ἄλλα eos significat. Unde colligas fortasse, dithyrambos a Suida tragoedias esse vocatos. Sed hoc non satis in Pindarum convenit, cui praeter dithyrambos δράματα τραγικὰ tribuuntur.

ut ea, quanquam in tragico genere erant ponenda, digna tamen judicaret, quae singularem ordinem conficerent. Sed quaenam est tragica indoles Homeri, quam Plato agnovit? Hinc saepe multumque doctorum exsistit dissensio, alio placitum veteris philosophi aliter ad suam rationem revocante. Nonnulli enim Homerum fontem tragicorum fuisse arbitrantur, propterea quod hi pulcherrima argumenta e carminibus ejus desumpserint; hinc originem nominis videri ducendam esse. Vide Cuperum Apoth. Hom. p. 77. Quam opinionem Welckerus, Trag. Gr. T. I. p. 4, cum bene rejiciat, ipse principium caussamque nominis non tam dictionem Platoni, quam scenicum vigorem et grande personarum, quas finxit, ingenium et poëticam indolem censet artemque fuisse, in quo quidem magnam cum tragicis omnino similitudinem habeat. Verum enim cogitationes, quae nostrum de ea re animum subeunt, nec veteres haberi, nec temere debent philosopho vindicari; sed eos potius audiamus oportet, qui, cum auditores essent Platonis, aut doctrinam ejus compertam haberent, eam divisionem, vel appellationem explicuerunt. Hermogenes igitur, qui, quanquam Platonis non fuit discipulus, antiquus tamen, nec leviter philosophia imbutus fuit, de Gravit. p. 69: (Ὅμηρος) τὰ μεγάλα τῇ βραχύτητι τῆς ἑρμηνείας φυλάττει μεγάλα, τῆς συντομίας τὸ μέγεθος αὐτοῖς διασωζούσης· τὰ δὲ σμικρὰ καὶ φαῦλα τῇ περιβολῇ τῶν λόγων μέγεθος προσλαμβάνει. ταὐτὰ ποιεῖ Δημοσθένης καὶ οὕτω τραγῳδεῖ Φωκέων ἅλωσιν. Hanc igitur et Homericam habet et tragicam indolem. Ubi sententia Platonis luculenter declarata est, de qua paullo supra p. 66: ὅτι μὲν γὰρ τραγῳδὸς καὶ πατὴρ τραγῳδίας Ὅμηρος, Πλάτων μαρτυρεῖ. At haec, dixerit fortasse quispiam, cum recentioris magistri esse videantur, ad illam divisionem non satis pertinere, nec Platonis aperire sententiam posse. Sed quam indolem demum Homericam Aristoteles in Empedocle invenit, quem praeter metrum cum illo poëtarum principe quidquam commune habere negat, nisi eam in dictionis similitudine sitam fuisse censemus? Ac Diogenes L. l. l.: Ἀριστοτέλης . . . . ἐν τῷ περὶ ποιητῶν φησιν, ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὢν καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἐπιτεύγμασι χρώμενος. Ubi quis est, quin dictionem Homeri spectari viderit, quoniam cetera, quae

laudantur, ad dictionem cuncta pertinent[1])? Quodsi autem omnes poëtae eadem norma divisi sunt, Alcaeus quoque sine dubio in tragicis habebatur. Nam Dionys. Halicar. l. l. 8: *Ἀλκαίου δὲ σκόπει τὸ μεγαλοφυὲς καὶ βραχὺ καὶ ἡδὺ μετὰ δεινότητος.* Quint. Inst. Orat. X, 1, 63: „*Brevis et magnificus et plerumque Homero similis.*" Cf. Wolf. Praelect. de Hist. Lit. Gr. p. 218. Quae cum ita sint, error Suidae, qui multos decepit, sic mihi explicandus videtur. Alcaeum Mitylenaeum nescio quis vetus interpres, cum illam grammaticorum divisionem probasset, poëtam tragicum appellaverat. Tum recentior Scholiasta, qui parum perspiceret, quis ille tragicus esset, optime vero tam Mitylenaeum, quam Atheniensem comicum nosset, de tribus Alcaeis somniavit, quorum primus tragoedias, alter comoedias, tertius melica carmina fecisset. Eundem Athenas repetiit, quia tragoediam ab Atheniensibus inventam et excultam credebat. Qui autem Alcaeum principem tragicorum fecerunt, hi, tragoediam e melica potius, quam epica poësi censentes effloruisse, grandiloquum genus, in quo vis tragoediae consistit, apud Alcaeum, nec vero apud Arionem primum invenerant. Itaque Meinekio assentior, Alcaeum tragicum fuisse neganti, Hist. Crit. p. 247. Quanquam fuerunt, qui alia ambigui nominis indicia sibi reperisse viderentur. Quorum quod primum maximeque praecipuum est, apud Macrob. in Saturnal. V, 20 legimus: „*Gargara tanta frugum copia erant, ut, qui magnum cujusque rei numerum vellet exprimere, pro multitudine immensa γάργαρα nominaret. Testis Alcaeus, qui in Coelo tragoedia sic ait:*

ἐτύγχανον μὲν ἀγρόθεν πλείστους φέρων
εἰς τὴν ἑορτὴν, ὅσον οἷον εἴκοσι·
ὁρῶ δ' ἄνωθεν γάργαρ' ἀνθρώπων κύκλῳ.

Sed Fabricius pro Coelo tragoedia optime Comoedotragoedia, hoc est, nomen refecit, ab Alcaeo comico fabulae datum,

---

1) Videntur ab his differre, quae Aristot. Poët. 1: *Οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον.* Sed his materiam atque compositionem poësis significavit, dictionem non item. — Ceterum Cicero similiter indolem tragoediae intellexit, Brut. 55: „*Fuit enim Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis et, ut ita dicam, tragicus orator.*" de Orat. II, 55. Sed haec tragica.

Harpocrat. s. v. ἀδηφάγους τριήρεις, Suid. s. v. ἀδηφαγία, quod Toupius Opusc. Crit. T. II. p. 163, Meinekius l. l., alii probarunt. Vehementius errarunt Gyraldus, Dialog. VI. p. 247, qui ei propter tituli naturam Endymionem tribuit, Grotius, cum Ἀδελφὰς Μοιχευομένας pro ejus tragoedia habuerit, Exc. ex Trag. et Com. Gr. p. 439, Baylius Lexic., quod Endymionem et Pasiphaën in tragici fabulis numeravit. Sed de manifesto ac reprobato errore plura disputare omittimus, propterea quod haec sufficit dixisse, ut doctrinam grammaticorum a mendis discernere possimus, quae librarii olim inculcarunt.

Ad ea, quae Blepsidemus Aristophanis in Plut. 382 ait:

Ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον,
ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων
καὶ τῆς γυναικὸς, κοὐ διοίσοντ' ἀντικρυς
τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τῶν Παμφίλου.

Scholiasta: Πάμφιλος ζωγράφος ἦν, ὅστις τοὺς Ἡρακλείδας ἔγραψεν ἱκετεύοντας τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον . . . . . κατὰ δέ τινας ζωγράφος ἦν, ὃς τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν τύχην χαρακτῆρι ὑφηγήσατο. Καλλίστρατος δὲ καὶ Εὐφρόνιος τραγῳδιῶν ποιητήν φασι καὶ διδάξαι Ἡρακλείδας . . . ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις πρὸ τούτων τῶν χρόνων Πάμφιλος οὐδεὶς φέρεται τραγικός. Unde de tragico hujus nominis nec versus comici ab antiquioribus Scholiastis intellectos, nec quidquam in publicis tabulis apparet esse relatum, in quibus nomina tragicorum vel publica auctoritate, vel computatione doctorum perscripta erant. Ac tantum abest, ut ea, quae persona comici loquitur, ad poëtam tragicum debeant referri, ut Palmerius optime in Exercit. p. 787: „*Nam comicus de iis* (*Heraclidis*) *loquitur, tanquam de re visibili, cui comparari possit alia res, quae videtur, dum ait:* ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος." Quare si Callistratus et Euphronius de tragico poëta ceperunt, quae aliis iisque veterrimis ac nobilissimis grammaticis ad pictorem, Müller. Archaeol. Art. p. 123, attinere videbantur, haec sententia de Pamphilo, a falsa interpretationis necessitate profecta, eo magis explodatur oportet, quo minus certis historiae monumentis potest defendi. Nam recentior Scholiasta non solum ad vetustiorem illam interpretum sententiam confugit, qui picturam quandam collatam esse docuerant, sed Pamphi-

lum quoque, ut tragicum, in didascaliis nusquam commemoratum testatur, qui Aristophani aetate antecessisset. Quamobrem huic interpreti, qui, quanquam non vetus, tamen doctissimus fuit, ignotum fuisse tragicum sequitur, de quo hic mentio fieri potuit, nec eum exstitisse ab Euphronio, aut Callistrato probabilibus argumentis esse demonstratum. Sed id momenti vel maximi habeo, quod nomen ejus ante comici aetatem nusquam in didascaliis legebatur. Palmerius enim sententiam eorum, quae vetus Scholiasta vidit, pervertit omnino dicens: *„Sed ab altero reprehenditur eo, quod Pamphilus ille tragicus posterior fuit Aristophane."* Is enim, cum Pamphilum, poëtam tragicum, ante Aristophanis vixisse aetatem negaret, quod explicationem aliorum tali argumento refellere poterat, nec eum fuisse aliquando, nec temporis rationes a Callistrato atque Euphronio confusas hominisque aetatem in alia tempora translatam docuit, a quibus procul abfuisset.

Omittamus alios, de quibus quid sibi judicandum esset, eruditi pridem consenserunt. Neque enim Anaximander tragoedias scripsit, ut Delrius opinatur, cum locus Diogenis L. VIII, 2, 11 longe aliter, atque ille fecit, debeat explicari. Nec ea multum nos movent, quae grammaticus Crameri Anecdot. Gr. IV, 315: πολλὰ γὰρ νοθευόμενά ἐστιν, ὡς ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη. λέγεται γὰρ εἶναι Ἀντιφῶντος, τοῦ Σοφοκλέους υἱοῦ. Vide Schneidewin. Fragm. Poët. Gr. e Papyr. p. 18. Welcker. Tragoed. Gr. T. I. p. 269. Cui non persuaserit Bentlejus, Opusc. p. 273, Aristolochum a Pseudo-Phalaride Ep. 8 commemoratum nunquam exstitisse? Aristophanes autem in tragicis certe numerandus non est, quanquam Scholiasta ad Stat. Theb. 11: *„Oedipus expulsus Creontis imperio confugit Epicolono, in quo locus erat Furiis consecratus. Sed misericordia illa sede est eritus hospitaliterque tractatus. Hanc tragoediam Aristophanes scripsit."* de eo tradit [1]). Fortasse Callias comicus fuit, qui Γραμματικὴν τραγῳδίαν fertur scripsisse. Athen. VII. p. 276 A., X. p. 453. Quae fabula, qualiscunque fuit, quamque vim in tragoediae studium habuit, a Delrio ac

---

1) Fabricius in Biblioth. Gr. II. c. 9 „Sophocles" correxit. Ex quo perspici potest, errorum caussam difficilius aperiri quam medicinam posse afferri.

Vossio p. 86 inter tragoedias referri non debuit. Nescio quid caussae Lil. Gyraldus p. 271 et Vossius p. 40 habuerint, quare Chaerephontem, amicum Socratis, in ordine tragicorum posuerint. Apud Polluc. in Onomast. II, 88. p. 103 legitur: *Παρὰ Δίωνι δὲ, τῷ τραγικῷ, ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Συνεκδημητικῷ καὶ σπανοπώγων τις ὀνομάζεται* [1]). Sed scribimus *παρὰ δ' Ἴωνι, τῷ τρ.*, praeeunte Leopardo in Emendat. II, 20. Item quis tragoedias Hipparchiae commemoret, postquam Fabricius, l. l. p. 307, ad eam a Delrio vidit relata esse, quae de Cratetis tragoediis intelligi debent ap. Diogenem L. VI, 7? Isocrati, nobilissimo rhetori, Lil. Gyraldus de Poët. Hist. p. 284 tragoedias tribuit. De quo errore vide Voss. p. 44. Pari modo et Ephorum Cumaeum et alterum Isocratem, et Theopompum ex hac historia tollamus, propterea quod non tragoediis, sed orationibus adversus Theodectem videntur dimicasse [2]). Num fidem denique ei habere licet, qui Euripidias scripsit epistolas, quique in Ep. V. verba Scholiastae ad Aristoph. Vesp. 1493 tam prave accepit, ut Mesatum sibi finxerit tragicum? Bentlej. Opusc. p. 64.

Quod autem Ill. Regia Societas Scientiarum, cui morem gerere animus est, de iis poëtis jussit disputari, qui ante Alexandrum Macedonem floruissent, nec Alexandrum Aetolum, nec Aeantidem, nec Dionysiadem, neque alios attingemus, quos Alexandrini in alterum canonis ordinem (*δευτέραν τάξιν*) retulerunt. Apollodorus Tarsum habuit patriam; quo recentissimis temporibus et artes et literae migrare coeperunt. Suid. s. v. Eudoc. p. 64. Crates, cynicus philosophus, circa Ol. 113

---

1) De opera, quam Dio tragoediis scribendis dedit, nihil constat, etsi is et docili et comi et apto ad artes optimas ingenio excelluit. Corn. Nep. 1. Nec tragoediae vel nomen *Συνεκδημητικός*, vel vox *σπανοπώγων* satis convenit. Sed in libris Ionis tragici unus commemoratur, qui *Ἐπιδημίαι*, Athen. III. p. 93 A., p. 107 A., alter, qui *Πρεσβευτικός*, Schol. ad Aristoph. Pac. 835, inscriptus fuit. Quibuscum is forte, quem Pollux laudat, si forte diversus fuit, conjunctus duntaxat potest fuisse.

2) Opinionem Gyraldi Diomedes Scholiasta ap. Bekk. Anecdot. T. III. p. 1162 confirmare videtur: *Ποιηταὶ μὲν Ὅμηρος, Ἀριστοφάνης, Θεόκριτος, Ἀλκμαῖος, Πίνδαρος, Ἡσίοδος, Ἰσοκράτης, Εὐριπίδης, Θουκυδίδης, Φωκυλίδης.* At Isocrates eodem jure hoc ex numero expungendus, quo Thucydides, historiarum scriptor.

floruit. Quare tametsi is tragoedias scripsit, Diogen. L. VI, 7, silentio nobis praetereundus est. Alexandriam in agro Trojano sero conditam ferunt. Quamobrem Nicomachum, civem hujus urbis, omittere licet. Pari modo nos aetas aliorum adducit, ut eos ne verbo quidem commemoremus. Sed saepe multumque mecum cogitavi, a quonam principio mihi res maxime essent repetendae, quo rectius et literarum jacturae consuleretur et desiderio ac sententiae. Ill. Societatis satisfieret. Quae cum de incunabulis primisque judicaverit incrementis satis disputatum esse, non dithyrambum, ex quo tragoediam sensim succrevisse existimant, nec merita Thespidis cognosci voluit. Sed cum eorum res jusserit indagari, qui Aeschyli aetati suppares fuissent, quaeri potest, annon quaestio ad Choerilum, Pratinam, Phrynichumque pertinere debeat, qui cum Aeschylo vixerunt fabulasque docuerunt. Nam cum Aeschylus cum duobus illis certaret, tantam multitudinem hominum confluxisse narrant, ut tabulata corruerent, in quibus spectatores constiterant. Suid. s. vv. *Πρατίνας*, *Αἰσχύλος*, *Αἴγειρος*. Schol. ad Aristoph. Thesm. 402. Eustath. ad Hom. p. 1472. Liban. Argument. ad Demosth. Olynth. I. Hesych. Phot. s. vv. *ἴκρια*. Zonar. p. 65 et 1101. Item Phrynichus haud raro cum Choerilo conjungitur et ab Hieron. in Chron. Euseb. ad Ol. 74, 2 refertur. Phoenissas Ol. 75, 4 docuit. Plutarch. Them. 5. Bentlej. Opusc. p. 293. Verum enim ut genus, quod hi poëtae coluisse dicuntur, Athen. I. p. 22 A, ad incunabula artis rectius retuleris, quod illi demum veram fabularum compositionem effecerunt, qui binos histriones post Aeschylum adhibere coeperunt; sic illo tempore non dici possunt floruisse, cum admodum senes cum juvenili poëta contenderent, idque gloriae, quod sibi per omne vitae spatium comparaverant, aegre obtinerent. Quanquam scriptio Schneideri, qui hoc loco laudari solet, vix cuiquam nostrum sufficiet. Quae cum ita sint, quaestioni de meritis eorum facillime supersedimus, quamvis multa, quae ad eam pertinerent, haberemus eaque a Schneidero non satis recte intellecta. Neque haec est nova, aut a nobis inventa historiae divisio, qua genus ab Aeschylo cultum a vetustiori illo plane sejunximus. Nam qui Aeschylum patrem tragoediae vocant, Jacobs. Anthol. I. p. 248. Horat. Art. Poët. 274. Philost. Vit. Apollon. VII. p. 245, non praeclaras ejus laudes in-

telligere, quam nobis suffragari videntur, tragicorum, qui suo certo ac proprio vocabulo nominentur, ordinem ab Aeschylo demum proficisci judicantes, cum vetustiores eo nomine non satis digni fuerint. Atque hoc unum ex illis habemus judiciis, quibus veteres, cum naturam fabulae actione contineri censerent, primordia tragoediae definierant. Nam plurimi originem ejus a Thespide duxerunt, Horat. Art. Poët. 276 c. Not. Cruq. Plut. Solon. 29. Clem. Alex. Strom. I. p. 308, Dioscorid. ap. Bentlej. Opusc. p. 325. Sed Alexis apud Athenaeum VI. p. 164 D. Choerilum, velut primum tragoediarum scriptorem, nominat. Cf. Naek. Choeril. p. 5. Hanc vero laudem alii Phrynicho tribuerunt, sive Pratinam satyricam indolem, quae in veteri tragoedia inerat, peculiaribus inclusam fabulis e tragico genere removisse, sive Phrynichum, qui severum, tristem, lamentabilemque fingendi res modum invenisset amoenissimaque chori carmina adjunxisset, longe majorem miserationem, quam superiores, commovisse judicarunt. Vide Plutarch. Conv. I, 1. Aristoph. Vesp. 219. c. Schol. Dionys. Longin. de Subl. 23 seqq. Ad quas quidem sententias Plato Min. p. 320 E.: ἡ τραγῳδία ἐστὶ παλαιὸν ἐνθάδε οὐχ, ὡς οἴονται, ἀπὸ Θέσπιδος ἀρξαμένη, οὐδ' ἀπὸ Φρυνίχου respexit. Sed haec hactenus.

DE FAMILIIS TRAGICORUM.

Quemadmodum in epico poësis genere plurimi, vel omnes quotquot apud Graecos dicuntur hoc olim coluisse, exemplar nobilissimorum poëtarum sibi ob oculos posuerunt idque scholis addicti, quibus nomen a ducibus inditum erat, utque tam in philosophia, quaestionibusque grammaticis, quam in artium et liberalium et sordidarum studio homines minus ingeniosi ad imitationem quorundam principum se contulerunt, quod quidem ipsis professi sunt scholarum nominibus: ita Boeckhius familiam Aeschyli docuit fuisse, quae, scenicam laudem assecuta, non peculiares modo fabulas scripsisset, in quibus multa Aeschyliam indolem haberent, sed etiam fabulas mortui poëtae correctas in scena saepius edidisset. Boeckh. Gr. Tr. Pr. p. 31 [1]). Atque haec sententia nec nova prorsus, neque inaudita fuit. Nam cum Menagius ad Diog. L. II, 43 de familia Aeschyli dixerit, qualemcunque eam intellexit, tum Wolfius fabulas ejus et retractatas et ab actoribus vidit corruptas esse [2]). Hoc autem Hermannus, Dissert. de Chor. Eumenid. I. p. 17, negavit, miratus omnino, quid esset, quod is in re tam ancipiti

---

1) „*Nunc quoniam multi Quintiliano teste interpolatores Aeschyleorum dramatum coronati sunt, quinam ii fuerint, indagare animus est: in quibus fortasse unus et alter fuit tragico huic generi non conjunctus, sed ii potissimum videntur in censum venire, ad quos ea poëmata quodam veluti hereditario jure pertinebant, ejus filii et nepotes aliique propinqui.*" Mox p. 33: „*Ergo non solum genus scribendi Aeschyleum expressisse, sed et fabulas ejus novas fecisse Astydamantem, dum licebat, existimo.*"

2) Praelect. de Hist. Lit. Gr. p. 245: „*Ueberhaupt litten die Stücke unter den Händen der Schauspieler auf zweifache Art. Einmal wurden sie überarbeitet... Zweitens war es so, wie in neueren Zeiten: es wurden Interpolationen gemacht, oft nur für das gegenwärtige Mal.*"

tamque infirmis argumentis sibi talia persuasisset. Contra Boeckhius sententiam pugnacissime adversus Hermannum defendit de Discrim. Len. et Anthester. p. 53, ut eam, tametsi haud satis illi videretur confirmavisse, plerisque tamen persuaserit, a quibus haec quaestio suscepta est. Vide Grysar. de Graec. Trag. q. circ. temp. p. 2. Langium de Aesch. Poës. p. 10—13. Müller. Hist. Lit. Gr. T. II. p. 185. Welcker. Trilog. p. 524. Id. Trag. Gr. T. III. p. 967. Nunc mihi, cum quaestionem inter tantos viros ancipitem partim verecundia nobilissimorum hominum, partim ob ipsam rei obscuritatem aegre susciperem, id negotium esse putavi, ut, momenta rei diligenter perpendens, et novas adderem rationes, et ingenue profiterer, utrius sententia mihi probabilior videretur. In quo neque illud curo, si quis me parum novi attulisse mihi objiciat, neque crimen arrogantiae vereor, propterea quod auctoritate aliorum non impedimur, quominus ipsi nos nostra pro veris habeamus, sed ad inquisitionem rerum quam maxime industriosam impellimur.

E familia Aeschyli septem prodiisse tragicos constat, quorum duos ipse reliquit; ceteri ex ejus sorore nati sunt. Quocirca Hermannus, cum Aeschyli negavit familiam fuisse, non tam illud negare potuit, tragoedias a progenie hujus principis scriptas fuisse, sed alteram improbavit opinionem, qua Boeckhius eam prolem, cum fabulas mortui Aeschyli mutatas doceret suasque rursus ad patris, vel avunculi similitudinem effingeret, peculiarem quandam communemque poësis rationem habuisse et contra aemulos affirmaverat tenuisse. Nam hoc dubium est; illud certum atque illustre videtur. Itaque duplex hinc quaestio oritur, ut disceptemus, hominesne fuerint, qui fabulas Aeschyli ad suum arbitrium mutatas agerent, utque appareat, num iidem genus ab Aeschylo duxerint. Tum addentur, quae ad peculiarem fabularum, quas scripserunt, indolem cognoscendam pertinent. Jam fabulas Aeschyli post ejus mortem non solum plurimi factas, sed in scenam quoque delatas esse, cum rationibus non dubiis, tum certis veterum testimoniis patet. Nam Aristophanes modo versus ejus vel leviter mutatos, vel integros in comoedias includit, Av. 808, 1247. Lysist. 188, 889. Ran. 942. Wissowa De Aristoph. Jud. etc. p. 15, modo sententias morales Ran. 1058:

μεγάλων γνωμῶν καὶ διανοιῶν ἴσα καὶ τὰ ῥήματα
τίκτειν,
κἄλλως εἰκὸς τοὺς ἡμιθέους τοῖς ῥήμασι μείζοσι
χρῆσθαι.

et granditatem verborum et melica carmina laudat ibid. 1252:

φροντίζειν γὰρ ἔγωγ' ἔχω,
τίν' ἄρα μέμψιν ἐποίσει.
ἀνδρὶ τῷ πολὺ πλεῖστα δὴ
καὶ κάλλιστα μέλη ποιή-
σαντι τῶν ἔτι νυνί.

Qui nec habuisset, cur tragoedias ejus vel laudaret, vel etiam reprehenderet, nec sperare potuisset, fore ut levissimas irrisiones audientibus aperiret, ni spectatores a lectione, vel adspectu fabularum recentes fuissent earumque locos memoria tenuissent. Ad privatam earum recitationem Strepsiades in Nub. 1367:

ἔπειτα δ' ἐκέλευσ' αὐτὸν ἀλλὰ μυῤῥίνην λαβόντα,
τῶν Αἰσχύλου λέξαι τί μοι·

respicit; nam Scholiasta, *μυῤῥίνης γὰρ κλάδον*, inquit, *κατέχοντες ᾖδον τὰ Αἰσχύλου, ὥσπερ τὰ Ὁμήρου μετὰ δάφνης*. In Acharn. v. 10. Dicaeopolis indigne ferens inducitur, quod chorum Theognidis in scenam prodeuntem conspexerit, cum fabulas Aeschyli exspectavisset. Ex quo cernitur, tum tragoedias ejus in scena doctas fuisse. Et Scholiasta ad h. l. hunc nobilissimo poëtae honorem scribit concessum, ut fabulae post mortem ejus ederentur. Nec vero alius huc locus pertinet, quem eruditi prave acceperunt. Nam Aeschylus in Ran. 868. Dionyso monenti, ut rixam cum Euripide componat, in tanta virium diversitate sese certamen ne voluisse quidem suscipere ait, quia poësin reliquerit ipse non mortuam, quae post obitum suum omnino langueat. Sunt enim versus:

ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,
τούτῳ δὲ συντέθνηκε.

Ubi vetus interpres mentionem plebisciti de fabulis mortui poëtae docendis injecit: *ἐπεὶ τὰ Αἰσχύλου ἐψηφίσαντο διδάσκειν*. Quem plurimi secuti sunt explicatores, ut Stanlejus, Buttlerus Comment. in Vit. Aeschyl. ap. Schütz. T. V. p. XXVIII, XLIII, Boeckhius Gr. Trag. Princ. p. 26. Hi igitur Euripidem censent ea de caussa irrisum, quod is non

potuerit sperare, fore, ut tragoediae, se mortuo, tam populi favorem, quam locum in scena diutius obtinerent. Quo quid ineptius foret quidque falsius? Nam si ea in verbis inesset sententia, Aeschylus aut mentiri, aut senum more insolenter gloriari videretur. Neque enim mortuus Euripides celebritatem nominis amisit, quam vivus sibi comparaverat. Qui licet in Macedonia multum indulserit epulis nullamque, cum ibi esset, fabulam Athenis docuerit, tamen de oblivione, vel contemptu ejus nequaquam cogitandum est. Quod verba Dionysi maxime declarant, qui hoc agens, ut praestantes poëtas ab inferis reducat, Euripidem praeprimis cupit invenire. Ait enim in Ran. 66:

τοιουτοσὶ τοίνυν με δαρδάπτει πόθος
Εὐριπίδου.

Respondet Hercules:

καὶ ταῦτα τοῦ τεθνηκότος;

Tum ille

κοὐδείς γέ μ' ἂν πείσειεν ἀνθρώπων τὸ μὴ οὐ
ἐλθεῖν ἐπ' ἐκεῖνον.

Et Euripides junior paullo post patris mortem tragoedias ejus Alcmaeonem, Bacchas, Iphigeniam Aulidensem docuit. Schol. ad Ran. 67. Nec vero comicus Aeschylum ita deludere voluit, ut is importune gloria se et praedicatione efferret. Quae cum ita sint, vocem ποίησις non ad Euripidis fabulas, sed ad omnem poësin tragicam retulerim, ab aemulo tam male habitam, corruptam, depravatam, ut emortua videretur. Nam Aeschylus ita de artis conditione disserit, qualem ipse tradiderit ei, Ran. 1013:

σκέψαι τοίνυν, οἵους αὐτοὺς παρ' ἐμοῦ παρεδέξατο πρῶτον,
εἰ γενναίους καὶ τετραπήχεις, καὶ μὴ διαδρασιπολίτας,
μήδ' ἀγοραίους μήδε κοβάλους, ὥσπερ νῦν, μηδὲ πανούργους,
ἀλλὰ πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ λευκολόφους τρυφαλείας,
καὶ πήληκας καὶ κνημῖδας καὶ θυμοὺς ἑπταβοείους.

Itaque poësin coluit ad virtutem ac fortitudinem civium augendam. A quo consilio quam longe Euripides abfuit, qui libidini spectatorum indulsit quique ne illis quidem artibus abstinuit, quae maxime animos effeminant atque corrumpunt!

Ex his quoque, quam vere Hermannus corruptelam tragoediae circa Ol. 90 incepisse judicarit, optime cerni potest. Nam comicus, etsi magis vim summamque fabularum, quam singula ornatus genera spectat, tamen assentitur ei, velut subtilissimus rerum tragicarum existimator.

Sunt autem tria veterum testimonia et integritate et claritudine et perspicuitate diversa, e quibus apparet, fabulas Aeschyli, poëta mortuo, datas fuisse. Nam Philostrat. in Apollon. Vit. VI. p. 258: *Ὅθεν Ἀθηναῖοι πατέρα μὲν τῆς τραγῳδίας αὐτὸν ἡγοῦντο, ἐκάλουν δὲ καὶ τεθνεῶτα εἰς Διονύσια· τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων ἀνεδιδάσκετο καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς.* Hic igitur tragoedias mortui Aeschyli doctas esse demonstrat. Quod ipsum Scholiasta ad Acharn. v. 10 confirmare videtur: *τιμῆς δὲ μεγίστης ἔτυχε παρὰ Ἀθηναίοις ὁ Αἰσχύλος καὶ μόνου αὐτοῦ τὰ δράματα ψηφίσματι κοινῷ καὶ μετὰ θάνατον ἐδιδάσκετο.* At haec non solum obscura sunt, sed erroribus etiam redundant. Nam ut in anno, quo Aeschylus obiit, significando graviter errat, propterea quod, cum verum nomen archontis appellet, uno anno Aeschylum ante scribit decessisse [1]), quam Acharnenses datae fuerint; ita solus idque gravissimo errore huic principi tale praemium uni refert concessum esse, ut fabulae ejus post mortem proponerentur. Nam populus eodem modo honorem et Sophocli et Euripidi indicavit, ut infra docebimus. Quod commentum, cum ineptus scholiasta in illos, credo, versus Ranarum excogitasset, quos supra exposuimus, recentior hunc in locum transcripsit, ubi nunc ea, ut fieri solet, longe pleniora, quam in altera sede leguntur, quam primo proprieque habuerunt. Sed in iis quoque, quae ambo testes communi consensu nobis persuadent, difficilibus offendimur angustiis. Nam quid fuit, quod populus fabulas post mortem poëtae docendas decreverit? Num forte opera mortuorum poëtarum edere vetitum fuit? Hoc et Barthelemius Voyage du jeune Anach. Chap. 70 sumit et Grysarius De Trag. qual. c. t. Demosth. f. p. 4. Sed nos

1) *Οὐ γὰρ ἔζη κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον. ἐτελεύτησε γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίου, τοῦ μετὰ Μνησιθέον τούτοις πρότερον ἐνιαυτόν.* Atqui Aeschylus Ol. 81, 1 decessit; Acharnenses Ol. 88, 3 actae sunt. Quod vitium ut tollat, Palmerius *ἐνιαυτῷ λ´* scribendum censet.

nec legem hujusmodi invenimus, neque ullum legis indicium. An hoc cum esset permissum, histriones praemiis adductos, vel spe certi honoris invitatos esse putamus, ut fabulas poëtae, qui quidem decesserat, populo semel atque iterum exhiberent? Quae ratio haud dubie praestat. Nam is, qui vitam Aeschyli scripsit: *Ἀθηναῖοι δὲ*, inquit, *τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον, ὡς ψηφίσασθαι, μετὰ θάνατον αὐτοῦ τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου χρυσὸν λαμβάνειν.* Athenienses igitur emolumenta iis promiserant, qui fabulas Aeschyli vellent docere. Quae qualia fuisse censemus? Res dubia est. Nam pro *χρυσὸν*, quod Boeckhius l. l. p. 26, quodque Hermannus l. l. p. 158 habet, exemplar Vossianum *χορὸν* tuetur. Atqui poëtis, vel histrionibus, qui desiderio illi publico servire conabantur, non denegandam esse mercedem, res adeo loquebatur, ut, quidquid de ea re in decreto distinctius expressum sit, id plane supervacaneum habeamus [1]). Porro si dari pecuniam voluissent, grammaticus non *τὸν διδάσκειν βουλόμενον*, sed aut *τὸν διδάσκοντα* dixisset, aut *τὸν διδάξαντα*, cum e verbis, quae nunc leguntur, actorem non tam praemium peracti laboris accepisse, quam commoda quaedam ante percepisse colligas, quam fabulas agendas susciperet. Itaque lectio *χορὸν* praestat, ab Ezech. Spanhemio ad Aristoph. Ran. 94 probata. Is enim locum ita Latine vertit: „*Ut qui vellent docere Aeschyli fabulas, ceteris praeferrentur et chorum acciperent.*" Athenienses igitur, cum reliquas fabulas ad archontem delegare consuevissent, ut is judicaret, utrum choro ornandae, an vero repudiandae essent, Casaubon. ad Athen. XIV. p. 907. Spanhem. l. l. Ruhnken. Opusc. T. I. p. 219 (ed. Friedem.), in Aeschyli poësi tot, tantasque laudes admirabantur, ut unicuique chorum sumptibus publicis in posterum statuerent praebendum esse, qui fabulas ejus vellet docere. Qua quidem re cum memoria nobilissimi hominis ample digneque consecrata, tum magnus poëtarum atque histrionum numerus pellectus est, ut tragoedias ederent, quas populus spectare cupiebat. Nimirum in civibus ita virtutem ac patriae amorem confirmatum au-

1) Longe aliter judicarem, si nobis copiam pecuniae indicasset, quam illis deberi statuerant. Quanquam etiamnunc ita levis non sum, ut certum utque manifestum omnino ducam, quod videor mihi dispexisse.

ctumque iri sperabant. Neque enim in illo decreto pulchritudinem, aut majestatem poësis potius, quam generosam fortemque indolem respexisse videntur, qua nemo tragicorum Aeschylum vicit. Qua is in Ran. 1026:

> *εἶτα διδάξας Πέρσας μετὰ τοῦτ' ἐπιθυμεῖν ἐξεδίδαξα*
> *νικᾶν ἀεὶ τοὺς ἀντιπάλους, κοσμήσας ἔργον ἄριστον*

jure gloriatur. Wissowa l. l. p. 15. Eadem igitur caussa fuit, cur et Homeri, Lycurg. adv. Leocrat. Vol. IV. p. 209, et Choerili, Naek. Choeril. p. 89 etc., carmina sacris diebus publice declamarent.

Verum multa his in fabulis erant mutanda docentibus, si probari volebant favoremque spectatorum, velut praecipuum, etsi non unicum, laboris praemium persequebantur. Nam licet docti atque eruditi homines facillime poëtis permittant, si quae in epico, vel melico genere cum moribus nostris ac judicio de poësi pulchrisque carminibus pugnantia canunt, neque id vulgus ferat molestius; Athenienses tamen, cum scenicis interessent spectaculis, non ita temporis rationem habuisse, sed postulasse videntur, ne personae vel agerent quidquam, vel dicerent, quod suis ipsorum sententiis de statu civitatis moribusque minus conveniret[1], quod duriuscule dictum, a comicis recte notatum, quodque a recentioribus poëtis, vel inventum melius, vel pulchrius esset exornatum. Poëtae igitur, cum personas ad aliquam antiquitatis similitudinem effingerent, ut et veritatem rei servarent et licentiae locum relinquerent, neque ingenium, nec mores Atheniensium negligere, sed ita exprimere debebant, ut nonnullas proprietates heroici temporis adspergerent. Porro suus est cuique aetati usus ac sua ratio. Quemadmodum igitur sensus populi, majorem in dies fabularum numerum spectantis, in quibus alius poëta longe aliam rationem sequebatur, tam excoli, quam immutari necesse fuit; ita non solum scriptores exstiterunt, qui leges hoc in genere servandas diverso modo explicarent, sed comici quoque praeceperunt, quid in tragoediis componendis vel sequendum, vel vitandum esse arbitrarentur. Quare tam populi judicium, quam compositio fabularum multas vicissitudines experta est. Item teretes et religiosae Atticorum aures vix obsoletum dicendi genus tule-

---

1) Cf. Valcken. ad Eurip. Phoeniss. 396.

runt, cum tragica dictio ad mutationes sermonis accommodari deberet, quo nobilissimi civium utebantur, Cic. Orat. 8, 9. Nam in declamatoribus audiendis quam difficiles quamque morosi fuerint, ex eo intelligimus, quod levissimos pronuntiandi naevos cum summa indignatione exceperunt. Schol. ad Eurip. Orest. 279. Aristoph. Ran. 306. Sunt in reliquis denique artis monumentis, quae quidem nonnihil excellant, secretae quaedam et abditae venustates, quae, nisi saepius ea spectantur, animos nec suaviter afficere, neque ad se trahere possunt. Quas tantum abest, ut, iterato adspectu, mirari desinamus, ut majori etiam amore pulchritudinis capiamur. Sed in fabulis, quae spectari, non legi solent, longe aliter se res habet. Nam in his propter actionis celeritatem reconditae laudes subterfugiant et oculos et aures necesse est. Quare vehemens varietatis ac vicissitudinis cupido, qua novissima quaeque, etiamsi verae virtutes deficiunt, magnopere tamen admiramur, inprimis ad scenicum poësis genus pertinet, in quo nova praeferimus operibus maxime egregiis, si haec sunt notiora omniumque ore feruntur. Quae novitas tanto magis commovit Athenienses, quo majori fuerunt levitate. Itaque et fabulas nondum editas (*καινὰ δράματα*) spectare vehementer gestiebant, et certis diebus novas tragoedias flagitare, aliis vero notas cum novis conjungere consueverant. Quin duo histrionum ordines erant, quorum unus tantum veteres, alter novas tragoedias docebat. Liban. Argum. II. ad Demosth. de Coron.: „*διὰ τοῦτο δεδόχθω τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, στεφανοῦσθαι αὐτὸν χρυσέῳ στεφάνῳ ἐν τῷ θεάτρῳ, τραγῳδιῶν ἀγομένων καινῶν, ἴσως ὅτε πλήθη συντρέχει ἐπιθυμοῦντα καινὰ δράματα βλέπειν.* Bekk. Anecdot. Gr. T. I. p. 309. 8: *τραγῳδοῖσι: τῶν τραγῳδῶν οἱ μὲν ἦσαν παλαιοὶ, οἱ παλαιὰ δράματα εἰσαγαγόντες, οἱ δὲ καινοὶ, οἱ καινὰ καὶ μηδέποτε εἰσαχθέντα. ὅταν οὖν τοῦτο γίνηται, πλείων ἐστὶ σπουδὴ τῶν Ἀθηναίων περὶ τὸ καινὸν δρᾶμα καὶ μηδέποτε ἠγωνισμένον.*" Vide Victor. Var. Lect. IX, 20. Osann. Corp. Inscript. IV, 164. III. p. 128. Welcker. Trag. Gr. P. III. p. 909. Haec autem plurimis disputavimus, non quo rem incognitam atque inauditam confirmaremus, sed ut caussa rationesque explicarentur, de quibus multae scenicorum poëtarum fabulae saepenumero mutatae sunt. Nunc locos veterum scriptorum proponemus, qui

fabulas Aeschyli, cum post ejus mortem agerentur, non integras docent relictas esse. Itaque primum Quintil. Instit. Orat. X, 1: „*Tragoedias*, inquit, *primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus: propter quod correctas ejus fabulas in certamen deferre posterioribus poëtis Athenienses permisere suntque eo modo multi coronati.*" Unde plures Quintiliani, auctoris gravissimi, hoc esse consentiunt, fabulas Aeschyli, cum is supremum diem obierit; a junioribus poëtis et datas et mutatas esse, ut limatiores aliquanto facilius placerent. In quo id ipsum est maximi momenti et ponderis, credo, quod licentiam corrigendi, ab Atheniensibus permissam, et favorem, qui emendatis fabulis tributus sit, velut argumenta commemorat, e quibus quasi deformitas Aeschyliae poësis eluceat, adeo ut omnis sententiae vis in veritate hujus rei sita videatur. Quocirca Boeckhius l. l. p. 26 hunc testem recte producit, qui opinioni suae diserte suffragetur. Verum id improbavit Hermannus, p. 155, addubitata Romani fide, qui non solum unicus hujus rei auctor esset, sed etiam testimoniis aliorum repugnaret. Ait enim: „*Quintiliano quidem ... non modo nullus adstipulatur alius scriptor, sed quidam aperto repugnant.*" Sed duae narrationis, a Quintiliano relictae, partes distingui possunt, una, cum tragoedias post obitum Aeschyli doctas ac victoria scribat ornatas esse, altera, quae ad mutationem fabularum attinet. Et illam quidem scriptores confirmant, quos supra citavimus, ut Philostratus in Vit. Apollon. l. l. et Anonym. in Aesch. Vit. Nec altera vero ita comparata est, ut possit ad eorum rationem revocari, qui res uni, vel paucis probatas testibus incertas habere solent, propterea quod, cum ipsa per se nequaquam incredibilis sit, tum e priori, si haec quidem vera judicatur, necessario nobis ducenda est. Nam hoc definio, fabulas immutatas ante Lycurgi legem iterum datas non esse. Neque illos cognoscere potui, qui Quintiliano adversarentur, ni unum populi decretum intelligimus, auctore Lycurgo factum. Nam Pseudo-Plutarchus in Vit. X Orat., ubi leges dinumerat, quibus hic orator de republica optime meritus fuerit, p. 348 addit: *χαλκᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου καὶ Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραvα-*

γιγνώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι. Itaque vir optimus quemadmodum omnino rempublicam confirmatam augere studuit, idque instituit, ut in honorem Neptuni non minus tribus cyclicis choris in Piraeo certaretur, utque studium rei comicae paullisper remissum magis excitaret, Blume Narrat. de Lycurg. Orat. p. 14, 20, 21; sic Atheniensibus, obnitente Philino, Harpocrat. s. v. θεωρικά c. not. Maussac., Ruhnken. Hist. Crit. p. 393, persuasit, ut egregium honorem principibus tragicorum decernerent. Quod duplici modo fieri poterat, cum memoriam eorum amplissimis monumentis ornarent, aut operibus ab interitu atque corruptione vindicandis. Utrumque placuit. Nam tum aeneae iis statuae collocatae videntur, quae ad Pausaniae aetatem usque permanserunt. Pausan. I, 21, 3 [1]). Sed altera decreti pars, qua fabularum integritati prospectum est, in magna loci obscuritate, qui unus memoriam hujus rei continet, haud satis explorate cognoscitur. Nam apparet quidem, populum exemplar fabularum publica auctoritate religiosius describi, idemque in aerario custodiri voluisse, in quo aliae literae publicae asservabantur [2]). Atque hoc ea de caussa fecerunt, quo scribae, quibus id esset negotii, histriones possent cohibere, quo minus iis in fabulis, quas docebant, liberius aliquid mutarent, aut insolentius corrumperent. Sed extrema verba, quibus summa totius rei significatur, *οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι*, omnem instituti rationem obscurant et explicationi participii *τοῖς ὑποκρινομένοις* vel maxime officiunt. In quibus angustiis alii quidem haesitarunt interpretes; alii vero mendum, quod sibi reperisse videbantur, emendantes tollere voluerunt. Velut Hermannus p. 155 *αὐτοὺς* pro *αὐτὰς* scribit, perinde ac si histrionibus haud ultra concessum fuerit, ut ipsi, hoc est, ad suum plane arbitrium fabulas docerent. Haec autem vis pronominis, etsi omnino non fuit inaudita, tamen neque a scriptore parum accurato, qui non acute, non breviter loquitur,

---

1) Non examinare rationes potui, quibus ductus Koehler ap. Welcker. Trilog. p. 523 alias statuas, Lycurgo auctore positas, alias censet Pausaniae ob oculos fuisse.

2) Erat is locus in Metroo.

nec in ipsa lege adhibita videtur, cum hoc genus literarum praeprimis perspicuitate dicendi excellere debeat. Nihilominus correctio Heinrichii displicet, qui in Prim. Comment. in Iuvenal. p. 19 pro αὐτὰς legit παρ' αὐτὰς, quamvis a Westermanno et Blumio p. 20 nuper probata. Habet enim nonnullas difficultates, ut ipse fatetur Heinrichius. Grysarius denique, acutissimo praeceptori in eo assentiens, quod is ante pronomen αὐτὰς existimat aliquid excidisse, οὐκ ἐξεῖναι γὰρ ἄλλως αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι scribit. Quae mutatio propter levitatem et integritatem fortasse placeret, ni sexcentae aliae artes superessent, quibus vel locum emendare, vel scientiam quandam ostendere posses. Nos autem in vulgata persistimus, dum fieri licet. Itaque histriones, cum artem fecissent paullo perfectiorem, facillime tantum sibi indulserunt, ut multos fabularum locos ex tempore mutatos declamarent, cum vitia habere, aut ad vim animi ostendendam aptissimi viderentur. Valcken. ad Eurip. Phoeniss. 396, 996, 1152, 1286. Reisig. Conject. L. I, 1. p. 21. Quae quidem licentia, quemadmodum actoribus sensim permissa est, sic in artis proprietatibus fere habebatur. Quodsi igitur Lycurgus recitationem quam maxime accuratam ac religiosam fieri voluit, id genus declamandi, quod ipse commendavit, proprio quodam vocabulo ei nominandum et a superiori, quod paullo liberius fuerat, satis distinguendum fuit. Quare tum ὑπόκρισις facta est ἀνάγνωσις; dictumque pro ὑποκρίνεσθαι, id est, liberius declamando, in lege Lycurgi ἀναγιγνώσκειν. Nam is, qui literas accurate legit, proprie ἀναγιγνώσκειν dicitur. Velut oratores Atheniensium, cum scribam, quem secum habebant in suggestu, leges, epistolas aliaque literarum specimina recitare juberent, quae, cum essent documenta, accuratissime legi debebant, ἀνάγίγνωσκε aut ἀνάγνωθι exclamabant. Demosth. adv. Aphob. I. p. 815, 818, 819 sqq. Isocrat. Trapezit. p. 369. Libri Herodoti in Olympiis recitati dicuntur. De quibus Phot. Bibl. Cod. LX. p. 60: ἀναγιγνωσκομένης αὐτῷ τῆς ἱστορίας. Similiter de Choerili carminibus, quae populus jussit publice legi, Suidas s. v.: Χοιρίλος . . καὶ σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγιγνώσκεσθαι ἐψηφίσθη. Hesych. Miles. p. 58 (ed. Orell.). Ubi verbum ex ipso fortasse plebiscito receptum est. Neque enim difficultates, aut ambiguitatem habet, qua Naekius Choeril.

p. 89 dubitavit, solamne lectionem intelligeret, an cantum rhapsodorum, sed accuratam declamationem scriptorum significat, sive carminum, sive aliarum literarum, quae versibus non sunt adstrictae. Quae cum ita sint, vocabulum in histrioniam artem facile transferri poterat, cum fabulae principum nimio liberius agi desiissent. Atque in ea decreti parte, quae periit, re vera id ita usurpatum esse, altera vox παραγιγνώσκειν optime docet. Hanc enim contra Heinrichium l. l. et Stanlejum Comment. in Vit. Aesch. ap. Schütz. Vol. V. p. XI. obtinemus, cum ille παραγιγνώσκειν scribat, hic παραγινώσκειν. Fuit vero inter has duas voces ἀναγιγνώσκειν et παραναγιγνώσκειν arctissimum vinculum, ut altera ad alteram necessario referretur. Nam cum duo haberent duo exemplaria ejusdem libri, quorum consensum, vel diversitatem cognoscere vellent, unus archetypum tacito legens παραναγιγνώσκειν, alter vero, qui clara voce ἀπόγραφον recitabat, ἀναγιγνώσκειν dicebatur. Nec aliter unus, dummodo duo compararet scripta, et ἀναγιγνώσκειν et παραναγιγνώσκειν poterat. Quo sensu Lobeckius ad Phrynich. p. 218: „*Exemplaria*, inquit, *scripta recognoscere, atque inter se conferre παραναγιγνώσκειν dicitur.*" Vide etiam Taylor. apud Harless. ad Demosth. de Coron. p. 74 sqq. Cujus generis ex orationibus nonnulla afferri possunt. Aeschines de Fals. Orat. p. 188 (ed. Tauch.) duo scripta laudat; unum scribae legendum dedit; alterius vero, dum ipse summam promulgat, exemplar scriba manibus tenet. Ait: ἀνάγνωθι δή μοι τὸ τῶν συνέδρων δόγμα. „δόγμα συνέδρων." παρανάγνωθι δή μοι τὸ τοῦ Δημοσθένους ψήφισμα. Idem p. 133, literis Proxeni recitatis, quae suam temporis confirmarent definitionem: ἀκούετε, ὦ Ἀθηναῖοι, τῶν χρόνων παραναγιγνωσκομένων ἐκ τῶν δημοσίων γραμμάτων. Aliud specimen adv. Ctesiph. p. 214. Ubi etiam, quo argumentum παρανομίας proferat, cum novo decreto leges conferri jubet: ὑπομνήσατ' αὐτὸν ἄνευ θορύβου τὸ σανίδιον λαβεῖν καὶ τοὺς νόμους τῷ ψηφίσματι παραναγνῶναι. Pari modo Demosthenes Timocratem παρανομίας crimine accusatum nil dicit eorum fecisse, quae unicuique bene servanda sint, ne nova lex ab institutis pridem sancitis dissentiat. T. III. p. 99. ed. Tauch.: καὶ νόμον εἰσήνεγκεν ἀπαίσιον, ἅπασιν ἐναντίον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τοῖς οὖσιν, οὐ παραναγνοὺς, οὐ λύσας, οὐ δοὺς αἰ-

ρεσιν οὐκ ἄλλο ποιήσας οὐδὲν τῶν προσηκόντων [1]). Quae cum ita sint, omnis sententiae vis in eo posita videtur, ut significatio vocabuli ὑποκρίνεσθαι accuratius prematur, quod est alteri ἀναγιγνώσκειν propter liberiorem declamandi rationem oppositum. Itaque pleniorem sententiam ita fortasse propones: οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι, ἀλλὰ ἀναγιγνώσκειν. At quaesierit fortasse quispiam, quid sit, quod hanc significationem verbo ὑποκρίνεσθαι tribuerimus, cujus participium τοῖς ὑποκρινομένοις longe aliam habeat significationem? Atque haec quidem in dicendo negligentia nobis magnopere displicet, cum tota legis cognitio ex illo verborum discrimine pendeat? Sed qui censes eam devitari potuisse? An eos, qui tali modo tragoedias agebant, ἀναγιγνώσκοντας fuisse appellandos? Quo nomine, nisi de una muneris, quo histriones fungebantur, parte, id est, de sola recitatione dicens, omnino uti non potuit. Sed cum omne munus, quod declamatione et actione constat, spectaret, id vulgari illa voce ei notandum fuit. Opponat aliquis obscuritatem loci, cum is ex nostra sententia enodatur. Quam illi certe non magnam esse videbunt, qui rem, quique locutionem, quam in decreto invenimus, apud Graecos cum publico, tum forensi usu tam tritam vulgatamque esse cognoverint, ut nihil haberent obscuritatis, quae nobis inprimis ambigua videntur. Accuratio enim, quae in legibus ferendis literisque recitandis vulgo adhibebatur, Lycurgo auctore, in tragicorum opera translata est, quippe quae pro antiquis haberentur venerandisque literarum documentis. Quanquam nonnihil fortasse vel fortuna librorum, vel negligentia librariorum intercidit, quod sententiam Plutarchi faciebat faciliorem. Sed de his quoquomodo alii aliter sentiunt, Lycurgus hac lege non tam διασκευαστάς, quam histriones a fabularum mutatione repellere voluit. Nam illorum opera neque reprehendi, nec prohiberi plebiscito poterat, quasi perniciosa esset corruptio. Contra populus postulabat, ne fabulae nisi mutatae agerentur; multique poëtae suas ipsorum tragoedias retractare consueverant. Correctae autem fabulae aliis incribebantur nominibus, ut mu-

---

1) Non facere potuimus, quin varias deinceps scriptorum editiones respiceremus, cum eadem librorum copia non semper nobis in promptu esset.

tationem, quam ipsa titulorum diversitas indicabat, exemplaribus conferendis supervacaneum esset cognoscere. Vide Boeckh. Gr. Trag. Princ. p. 21. Porro *διασκεύασιν*, ut Quintilianus refert, poëtae instituerunt; at lex Lycurgi ad histriones pertinet. Quare reprobandus est error, in quo Boeckhius l. l. p. 27 et Hermannus versantur, qui eandem rem agi hoc decreto censent, cujus mentionem fecerit Quintilianus. Nam nullam locorum, quam illi cogitant, discrepantiam agnoscimus.

Quodsi vero Lycurgus *διασκεύασιν* a Quintiliano memoratam prohibere voluisset, nihilominus caussam refutaremus, de qua Hermannus narrationem ejus rejecit. Nam scriptor Romanus, ut bene tam Sam. Petitus Legg. Att. p. 69, quam Boeckhius Gr. Trag. Pr. p. 27 vidit, illud temporis spatium spectare potuit, quod inter mortem Aeschyli ac legem Lycurgi praeterlapsum est. De finibus autem, quibus aetas Lycurgi continetur, magnam opinionum varietatem ac dissensionem invenimus. Nam multi natalem ejus, Tayloro ad Lycurg. Orat. p. 105 duce, in Ol. 93, 4, vel Ol. 94, 1 incidere putant, ut Boeckhius l. l. p. 14 et Hermannus l. l. p. 157. Sed is falsis erravit opinionibus. Blumius l. l. p. 1. Not. 2. Nec Schöllius argumenta proposuit, quibus eum Ol. 92, 4 natum esse perhiberet. Verum enim Lycurgus propter temporis rationem prae Demosthene primas partes dicendi sumpsisse fertur. Liban. in Argum. ad Demosth. Orat. in Aristog. p. 769 (ed. Reisk.): *ἐπειδὴ τὸν κατὰ τῆς ἡλικίας χρόνον εἰς τὴν πρωτολογίαν ἔλαβε Λυκοῦργος.* Itaque huic aemulo, qui Ol. 98, 4 natus est, videtur aliquot annis anteponendus. Nec multo plus annos septuaginta habuit, cum Ol. 114, 2 diem supremum obiit, Blum. l. l. p. 16; nam, attritis jam morbo viribus, nunquam ab administratione reipublicae recessit. Blum. p. 16. Quae cum ita sint, natalis hujus in Ol. 96 cadere videtur. Quodsi jam rogationem ante trigesimum aetatis annum ab oratore non latam ponimus, Aeschylum nonaginta fere annis mortuum fuisse sequitur, antequam opera ejus ab histrionum corruptione vindicarentur. Per tantum vero temporis spatium quis dubitat, quin opera multifariam mutari, vel corrumpi, vel corrigi, vel etiam interire potuerint? Nam in eo quoque Boeckhio plane assentior, quod is ex lege facta concludit, quae legislator prohibere voluit, quominus in posterum fierent,

ut, si Lycurgus, haec instituens, non tam histrionum mutationibus, quam correctioni poëtarum restitisset, testimonium *διασκευάσεως*, de qua agunt, et certum et illustre haberemus. Nam qui olim civitatibus jura descripserunt, cum neque justam traderent juris civilis artem et omnibus numeris et copia locorum conspicuam, neque cunctas cultorum hominum rationes vitae necessitatesque haberent perspectas, in eo plurimum operae collocabant, ut res corrigerent, aut confirmarent, quales tum erant, utque scelera repellerentur, quae in civitatem dudum migrare coeperant. At nec rebus futuris, nec moribus unquam prospectum est, qui recipi possent. An quis leges de adulterio et ambitu putet Romanis fuisse, cum tanta vel sanctitas morum, vel verecundia vigeret, ut nec fides uxorum tentaretur, neque ambitio animos inflammaret? Hoc alii contendant; mihi secus videtur. Nam si qua lex lata est, ex ea jam facta esse colligimus, quae lator ejus prohibere voluit, quominus ultra fierent. Apposite enim Cicero p. Rosc. Amerin. 25 de Solone: „*Cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur.*" Quo vetus Romanorum proverbium pertinet, quod est ap. Macrob. in Saturn. III, 17: „*Vetus verbum est: Leges bonae ex malis moribus procreantur.*"

Qui autem fabulas Aeschyli corrigendas susceperunt, ex genere ejus, ni fallimur, erant oriundi. Namque eum multi poëtae in majorum numero habuerunt, in his Bio, Euphorio, Morsimus, Melanthius, Philocles, duoque Astydamantes. Quemadmodum Euphorio, ut Suidas s. v. narrat, nondum editas patris fabulas in certamen detulit quaterque victoriam nactus est, ita ne doctis quidem vulgatisque tragoediis videtur is plane abstinuisse, quae a populo cupidius desiderabantur. Ceteri autem, eadem arte occupati, cum propriis virtutibus non admodum excellerent vidissentque in scena quid possent efficere, occasionem fabulas vel patris, vel avi docendi nequaquam amiserunt. Habebant enim opera hereditario quodam jure accepta et sperare poterant, fore, ut ea populo praeprimis placerent. Quid autem iisdem debebat vel potius esse, vel sanctius, quam gloriam poësis ab Aeschylo relictam familiae vel conservare,

vel amplificare? Quod, nisi praeclaras ipsi tragoedias semel atque iterum docentes, non assequi poterant.

Jam de altera eaque difficiliori quaestionis parte dicemus, ut appareat, iidemne communem quandam indolem poësis secuti habuerint, quod vel ipsi nomen scholae professi, vel ab aliis in ea postmodo numerati sint. Videntur igitur suas ipsorum fabulas ad aliquam Aeschyli similitudinem effinxisse. Ut enim in omnibus familiis certa hominum indoles apparet; sic et in vita rationis ac morum et in artibus disciplinae modus omnium communis ac proprius est, quem propter gloriam majorum, aut suam imbecillitatem diutissime obtinent, cum suas ipsi vias feliciter persequi nequeant. Ut vero progenies Aeschyli rationem magni poëtae servaret, tam immortalis ejus gloria effecit, quam splendida gratiae documenta, quae populus tam luculenter, tamque large exhibuit, ut nescias, mortuone plures, an vivo et praesenti honores tribuerint. Accessit, quod corrigendis Aeschyli fabulis initio vires excoluerunt animumque imbuerunt ad proprium poësis studium. Nam cum diuturna et assidua opera tractamus, quae in aliquo literarum artiumque genere excellunt, ab aliorum operum contemplatione in nostra nonnihil permanare necesse est. Sed indicium hujus rei multis locis occurrit, ubi *οἱ περὶ Αἰσχύλου* diserte appellantur. Nam Scholiasta Ranarum v. 73, ubi caussam commemoravit, quam Sophocles adversus Iophontem filium defendisset: *οὐ μόνον δὲ Χοιρίλῳ καὶ τοῖς περὶ Αἰσχύλου καὶ Εὐριπίδην, ἀλλὰ καὶ Ἰοφῶντι συνηγωνίσατο τῷ υἱῷ.* Hic igitur grammaticus, non interrupta sententiarum serie, disceptationes confudit, quibus nihil potest dissimilius esse. Nam adversus filium judiciale certamen habuit, accusatus, quod, ingravescente senectutis vi, tanquam desipiens rei familiari haud ultra posset praeesse. Tali modo, utut judicatur, ab aliis certe non est insimulatus. Sed qualem caussam contra antiquos poëtas duarumque scholarum sectatores egit? Num forte scenica contentio fuit? Non fuit, nisi aliter contra reliquos poëtas, aliter cum Choerilo pugnavit, id quod statui nequit, si fides, aut integritas duntaxat verbis Scholiastae relinquenda est. Nam quis Choerilum censet, qui rex in Satyris fuit, Plot. p. 2633:

ἡνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν Σατύροις.

cf. Naek. Choeril. p. 4.[1]), octogesimo aetatis anno cum Sophocle contendisse, cum tragoedia tot vicissitudines esset experta? Quod recte Naekius Choeril. p. 50 negat. Sed is perturbatae loci sententiae lucem e vita Sophoclis attulit, quam Suidae debemus: (Σοφοκλῆς) ἔγραψεν ἐλεγείαν τε καὶ παιᾶνας καὶ λόγον καταλογάδην περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος. Sophocles igitur in libro de choro exponens, quomodo haec tragoediarum pars per se fingenda et cum actione arctius conjungenda esset, tam illos, qui primi hoc genus coluerant, Thespin dico et Choerilum, quam Aeschylum et Euripidem reprehendit, quod ille quidem nimis magnas gravesque in scena partes choro dederat, hic autem chori carmina ad necessitatem actionis atque compositionis non satis accommodaverat. Antiquus igitur interpres pleniorem reliquit sententiam, quamvis obscuram ac perturbatam, sive Suidam, sive alium auctorem ob oculos habuit. At si nobilissimus poëta non tam ingenium moresque in aemulis, quam genus poësis reprehendit, quae disputavit, ad sectatores eorum nihilominus pertinuisse necesse est. Atque is, quem Scholiasta ob oculos habuit, cujusque verba perperam recepit, disceptationem illam ad artis diversitates retulit, nec de judiciali, aut scenico certamine vidit cogitandum esse. Porro notam ei fuisse opinionem apparet, ex qua scholae principibus tragicorum tribuebantur.

Quae quidem rationes evincunt, ut ne fidem auctori hujus narratiunculae abjudicemus, cum satis antiquus videatur. Accessit recentior, qui, quae invenerat, cum parum intellexisset, corrupta nobis reliquit. Hic autem in tanta mentis perversitate locutionem τοῖς περὶ Αἰσχύλον, τοῖς περὶ Εὐριπίδην non primus adhibuit, quae, ut ad rei veritatem aptissima est, ita certamen nequaquam significat, quod is ipse sibi finxisse videtur. Quae antiquitatis, vel doctrinae vestigia in eo nequaquam reperiuntur, qui alteram vitam Sophoclis scripsit. Nam is: συνηγωνίσατο δὲ Αἰσχύλῳ καὶ Εὐριπίδῃ καὶ Χοιρίλῳ καὶ Ἀριστίᾳ καὶ ἄλλοις καὶ Ἰοφῶντι τῷ υἱῷ. Errat igitur, ut Scholiastam animadvertimus errasse, quod Iophontem filium in numero eorum habuit, adversus quos Sophocles disputavit. Sed cum caussa erroris, quem uterque communem habet, in

1) Similiter Athenaeus II. p. 40 τὸν τῶν ποιητῶν βασιλέα appellavit.

tenore sententiarum facilius reperiatur, quales apud Scholiastam legimus, eum vitae scriptorem, hoc duce, potius erravisse, quam rursus ad manus Scholiastae fuisse censeas. Addimus denique praestantiam locutionis, quae nonnulla verae sententiae indicia habet, cum scriptor vitae cuncta penitus perverterit. Quod Hermanno longe secus videtur, ac Boeckhius p. 31 judicavit. Et Naekius Choeril. p. 7 vitam putat in Scholiastae praesidiis fuisse. Jam explicatio Bernhardii [1]), hoc modo recentiores, cum singulos significare homines vellent, verbis *οἱ περὶ* etc. multifariam usos esse monentis, hoc loco admitti non potest, quod ea vis potestasque, nisi necessitate premente, locutioni subjicienda non est. Alter locus apud Diogen. L. II, 5, 43 exstat. Qui cum levitatem Atheniensium exemplis declaret, quos, ubi Socrates veneno necatus est, mox poenitere coeperit atrocissimi facinoris: *Οὐ μόνον δὲ*, inquit, *ἐπὶ Σωκράτους Ἀθηναῖοι πεπόνθασι τοῦτο, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλείστων ὅσων. καὶ γὰρ Ὅμηρον (καθά φησιν Ἡρακλείδης) πεντήκοντα δραχμαῖς, ὡς μαινόμενον, ἐτίμησαν καὶ Τυρταῖον παρακόπτειν ἔλεγον καὶ Ἀστυδάμαντα πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ.* Sunt quidem libri, qui *πρῶτον τὸν περὶ Αἰσχ.* habeant. At Henr. Stephanus in editione ann. 1594 illam lectionem e codice regio recepit, eandemque post Menagius et Dan. Longolius comprobarunt. At ne hanc quidem scripturam faciliorem Casaubonus interpretari omnibusque difficultatibus solvere potuit. Ait enim in notis, quibus illud Stephani exemplar ornavit p. 35: „*Prorsus mutilus iste locus sic ut sententiam nullam ex his verbis eliciam. Fortasse dixerat aliquid Laërtius de eo Astydamante, poëta tragico, cui dederant Athenienses jus ponendae statuae in theatro.*" Praetermittam conjecturas eorum, qui verba emendare conati sunt. Nam ego quidem neque difficultates reperi, neque vitia, quamvis et singula verba et omnem contextum semel atque iterum accurate excusserim. Legimus: *καὶ Ἀστυδάμαντα πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ.* Atqui statuam aeneam constat Astydamanti, cum is Parthenopaeum docuisset, ab Atheniensibus collocatam esse, velut insigne honoris documentum, Phot. Lex. p. 502. Poëta igitur,

---

1) Syntax. p. 263.

si vigesimo aetatis anno primum in scenam venit, id quod Ol. 95, 2 factum est, et, si quadragesimo aetatis anno sumitur tali praemio esse ornatus, levitatem, vel temeritatem Atheniensium cum Diogene miramur, quippe qui Astydamanti postposuerint Aeschylum, cui ante Lycurgi rogationem signum collocatum non est Ol. 103, 4. Atque hoc ipsum exprobrat iis Diogenes, quod primo Astydamanti in Aeschyli schola, hoc est, prae ipso magistro simulacrum consecraverint. Nam locutiones *οἱ ἀμφί, οἱ περί* non solum sectatores, verum etiam principes scholarum significant. Bernhard. Synt. l. l. Buttmann. Gr. Gramm. p. 447. Appositum sane temeritatis exemplum, quale Diogenes proponere voluit! Quae quidem cum ita sint, quis de Aeschyli schola non cogitet? At vereor, ut plurimi fidem Diogenis non tantam esse existiment, cui hac in re credere par sit. Itaque tertium afferamus Athenaei locum, quo is scholam Aeschyli commemorat I, 19. E: *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ Εὐρυκλείδην ἐν τῷ θεάτρῳ ἀνέστησαν μετὰ τῶν περὶ Αἰσχύλον.* Omitto pluribus de hac re disputare, ut unum definiam, quod satis videor eruisse, grammaticos secundi post Christum seculi de Aeschyli schola cogitasse eique Astydamantem adscripsisse. Quod non fecissent, ni poëtas invenissent, qui nonnulla inter se communia haberent ab Aeschylo.

Sed illa, quae in fabulis ad similitudinem principis expresserunt, cave ne tibi nimis multa, vel accurata fingas. Neque enim argumenta ab Aeschylo sumpserunt, cum totas ejus fabulas retractarent, nec possent sperare, immortalem poëtam a se superatum iri. Ut Melanthius Medeam scripsit, in qua eum imitari non potuit; Philocles sex tragoedias fecit, ne uni quidem earum subjiciens materiem, ab Aeschylo exornatam. Contra Astydamas junior Alcmenam, Epigonos, Palamedem scripsit fabulas, in quibus ad ejus exemplar se conferre potuit. Et Philocles quidem tragoediam fertur vinculo tetralogiae junxisse formamque delegisse, quae avunculi propria fuerat. Unde Welckerus hunc vinculi modum posteris, quotquot ab Aeschylo proximi fuissent, placuisse, nec vestigia ejus in iis desiderari perhibuit, quae de Astydamantum poësi narrarentur, Trilog. p. 524. Tragoed. Gr. P. III. p. 1056, 1059. Nec artes iidem respuerunt, quibus recentiores poëtae poësin augebant. Huc enim et libidinosa et lacrimosa argumenti indoles, et ratio

carminum, quae monodiae appellabantur, et mirabilitas exitus pertinet, qualem Philocles in Pandionide instituit. Quanquam e verbis Scholiastae collegeris, eos in adornandis chori partibus Aeschylum esse imitatos, quocum una sunt reprehensi. Addo, quod Astydamas non solum placita philosophorum commendavit, sed etiam subtilitatem dicendi adhibuit, qualem a rhetoribus peteret necesse fuit. Et quanquam grande et magnificum genus orationis velut maximum decus consectati sunt, quo fabulae Aeschyli nitent, cum hoc facillime possent experiri, depulerunt tamen vitia, quae ipsi retractantes eas dicuntur removisse. Quod praeprimis, ni fallor, in rudem et incompositam cadit dictionem, de qua Quintilianus mentionem facit, quamque Aristophanes castigat, Eccles. 415, 899, Thesmoph. 140, Av. 1231. Nihilominus dubitandum est, num verba nimis longa receperint, quae Comicus item reprehendit. Pac. 1176, Ran. 959.

Bio. Bionem, filium Aeschyli, Suidas poëtam tragicum perhibet s. v. *Αἰσχύλος . . . ἔσχε δὲ υἱοὺς τραγικοὺς δύο, Εὐφορίωνα καὶ Βίωνα.* Quare cum Diogenes Laërtius IV, 7, 11: *ἔνατος ποιητὴς τραγῳδίας τῶν Ταρσικῶν λεγομένων* inter decem hujus nominis viros poëtam tragicum nono loco commemoret eumque dicat ex numero illorum fuisse, qui Tarsici dicerentur; Lil. Gyraldus de Poët. Hist. Dialog. VI. p. 251 atque Hadrianus Turnebus hunc ipsum ab eo memorari nomenque *Ταρσικῶν* in *θρασικῶν* mutandum esse putaverunt, tanquam id a furore quodam poëtico accepisset. Ut vero gravissimum istorum mittamus errorem, quo *θρασικός*, quod nusquam exstat, a *θράσος* derivarunt, Buttmann. Gr. Gramm. T. II. p. 339; poëtae fuisse dicuntur, qui, carmina ex tempore facientes memoriterque decantantes, Tarsici appellabantur, quod cives in ea urbe vel primi hoc genus, vel singulari colebant industria. Casaubon. ad Strab. XIV, 5. de Sat. p. 153 (ed. Ramb.). In quorum numero hic Aeschyli filius propter temporis, quo exstitisse videntur, rationem certe non est habendus. Quae cum ita sint, nomen hujus circa aetatem Diogenis sic obscuratum fuisse miramur, ut ne commemoraretur quidem inter viros cognomines, quorum fama vix unquam admodum viguit.

Euphorio. Euphorio, filius Aeschyli, Suid. s. vv. *Αἰσχύλος, Εὐφορίων*, a Chalcidensi poëta distinguendus est, qui multa et obscura poëmata scripsit. Hunc Aristophanes e didascaliis, credo, victoriam de Sophocle et Euripide retulisse tradit, cum archon Athenis esset Pythodorus. Argum. ad Eur. Med.: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα· πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης.* Ita Pflugkius, cum alii eundem numerum non verbis, sed literis *πζ'* exprimant, in his Porson atque Elmslejus, qui nomen *Πυθιοδώρου*, quod liber Romanus habet, quique lectionem Arsenii *εἰκοστὴν* rejecit. Pythodorus autem Ol. 87, 1 archon fuit, Corsin. Fast. Att. T. III. p. 167. Atqui pater quatuor et viginti annis ante decesserat Ol. 81, 1, cum septuaginta fere annos complevisset. Quare Euphorio, ni sene poëta, cum is quinquagesimum annum excessisset, genitus est, id quod a veri abhorret similitudine, quadragesimum annum tum longe excesserat.

Hunc, nisi proprias fabulas edidisset, Suidas minus recte poëtam tragicum appellasset s. v. *Εὐφορίων, υἱὸς Αἰσχύλου, τοῦ τραγικοῦ, Ἀθηναῖος, τραγικὸς καὶ αὐτός*, s. v. *Αἰσχύλος*. Sed est clarius, quod idem s. v. *ἔγραψε δὲ καὶ οἰκεῖα*. Idem tragoedias patris nondum editas docuit, iisque victoriam quater est consecutus, Suid. l. l. *ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν.* Unde quanquam fabulas Aeschyli liquet, quas Athenienses nondum conspicati fuerant, ab Euphorione prospero cum successu in scenam esse delatas, ambigua tamen notio particulae *καὶ* incertum relinquit, utrum opera patris cum aliis aemulis docuerit, an non modo suas, sed etiam paternas tragoedias feliciter dedisse dicatur. Sed haec ratio explicationis ad contextum verborum multo aptior est. Verum enim quid est, quod Elmslejus ad Eurip. Med. p. 70 victoriam Euphorionis, Pythodoro archonte, reportatam non ipsius, sed Aeschyli fabulis decretam censeat, tanquam virtus in prole generosissimi poëtae subito defecerit? Quod neque iste nobis, nec Boeckhius unquam persuaserit, qui ei de Gr. Trag. Pr. p. 31 suffragatur. Neque enim Euphorionis, Hermanno id bene in Opusc. T. II. p. 158 monente, sed Aeschyli nomen in didascaliis esset adscriptum, si paternis ille fabulis vicisset. Quare hic et gratiam familiae

servavit tragoediis Aeschyli docendis et novas ipse praeclarasque tragoedias fecisse putandus est.

Est unum Euphorionis fragmentum, quod propter librorum discrepantiam in suspicionem vocari solet. Legimus enim apud Clem. Alex. Strom. V. p. 603: ὅ τε *Εὐφορίων*, ὅ τε *Αἰσχύλος* ἐπὶ τοῦ θεοῦ σεμνῶς σφόδρα φησίν·

Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός·
Ζεύς τοι τὰ πάντα, χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον.

Quod Sylburgius ipse cum scribit, non libros deesse testatur, qui *Εὐφορίωνος Αἰσχύλος* habeant. Quare Jos. Scaliger Conject. in Varron. p. 30 hos versus tribuit Aeschylo, ut Stanlejus in Comm. ad Aesch. Vit. ap. Schütz T. V. p. VIII. ὅ τε *Εὐφορίωνος Αἰσχύλος* pro vulgata legi jubet. Sed mihi haec lectio maxime displicet. Nam quid caussae Clementi fuisse existimes, cur genus Aeschyli hoc loco significaret, ubi tragici versus laudantur? Et si hoc inutile doctrinae specimen edere voluisset, quare genus celeberrimi poëtae ante nomen appellasse videretur? Nihilominus scripturam Sylburgii contemnimus, quae originem mendi quodammodo declarat. Nam Clemens, opinor, initio ὅ τε *Εὐφορίων* scripserat. Tum curiosus homo, qui fabulas Aeschyli ab Euphorione doctas cognoverat, in margine libri apposuit ὅ τε *Αἰσχύλος*, perinde ac si cuncta Aeschyli forent, quae Euphorioni vulgo tribuerentur. Et primo fortasse ὅ τε *Εὐφορίων* ὁ *Αἰσχύλου* scriptum est, quod vel levitas, vel similis librariorum error corrupit. Quae ratio praestat, quia genus Euphorionis nominari debebat, ut a Chalcidensi bene distingueretur. Quae quidem si quodammodo certa videntur, filius Aeschyli doctrinam Orphicorum de vi regis deorum hominumque in scena professus est, Aristot. de Mund. 7. Brandis. Hist. Ph. T. I. p. 63, ad quam Democritus insignis philosophus, qui circa Ol. 88 floruit, Diogen. L. IX, 9. Clem. Alex. Protrept. p. 45. Papencordt de Atom. Doctr. Spec. I. p. 69 etc. aliique reversi sunt. Vide Jos. Scalig. Conject. in Varron. l. l.

Philocles. Philocles [1]) Atheniensis, poëta tragicus, Suid. s. v. *Φιλοκλῆς* — *Ἀθηναῖος τραγικός*, sororis filius Aeschyli, Philopithe natus, Schol. ad Aristoph. Av. 282 *Φιλοκλῆς* —

1) De alia nominis forma longiori Reisigius Conject. p. 62.

Φιλοπείθους υἱὸς — ἐξ Αἰσχύλου ἀδελφῆς. Suid. s. v. *Αἰσχύλου δὲ, τοῦ τραγικοῦ, ἦν ἀδελφιδοῦς,* aetati Euripidis suppar fuit. Suid. s. v. *τραγικὸς τοῖς χρόνοις μετὰ Εὐριπίδην.* Ubi pro *μετὰ* Clintonus *κατὰ* legit. Ab Aristophane primum Vespis Ol. 89, 2, deinde Avibus Ol. 91, 2 vexatus est. Sophoclem devicit, cum is Oedipum Regem doceret. Dicaearch. in Argument. Sophocl. Oed. Reg. Buttmann. Quaest. de Dicaearch. p. 39. Quae fabula multo ante alterum Oedipum mortemque Sophoclis et Euripidis acta est, Brunck. ad Argum. l. l., sive Ol. 87, 3, sive Ol. 87, 4 scenam Atheniensium ornavit. Welcker. Trag. Graec. P. I. p. 249. Addo quod Morsimus Philocle natus, velut mediocris poëta, Ol. 88, 4 reprehensus dicitur. Qui si tum, quod quidem extremum pono, viginti habuit annos, et si pater eadem aetate Morsimum genuit, Philocles et illo tempore quadragesimum aetatis annum dudum superaverat et sexagesimum prius attigerat, quam Euripides naturae debitum reddidit. Quae cum ita sint, quoniam cunctae temporis rationes in hunc unum bene conveniunt, duo hujus nominis poëtas nequaquam fingere cogimur.

Nihilominus duo Philocles tragoediarum scriptores fuisse, ubi primus Florens Christianus ad Aristoph. Vesp. 460 animadvertit, postea permulti, quamvis Kustero ad Suid. III, 605 obnitente, contenderunt. In quorum numero Fabricium Bibl. Gr. T. II. p. 314 et Welckerum Trag. Gr. P. III. p. 969, 1060 nominemus. Nimirum Scholiasta Av. 282: *ἔστι δὲ Φιλοκλῆς, κωμῳδίας ποιητὴς καὶ Φιλοπείθους υἱὸς ἐξ Αἰσχύλου ἀδελφῆς. Ὅσοι δὲ Ἁλμίωνος αὐτόν φασιν, ἐπιθετικῶς λέγουσι διὰ τὸ πικρὸν εἶναι. ἅλμη γὰρ ἡ πικρία. γεγόνασι δὲ Φιλοκλεῖς δύο, τραγῳδιῶν ποιηταὶ, εἷς μὲν ὁ Φιλοκλέους ἀπόγονος. ἐκείνου μὲν γὰρ Ἄρης Μόρσιμος, ἐκ τούτου δὲ Ἀστυδάμας, ἐκ τούτου δὲ Φιλοκλῆς καὶ ἕτερος ὁ κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν περιπεπτωκὼς τῷ νεωτέρῳ Φιλοκλεῖ.* Qui locus quot quantisque vel tenebris obscuratus, vel difficultatibus impeditus, vel vitiis inquinatus est! Nam ut mentionem comici poëtae omittam, de qua mox infra dicemus, quid pater Morsimi Philocle natus dicitur, quem plerique consentiunt filium Philopithis fuisse? Quis *Ἄρης Μόρσιμος* fuit? Quem Philoclis dicit aequalem? Quare emendatio Boeckhii Gr. Tr. Pr. p. 33 necessaria est, qui *Φιλοπείθους* pro *Φιλο-*

κλέους scripsit, nomen Ἄρης in particulas γὰρ ἦν dissolvit, quique Ἀστυδάμας post ἕτερος inserendum esse intellexit. Nam tali modo cum sententia facillime expediatur ac perspicua fiat, tum eadem apud Scholiastam restituuntur, quae Suidas, scholiastam, vel lexicographum fide digniorem secutus, memoriae prodit. Qui s. v. Φιλοκλῆς, inquit, Πολυπείθους Ἀθηναῖος τραγικὸς τοῖς χρόνοις μετὰ Εὐριπίδην. ἐπεκαλεῖτο δὲ χολὴ διὰ τὸ πικρόν. ἔγραψε δὲ . . . . Αἰσχύλου δὲ τραγικοῦ ἦν ἀδελφιδοῦς καὶ ἔσχεν υἱὸν Μόρσιμον τὸν τραγικόν, οὗτινος γίνεται Ἀστυδάμας, ὁ τραγικός. τούτου δ' ἕτερος Φιλοκλῆς στρατηγός. Pro Πολυπείθους scribimus Φιλοπείθους. Sed cetera undecunque descripta, vel congesta videntur, quoniam omnino sunt plana, neque inter se, neque cum aliis veterum testimoniis pugnant, non vulgarem auctoris doctrinam ostendunt, quae lumen ac medicinam vitiis Scholiastae possit afferre. Itaque juniorem Philoclem; Astydamante natum, quem Scholiasta perhibet tragicum, ducem fuisse Suidae credimus. Et is ille fortasse fuit, qui exercitui Graecorum ad Chaeroneam una cum Charete ac Lysicle praefectus est. Quae cum ita sint, unus tantum Philocles poëta tragicus relinquitur. Nihilominus iis adversamur, qui, nec verba, nec naevos Scholiastae reprobare dubitantes, commenta temerario homini ademerunt, a quibus is certe non procul abfuit.

Fuerunt autem, qui Philoclem haberent comicum, ut Vossius p. 36, Christianus, Meursius. Qui quanquam tribus utuntur testibus, quorum primus est ille Avium interpres, alter Suidas, tertia vero Eudocia p. 427, cunctis tamen rei momentis accuratius perpensis, ad unius auctoritatem se contulisse videntur. Nam quis Eudociam peculiarem testem habeat, quae verba Suidae, quem ubique sequitur, hoc loco ad verbum descripsit? Neque is, qui Aves explicuit, alium fontem, ac Suidas, ad manus habuit, cum mirabiliter cum eo vel in vitiis consentiat. Cui quemadmodum multa, quae primo loco posuit, antiqua doctrinae specimina, tum vero alia tribuuntur, quae nec satis cum superioribus cohaereant neque opportuna sint, cum non tam versus, quibus subjecta leguntur, quam alios locos illustrent; ita recentior grammaticus cum priori eaque veteriori scholii parte alterum Suidae s. v. Φιλοκλῆς articulum conjunxit, de suo hoc asserens, duo Philocles, poëtas tragicos,

fuisse, quos ab illo lexicographo discretos legerat. Quare nunc verba Suidae accurate nobis examinanda sunt, propterea quod cum ceteris testibus adeo conspirat, ut, imminuta ejus fide, ceterorum simul evanescat plane auctoritas. Is igitur cum Philoclem, filium Philopithis, sorore Aeschyli natum, *ποιητὴν κωμῳδίας* vocet, eum aut scriptorem tragoediarum fuisse, aut comicum genus ait cum tragico conjunxisse. Est tertia denique ratio, si Philocles ea de caussa hoc nomen accepit, quod in fabulis comicorum tanquam poëta saepe irrisus fuerat. Atqui vix sibi quidquam de comico persuadebit, qui praeter tragicum exstiterit, qui Philoclem viderit ex Aeschyli familia oriundum a Suida illo loco inter tragicos diserte referri, ubi fontes is minime spernendos sequitur. Neque idem utrumque genus fabularum coluit, si in re tragica unus versatus est. Nam istis, qui contra disputant, communem assiduumque Graecorum usum oppono, quorum nullus unquam poëta comoedias et tragoedias scripsit. Vide Platon. Conv. pag. 223 C. Polit. III. pag. 395 A. Meinek. Hist. Crit. pag. 503. Quo auctoritas eorum accedit, qui Philoclem communi consensu tragicum poëtam dicunt, quique centum ei fabulas tribuunt, Suid. s. vv. *Μόρσιμος καὶ Μελάνθιος*, *Φιλοκλῆς*, Scholiast. ad Aristoph. Pac. 803., Ran. 151, ne verbo quidem illud commemorantes, quod in comica poësi praestitisse dicitur [1]). Pervenimus igitur ad tertium explicationis genus, quod audacissimum atque spinosum est. Permulti enim poëtae, quos operam in tragoediis scribendis posuisse partim testimoniis, partim rationibus et certis et illustribus constat, in libris recentiorum antiquitatis auctorum scholiisque comici nominantur. Atque hoc iis prae-

1) Quod diximus hoc loco, fortasse nimis longum videtur. Nam error nobis et hic et alibi erat convincendus, quem primus omnium Meinekius in Hist. Crit. l. l. dispexit. Recentiores enim nonnullos Graecorum poëtas in tragica et simul comica poësi elaborasse putarunt. Ut Grotius partem libri, quo fragmenta tragicorum et comicorum continentur, de iis inscripsit, qui tam comici, quam tragici fuissent. Quem plurimi deinde secuti sunt. Nec Bernhardius nuper, ubi recentiorem tragoediam ad comoediae naturam proxime accessisse vidit, hanc rem ita explicare dubitavit, ut poëtas, utrumque genus colentes, ex uno diceret proprietates in alterum transtulisse; nominatim vero Timoclem appellavit. Syntax. pag. 14.

cipue accidit, quibus comoedia non valde pepercit. Quocirca ut ratio eorum probari nequit, qui rem tam mirabilem atque obscuram a scholiastis aliisque ducere conantur, propterea quod error, longe lateque patens, nec subito grammaticis, neque aliter objectus est, nisi eodem modo peccantes eadem caussa decepti sunt; sic alterum, quod hoc certo poëtarum ordini accidit, difficiles utique locos illustrat, ut a suspicionibus atque correctionibus interpretum constanter vindicentur. Nam ubicunque poëtae, quorum nulla unquam opera in comico genere fuit, in choro comicorum haberi videntur, scriptores nihil aliud dicere voluerunt, quam a comicis eos irrisos fuisse. In quo nos parum, aut nihil movet, quod, studiis eorum, quae quisque bajulus noverat, praetermissis, modo locum materiamque vexandi comoediae praebuisse dicuntur. Atque hoc probabilior fit nostra suspicio, quo magis conditionem locorum contemplamur, qui tali vitio laborant. Qui cum ingenium ac mores a comicis irrisos adumbrent, tum ex illis fere libris omnes petiti sunt, quibus antiqui scriptores memoriam eorum reliquerunt, quos comoedia male habuerat [1]). Quis autem ποιητὴν κωμῳδίας unumquemque neget vocari potuisse, qui aut comoedias scripsit, aut a comicis multum vexatus est? At alii non ποιηταὶ κωμῳδίας, sed κωμικοὶ dicuntur, ut haec interpretatio, ambiguitate dicendi sublata, minus commode admitti possit? Quemadmodum de Moschione Clem. Alexand. in Strom. VI. pag. 264 (ed. Sylb.): Μοσχίων ὁ κωμικός, de Chaeremone Suidas s. v., Eudocia pag. 436, Scholiasta ad Aristot. Rhet. III. pag. 69: Χαιρήμων κωμικός. Item Diogenes Laertius II, 7: Καρκίνον, τὸν κωμῳδοποιόν. Quin nonnullis eorum comoediae assignantur. Nam de Ione Scholiasta ad Aristoph. Pac. 835: ἔγραψε δὲ καὶ κωμῳδίας καὶ ἐπιγράμματα. Itaque Suidas Dionysio cum alia opera, tum comoedias vindicat s. v. Διονύσιος, Σικελίας τύραννος, ἔγραψε τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας καὶ ἱστορικά. Ubi fortasse grammaticus, cum verba ποιητὴς κωμῳδίας apud antiquiorem scholiastam, aut lexicographum rariore illo sensu dicta reperisset eaque falso intellexisset, a sensu ac verbis deflectens, quibus auctor usus fuerat, poëtae comoediis agitato aut nomen comici imposuit,

1) De Κωμῳδουμένοις dico.

aut comoedias adscripsit. Nam talem Burdini licentiam videmus, qui ad Aristoph. Thesmoph. 175. Philoclem, a Suida s. v. *ποιητὴν κωμῳδίας* nominatum, liberius *κωμῳδοποιόν* appellavit. Quae si conjectura non improbabili sumus assecuti, dissensio Suidae nullius momenti est, ad quam isti provocant, de Philocle, poëta comico, loquentes. Sed etiamnunc dubitatio Meinekii restat, de qua pluribus dicamus. Qui quanquam hac in re nec Scholiastam audiendum nec quidquam aut Suidae, aut Eudociae tribuendum esse intellexit, tamen locum Athenaei II. p. 66. A, Philoclem commemorantis, ita censet esse constitutum, ut necessario de comico accipi debeat. Scribit vero Athenaeus l. l.: *Ἀπολλόδωρος δ' ὁ Ἀθηναῖος οὐδ' ὀνομάζειν τινὰ τῶν παλαιῶν φησὶν ἐγκέφαλον. Καὶ Σοφοκλέα γοῦν, ἐν Τραχινίαις ποιήσαντα τὸν Ἡρακλέα ῥιπτοῦντα τὸν Λίχαν ἐς θάλασσαν, οὐκ ὀνομάσαι ἐγκέφαλον, ἀλλὰ λευκὸν μυελὸν, ἐκκλίνοντα τὸ μὴ ὀνομαζόμενον·*

Κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει, μέσου
κρατὸς διασπαρέντος, αἵματός θ' ὅμου·

καίτοι τἄλλα διαῤῥήδην ὀνομάσαντα. Καὶ Εὐριπίδης δὲ, τὴν Ἑκάβην θρηνοῦσαν εἰσαγαγὼν τὸν Ἀστυάνακτα, ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ῥιφέντα, φησί·

Δύστηνε, κρατὸς ὥς σ' ἔκειρεν ἀθλίως
τρίχη πατρῷα, Λοξίου πυργώματα,
ὃν πόλλ' ἐκήπευσ' ἡ τεκοῦσα βόστρυχον,
φιλήμασίν τ' ἔδωκεν· ἔνθεν ἐκγελᾷ
ὀστέων ῥαγέντων φόνος, ἵν' αἰσχρὰ μὴ λέγω.

Ἔχει δὲ ἐπιστασίαν ἡ τῶν ποιημάτων τούτων ἐκδοχή. Καὶ γὰρ Φιλοκλῆς τε ἐγκέφαλόν φησιν·

Οὐδ' ἂν ἐγκέφαλον ἔσθων λίποι.

Καὶ Ἀριστοφάνης·

Ἀπολέσαιμ' ἂν ἐγκέφαλον θρίω δύο·

καὶ ἄλλοι. Apollodorus igitur Atheniensis, auditor Aristarchi atque Panaetii, Suid s. v., neminem veterum poëtarum docuit vocem *ἐγκέφαλον* adhibuisse, quoniam cerebrum Sophocles Trachin. 781 *λευκὸν μυελὸν* vocasset, Euripides autem Troad. 1176 prudenter noluisset appellare. Quanquam neque a Philocle id vocabulum esse depulsum, neque ab Aristophane Ran. 134. Itaque Meinekius cum hunc Athenaei Philoclem sibi comicum fingit idque censet inde necessario sequi, aut in ipso vocabuli usu, aut in versus colore aliquid comici invenerit,

aut ea de caussa hoc fecerit oportet, quod Philocles cum Aristophane conjungitur. Quodsi autem Apollodorus, qui literis quidem non leviter imbutus fuit, usum loquendi paullo diligentius indagasset, qualem ex omnibus poëtarum fabulis cognoscere debebat, proprietates sermonis, quae ad rationes longe alias erant revocandae, nec temere, nec perverse interpretatus, opinionem illam aut rejecisset, aut de Euripide saltem non affirmavisset, qui neque in tragico, Hippolyt. 1352. Thes. Fragm. 1, neque in satyrico orationis genere, Cycl. 407, hoc nomen constanter rejecit. Vide Casaubon. ad Athen. l. l. Heyn. ad Apollod. p. 1149. Et illa versiculi pars, quam Athenaeus habet, ad hominem fame vexatum, aut summa voracitate incitatum pertinet, qui ne cerebro quidem abstineret, quod nonnullis veterum philosophorum non licuit comedere. Athen. II, 65 F. VII. pag. 315 E. Plin. Nat. Hist. XXXII, 10. Ergo si Philocles edacitatem hominis ita significavit, imago non satis tragoediae convenit. At satyricas idem fabulas fecit! Nihilominus quoniam durus erat et incomptus poëta, in tragoedia quoque feritatem hominis tali modo describere potuit, qui Tydei instar, Sext. Empir. Pyrrh. Hypot. III, 24, 207, dicebatur cerebrum hostium devorasse. Quin locus fortasse ex Pandionide sumptus est, in qua nuntius teterrimas epulas Terei, membris filii vescentis, exposuerat [1]). Apollodorus denique non tam diversitatem poëtici generis, quam temporis rationem sequitur, ut de Philoclis poësi vix quidquam ex Aristophanis colligas similitudine. Nam antiquos laudat, de quibus Dionys. de Lys. 2, Schol. Cassel. ad Thucyd. I, 30, Reisig. Conject. pag. 108, Bernhard. in Synt. pag. 10 [2]). At si naturam poësis in divisione censes maxime spectatam,

1) Quod censeo fieri potuisse, quanquam Sophocles matrem cocta filii membra praeter caput ac pedes patri proponere fecit. Welcker. Trag. Gr. P. II. pag. 383.

2) Scholiasta l. l. *τροπαῖον ἡ παλαιὰ Ἀτθὶς, ἧς ἐστιν Εὔπολις, Κρατῖνος, Ἀριστοφάνης, Θουκυδίδης.* Quare igitur Apollodorus, de antiquis, in quibus Aristophanes numerabatur, illum usum affirmare potuit, si contrarium ipse comici exemplum noverat? Fortasse is aliam sequebatur partitionem, quam quae est apud illum grammaticum. An ex antiquis comicos statuit usurpasse vocabulum, tragicos sedulo devitasse? Quod si cogitavit, saltem non dixit.

quare Philoclem non tragico potius, quam comico adscribis ordini, qui medium tenet inter poëtas diversi generis locum? Non dubitavimus haec plurimis explicare, quoniam Welckerus in Trag. Gr. P. III. pag. 969. ad sententiam Meinekii nuper accessit. Sed hoc denique definio, quoniam verba Athenaei non corrigenda, neque sic explananda sunt, ut de Philocle poëta cogitare cogamur, nec duo Philocles fuisse tragicos poëtas [1]), neque alterum comicum, neque comoedias unquam a tragico scriptas.

Secundum Agathonis sententiam indoles ex habitu poëtae cognosci potest. Quod quo confirmet, Mnesilochus deformem corporis figuram Philocli tribuit in Thesm. 168:

ταῦτ' ἄρ' ὁ Φιλοκλέης αἰσχρὸς ὢν αἰσχρῶς ποιεῖ.

Quae Delrius inepte ad alium Philoclem refert, tanquam de filio Philopithis intelligi nequeant. Prolegom. in Senec. c. 9. Addit Burdinus: *ἦν δ' οὗτος ὁ Φιλοκλῆς αἰσχροπρόσωπος καὶ προκέφαλος, ὡς ἔποψ, ἢ ὀξυκέφαλος*, repetitis Suidae s. v. verbis: *Φιλοκλῆς κωμῳδίας ποιητὴς αἰσχροπρόσωπος. ἦν δὲ προκέφαλος, ὡς ἔποψ, ἤγουν ὀξυκέφαλος.* Similiter Scholiast. ad Av. 281: *τοῦτο δέ φησιν, ἐπεὶ ἕτερός τις ὄρνις ἀναφαίνεται λόφον ἔχων, ὡς Ἔποψ. διαβάλλει δὲ τὸν Φιλοκλέα, ὡς ὀξυκέφαλον.* Item Scholiasta Ravennas ad Thesm. 168: *αἰσχρὸς τὸ πρόσωπον καὶ σιμὸς καὶ μικρὸς τὸ σῶμα.* Haec autem deformitas, in qua comici cavillantur, quanquam in dubitationem omnino cadere nequit, cetera tamen in commentis interpretum ponenda sunt, quae de mirabili capitis forma scribunt. Nam Philocles et upupam genuisse, et naturam ejus avis habere dicitur. Av. 281. Quod quidem vetusti interpretes de mirabili Terei commutatione, qualem in Pandionide instituerat,

1) Nos supra, quae Scholiasta Avium habeat, neque nova, nec integra, eum partim ex Suida, partim ex aliis comici scholiis compilasse statuimus, nec audienda esse, quae de duobus Philoclibus scribat, quorum alter Philopithis, alter Morsimi filius fuerit. Nimirum pueros Atheniensium ab avis fere nomina habuisse sciebat. Itaque, cum duo Philocles tragoediarum scriptores sibi ea de caussa finxisset, quam supra diximus, nec relatum quidquam de genere alterius legeret idque vellet nominare, cum origo aliorum indicaretur, non dubitavit, eum inter Aeschyli posteros referre, aut filium Morsimi fratremque Astydamantis facere.

alii vero de forma corporis acceperunt, quam cum upupa habuisset communem. In horum numero, ni fallimur, Didymus fuit, qui alibi quoque, ut in Avibus 1293, nomina avium, hominibus data, cum a morum ingeniique deberet proprietatibus ducere, ad figuram corporis retulit. Schol. ad h. l.: Ὁ δὲ Δίδυμος Θεαγένη καὶ Φιλοκλέα φησὶν ὀρνιθώδεις εἶναι. En ingeniosam Chalcenteri rationem ludibria comicorum exponendi! Si de forma hujus Thersiti simillima exploratum aliquid habuissent veterrimi Scholiastae, ne unus quidem eam silentio praetermittere, sed in enucleanda comici sententia omnes commemorare debuissent. At non omnes mentionem ejus fecerunt, ut Scholiast. ad Av. 282. ἐν ἐνίοις δὲ ὑπομνήμασιν, ὅτι προκέφαλός ἐστιν, ὡς ἔποψ, docet. Nec talis deformitas Philoclis in aliis comicorum locis erat derisa. Id enim ex obscuris verbis Scholiastae ἀλλ' οὐδαμοῦ κεκωμῴδηται colligimus, quibus aut οὕτως, aut διὰ τοῦτο adjiciam, quo plena fiant possintque intelligi.

Centum fabulas docuit, quarum septem nominatim appellantur. Suid. s. v.: ἔγραψε τραγῳδίας ρ', ὧν ἐστι καὶ ταῦτα· Ἠριγόνη, Ναύπλιος, Οἰδίπους, Οἰνεύς, Πρίαμος, Πηνελόπη, Φιλοκτήτης. Sed omisit Suidas Pandionidem tetralogiam, de qua Scholiast. ad Aristoph. Av. 282: οὗτος ὁ Φιλοκλῆς Ἔποπα ἐσκεύασεν ἐν τῇ Πανδιονίδι τετραλογίᾳ, οὗ ἡ ἀρχή·

Σὲ τῶν πάντων δεσπότην λέγω.

Ἄλλως. Φιλοκλεῖ ἐστι δρᾶμα Τηρεὺς ἢ Ἔποψ. Ὁ Σοφοκλῆς πρῶτον τὸν Τηρέα ἐποίησεν, εἶτα Φιλοκλῆς. Quanquam igitur tragoedias semel ad tetralogiae formam avunculi more redegit, tamen num ceteras quoque fabulas exhibuerit, eodem artis vinculo conjunctas, cum per se sit valde incertum, tum ea de caussa ambigere licet, quod vestigia Aeschyli religiose in arte omnino non pressit. Nam et argumenta sibi tractanda sumpsit, quae Sophocles dudum exornaverat, et eundem principem in Pandionidis compositione imitatus est. Ut Sophocles Erigonam, Nauplium, Oedipum, Philoctetam, Priamumque scripserat. Et Scholiasta versus comici, quibus upupa dicit de origine alius upupae in Av. 281:

ἀλλ' οὗτος μὲν ἔστι Φιλοκλέους
ἐξ ἔποπος, ἐγὼ δὲ τούτου πάππος, ὥσπερ εἰ λέγοις
Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας,

sic interpretatur: *Φιλοκλεῖ ἐστι δρᾶμα Τηρεὺς ἢ Ἔποψ. Ὁ Σοφοκλῆς πρῶτον τὸν Τηρέα ἐποίησεν, εἶτα Φιλοκλῆς. διὰ τοῦτο εἶπεν· ἐγὼ δ' Ἔποπος ἀντὶ τοῦ· πρὸ αὐτοῦ ἐγράφην.* Sed quis ea generis significatione, quam poëta lepidissime effert, non similem fabularum naturam et imitationem potius credat, quam successionem earum irrideri? Erant autem in hac tetralogica multae partes, quae vim amoris ostenderent, quae inaudita haberent atque horribilia crudelitatis exempla, quae alias animi perturbationes repraesentarent, quales tum maxime in scena expetebantur. Ut primas mulier egit, quae, summa invidia et iracundia flagrans, Medeae instar nullum locum maternae pietati relinquebat. Nam Welckerum sequimur, qui materiam fabularum in Trilog. pag. 502. Trag. Graec. P. III. pag. 968. ingeniose conjecturis composuit. Non magnum habuit ingenium; itaque avunculi valde dissimilis fuit. Scholiast. ad Arist. Thesmoph. 168: *μικρὸς καὶ αἰσχρός. καὶ Τηλεκλείδης Ἡσιόδοις·*

ἀλλ' ἡ τάλαινα Φιλοκλέα β ... δεν οὖν
εἰ δ' ἐστὶν Αἰσχύλου φρόνημ' ἔχων.

Meinek. Fragm. Com. Gr. Vol. I. pag. 366. Unde in argumento exornando nonnunquam infeliciter versatus est, id quod versus Cratini ap. Scholiast. ad Soph. Antigon. 402: *Κρατῖνος·*

Ὅνπερ Φιλοκλέης τὸν λόγον διέφθορεν·

Meinek. Fragm. Com. Gr. l. l. pag. 226. indicat. Quo illa mutatio avium pertinet, in fine Pandionidis instituta, cum Tereus in upupam sit conversus, Procne hirundinis, Philomela vero lusciniae formam induerit. Nimirum sic ea composuit, quo faciliorem exitum inveniret fabula, qui mirabilis quique non esset exspectatus; nam is, quo majorem admirationem injecit spectatoribus, eo gravius vim naturamque tragoediae corrumperet necesse fuit. Ut enim mutatio hominis in bestiam Graecis, cum depravatio humanae naturae esset, et saepius evenisse et res admodum lugubris visa fuerit, Cic. de Re pub. IV, 1, 3. Offic. III, 20, 82, ea tamen, cum fabulae legerentur, auribus facilius accepta, quam in scena oculis conspecta est, praesertim cum aequalibus Philoclis in suspicionem malae fidei venire et ad portenta commentaque somniantium ablegari coepisset. Accessit vitium poëtae, qui eventum fa-

bulae, qualis ex ipsa rerum actionumque serie sequi deberet, non modo incredibilem, sed etiam fortuitum atque improvisum fecit, qui cum interiore rerum natura non satis esset conjunctus. Scio quidem, hoc inventum non displicere plerisque, qui omnes Sophoclis artes mirari solent, in quibus id etiam censent numerandum esse. Welcker. Trag. Gr. P. I. pag. 385. At Aristophanes, subtilissimus rerum scenicarum existimator, id ipsum luculenter vituperat, quippe qui upupae, quam in comoediae usum finxit, cum Philoclis ave contendat aliquam similitudinem esse. Wissowa De Aristoph. judic. pag. 13. Nec alia desunt, quibus vitiosa Philoclis poësis reprehenditur. Velut Aristophanes Bdelycleonem in Vespis Xanthiae, qui vespas expellit, facit respondere 461:

ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ ῥᾳδίως οὕτως ἂν αὐτοὺς διέφυγες,
εἴπερ ἔτυχον τῶν μελῶν τῶν Φιλοκλέους βεβρωκότες.

Apposite Scholiasta: *ὡς τοῦ Φιλοκλέους ἀγρίου ὄντος ἐν τῇ μελοποΐᾳ. Ὁ Σοφοκλῆς γὰρ ἡδύς, διὸ καὶ μέλιττα ἐκαλεῖτο. ἔπαιξεν οὖν, ὡς εἰ εἶπεν· εἴπερ τὴν πικρίαν αὐτοῦ καὶ τὴν σκληρότητα εἶχον, οὐκ ἂν αὐτοὺς ῥᾳδίως διέφυγες, ὡς τοῦ Φιλοκλέους ὄντος σκληροῦ σφόδρα καὶ δριμυτάτου.* Pariter, qui hunc modo *Ἅλμην*, modo *Ἁλμίωνα*, modo filium *Ἁλμίωνος*, modo *χολὴν* appellarunt, nec mollitiem in fabulis ejus invenerunt, nec teneritatem, qualis vulgo in carminibus exigitur. Schol. ad Aristoph. Av. 282; Suid. s. v. Praeterea *κορυδὸς* est nominatus Arist. l. 1. 1295. Quod nomen, ut supra docuimus, de forma male acceptum est. Nam rectius, quid sit, aperit nobis proverbium ap. Diogenian. VI, 50: *μετὰ Μουσῶν κόρυδος ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων πεπαιδευμένοις συνόντων.* Cf. Leutsch. ad h. l. et Zenob. III, 77: *ἐν γὰρ ἀμούσοις· καὶ κορυδὸς (κύκνου) φθέγγετ' ἀοιδότερος.* Valcken. ad Eurip. Hippol. 986. Sed, quamvis saepe multumque vituperatus, nonnihil excelluit, ut partim ex numero fabularum, partim ex acerrima irrisione comicorum intelligi potest. Ad quam rem judicandam victoria valet, de Sophocle reportata, cujus mentionem praeter Dicaearchum fecit Aristides adv. Platon. XLVI. T. II. pag. 334, exprobrans Atheniensibus, quod Philoclem praeposuissent Sophocli, quem ne Aeschylus quidem superare potuisset. In quo magna inest contemptio. Sed Aristides magis spectatas principis laudes videtur, quam fabulas

respexisse, quibus ambo poëtae inter sese contenderant. Nihilominus sententia Grysarii De trag. qual. c. temp. Demosth. displicet, tali honore non Philoclis, sed Aeschyli fabulas ornatas esse docentis. Nam adversantur huic, quae supra de Euphorione disputavimus. Fieri potuit, ut Sophocles favorem ideo fabulis comparare non posset, quod regimen Periclis impugnavit, nec aemulum solum in Philocle, sed etiam gratiosiorem adversarium excitavit. Welcker. in Tragoed. Gr. P. I. pag. 250. P. III. pag. 967.

Morsimus. Morsimus, Philoclis filius, Atheniensis. Filium habuit Astydamantem, nobilissimum tragoediarum scriptorem, qui Ol. 95, 2. primum artis specimen dedit. Quod quidem aetatem Morsimi indicat, testimoniis non declaratam. Nam Melanthius, qui ab Ol. 89, 3 usque ad Ol. 102, 3 vixit, cum aliquod nomen vigesimo quarto aetatis anno Ol. 83, 3 sibi comparasse videatur, Ol. 83, 3 fere natus est; is autem frater Morsimi fuit. Et Astydamas circa Ol. 89, 2 natus est, si quidem is quarto et vigesimo aetatis anno primam fabulam dedit. Quem si genuit pater, cum totidem ipse annos habuit, natalis Morsimi circa Ol. 83, 2 ponendus est. Unde Philocles pater Morsimi sexagenarius fere senex sub mortem Euripidis vigesimum aetatis annum superaverat, quo tempore genuit filium. Neque hae solum, sed etiam illae rationes temporis conveniunt. Nam vigesimum alterum expleverat annum, cum propter malam poësin ab Aristophane irrisus est Ol. 88, 4, vigesimum quartum, cum chorum accepit Ol. 89, 3; nec Ol. 93, 3 in contemptionem erat adductus.

Statura humillima fuit, Schol. ad Aristoph. Ran. 151: *ἦν δὲ καὶ σμικρός*, Suid. s. v. Propter ingenii morumque corruptionem male audiit. Aristophanes enim tam hunc, quam fratrem Melanthium Pac. 810

Γοργόνες ὀψοφάγοι, βατιδοσκόποι, ἅρπυιαι,
γραοσόβαι, μιαροί, τραγομάσχαλοι, ἰχθυολῦμαι

opprobriis est consectatus, quae partim edacitatem eorum, partim turpes amorum ludos, partim squalorem sordesque graviter carpunt. Vide Schol. h. l. et Suidam s. vv. *Μελάνθιος καὶ Μόρσιμος*. Sed apud Hesychium s. v. *Κλύμενος* aliud fragmentum ejusdem comici exstat, quo incesti puerorum amoris insimulatur: *Κλύμενος, ἰατρὸς ἀφυὴς, ὃν Ἀριστοφάνης φη-*

σὶν ἀναμεμῖχθαι τῷ Μορσίμῳ διὰ τὸ καὶ τὸν Μόρσιμον ἰατρὸν εἶναι ἀφυῆ· ἦν δὲ καὶ τραγῳδοποιὸς ἀφυὴς ὁ Μόρσιμος. Eundem alii medicum omnino, Hesych., Schol. ad Arist. Eq. 400., alii autem non mediocrem oculorum medicum dixerunt, teste Schol. ad Arist. Ran. 151: ἦν δὲ ὀφθαλμῶν ἰατρὸς ἀγαθός. Suid. s. v. Μόρσιμος. Quanquam Aristophanes ne hanc quidem laudem intactam ei reliquit, quippe qui malam medicinae peritiam ab amatore Clymeno contenderit in eum transiisse. Sed indoles, quam fabulae ejus habuerunt, ex veterum judiciis non certo cognoscitur. Sic enim haec omnia fere comparata sunt, ut ambigi queat, suisne manibus fabulas tenuerint, de quibus judicant, an e comici locis collegerint, quidquid certis ex fontibus haustum proponere videntur. Aristophanes vero tragoedias ejus nec ludis Charitum convenire, nec cantilenae hirundinis ait Pac. 797:

τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων
τὸν σοφὸν ποιητὴν
ὑμνεῖν, ὅταν ἠρινὰ μὲν φωνῇ χελιδὼν
ἑζομένη κελαδῇ, χορὸν δὲ μὴ 'χῃ Μόρσιμος,
μηδὲ Μελάνθιος κ. τ. λ.

Allusit enim ad Stesichori Orestiam, in qua haec erant: *Τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων ὑμνεῖν, Φρύγιον μέλος ἐξευρόντα ἁβρῶς ἦρος ἐπερχομένου.* Vernalis igitur vigor deerat in ejus tragoediis. Nec vero facile credam, quod frigidum poësis genus dicitur adhibuisse. Schol. ad Ran. 151: ποιητὴς ψυχρός. Equit. 399. Suid. s. vv. Μόρσιμ. κ. Μελάνθ. Nam in omnibus tragicis, quorum fabulas non videntur novisse, hoc vitium Scholiastae vituperant. Propter magnam in versuum numeris licentiam ἄμετρος appellatus est. Schol. ad Arist. Ran. 803. Quare tam ipse contemptus poëta, Schol. l. l., quam carmina ejus pro nihilo putata sunt πονηρά, μοχθηρὰ ποιήματα. Schol. ad Eq. 400. Quemadmodum igitur, qui fabulas Morsimi agat, vehementer increpatur; sic omnes, qui versus ab eo mutuentur, Aristophanes scelestissimis adnumerat hominibus, qui hospites laeserint, vel pueros stupraverint, vel matres verberaverint, vel patres interfecerint. Ran. 145. Hinc autem non exiguas fabularum virtutes fuisse liquet; nam is et chorum accepit et imitatores invenit, in quos comicus h. l. acriter invehitur.

Melanthius. Melanthius, frater Morsimi, Philocle natus est. Nam chorus Aristophanis carmina poëtae publice cantanda ait, si nec Morsimus chorum acceperit, neque Melanthius, quem nuper acerrima maximeque sonora voce declamantem audierit, cum is chorum una cum fratre esset consecutus. Quae res quo fiat clarior, quoque melius intelligatur, omnem locum afferamus, cujus partem supra citavimus. Legimus igitur in Pace 797:

τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων
τὸν σοφὸν ποιητὴν
ὑμνεῖν, ὅταν ἠρινὰ μὲν φωνῇ χελιδὼν
ἑζομένη κελαδῇ, χορὸν δὲ μὴ 'χῃ Μόρσιμος,
μηδὲ Μελάνθιος, οὗ δὴ
πικροτάτην ὄπα γηρύσαντος ἤκουσ'
ἡνίκα τῶν τραγῳδῶν
τὸν χορὸν εἶχον ἄδελ-
φός τε καὶ αὐτός, ἄμφω
Γοργόνες ὀψοφάγοι κ. τ. λ.

Ubi cum prior sententiae pars ad Morsimum et Melanthium spectet, posterior autem, consecutione verborum mutata, de Melanthio ejusque fratre accipienda sit, interpretes haesitarunt, Morsimumne fratrem haberent Melanthii, an poëtam, duobus illis commemoratis, cum ad unum Melanthium direxisset orationem, mox de alio ejus fratre dixisse opinarentur. Quare Scholiasta de tragoediis ejus dubitanter loquitur, quem Melanthius fratris loco habuerit, tametsi poësin Morsimi satis cognoverat: *δέχονταί τινες, ὡς καὶ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Μελανθίου τραγικοῦ ποιητοῦ ὄντος.* Itaque Vossius de poët. Gr. p. 46 nihil de Melanthii genere scribit, seu versus comici ignoravit, seu fidem vetusto Scholiastae habuit. Contra Fabricius Bibl. Gr. T. II. p. 311. ed. Harless. hunc fecit filium Philoclis. Quem Elmslej. ad Eurip. Med. p. 98 frustra reprehendit, velut si nullis id sibi confirmatum testimoniis persuaserit. Nam duumviri rursus, Meinekius Hist. Crit. p. 206 et Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1029, ad sententiam Fabricii se contulerunt. Recte. Nam ob ipsum contextum nonnisi de Morsimo potest cogitari. Quemadmodum enim tam Morsimi, quam Melanthii poësin carpit, id caussae, vel argumenti inferens, sese in scena adfuisse, cum tragoediae eo-

rum docerentur, sic utriusque fabulas suis ipse oculis et auribus tum praesens cognoverit necesse est. Porro convicia, quibus postrema chori verba redundant, cum ad Melanthium pariter ac fratrem ejus pertineant, in Morsimum optime cadunt, quippe qui libidinibus longe illustris fuerit. Quare Scholiasta, quem Suidas s. vv. *Μελάνθ. κ. Μόρσ.* exscripsit, multo antiquior eo, cujus explicationes textui vulgo subjectae sunt: *Μελάνθιος καὶ Μόρσιμος. Λέγει Ἀριστοφάνης περὶ αὐτῶν οὕτως· ἄμφω Γοργόνες, ὀψοφάγοι κ. τ. λ.* Is igitur fratres habuit Morsimum et Melanthium omnemque comici locum putat ad eos spectare. Quae cum ita sunt, perversitatem recentioris grammatici, qui in alia versatur sententia, quamvis Boeckhium Gr. Tr. Pr. p. 32. moverit, tamen illis facile relinquamus, qui, cum de mera locorum interpretatione eaque nullis munita testimoniis agatur, auctoritatem veterum anteponant nostro judicio. Fortasse alter vetusto more ipse in scenam prodierat; alter vero cunctas fabulae partes histrionibus agendas commiserat.

Hunc irriserunt tres comici, fabulis Ol. 89, 3 una contendentes, quorum unus Aristophanes, alter Eupolis, tertius Leuco fuit. Athen. VIII. p. 343. *Κωμῳδοῦσι δ' αὐτὸν ἐπ' ὀψοφαγίᾳ Λεύκων ἐν Φράτορσιν, Ἀριστοφάνης ἐν Εἰρήνῃ, Φερεκράτης ἐν Πετάλῃ.* De Eupolide Scholiast. ad Pac. 804: *καὶ πολὺ μᾶλλον ἐν τοῖς Κόλαξιν Εὔπολις διαβάλλει.* Sed Pacem Aristophanis cum reliquis comoediis, ut Petalam Pherecratis omittam, de qua nihil constat, eodem anno doctam esse, e didascalia intelligitur, quae illi fabulae praemittitur: *ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει. πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτορσιν.* Eupolis vero Melanthium ante vexaverat, quam Pax docta est. Hoc enim sensu Schol. l. l. 808: *ὅτι γὰρ ὁ Μελάνθιος ὀψοφάγος, προείρηται καὶ παρ' Εὐπόλιδι ἐν Ἀστρατεύτοις* cum Meinekio Fragm. Com. Gr. T. I. p. 436 interpretamur.' Nec paullo post Aristophanes in Avibus ei pepercit. Ol. 91, 2. Diogenes, cujus tragoedias vituperavit Plut. de Audit. 5, eo tempore vixit, quo dominatio triginta virorum sublata est, Suid. s. v. *Διογένης*, Ol. 94, 4. Quod unum temporis indicium sequitur Vossius l. l. Ad extremam senectutem pervenit, si quidem parasitus Alexandri

Pheraei fuit, a Plutarcho de Discr. Amic. et Adul. c. 9. commemoratus. Nam si quarto et vigesimo aetatis anno ab illis comicis irrisus est, cum tyrannus ille regnum susciperet, septuagesimum septimum egit Ol. 102, 3. Parasitum vero haud facile diversum a tragico habemus, quod in hunc tam mores parasiti, quam dicteria bene conveniunt, quodque Plutarchus nullo alio loco de parasito scribit, etsi multifariam idem poëtae mentionem injicit. Quanquam Fabricius aliter hac de re judicat, diserte duos distinguens. Sed in hoc duo vitia notantur, quibus illa aetas omnino laborare coeperat. Nam in summa ganeonum turba adeo excelluit, ut largam materiem et lepidissimis narrationibus et irrisionibus comicorum dederit. Quemadmodum Clearchus scribit Melanthium sibi collum gruis optavisse, quo melius iis voluptatibus frui posset, quae gustatu percipiuntur. Athen. I, 6 C. XII. p. 549 A. Phot. Ep. 88. Quod votum Theophilus quidam Philoxeno assignavit, Athen. l. l., idque auctore Aristotele. Muret. Schol. in Horat. Carm. II, 16, 30. E comicis autem, qui luxuriem ejus castigarunt, Archippus, Aristophanes, Eupolis, Leuco, Pherecrates citantur Athen. VIII. p. 343 C; Schol. ad Arist. Av. 151; Pac. 804, 808, 809; Suid s. v. *Μελάνθιος καὶ Μόρσιμος*; Eustath. ad Hom. Od. p. 1817. Hunc Eupolis in magno ganeonum numero habuit, quos Callias ad epulas arcessiverat, tanta edacitatis fama florentes, ut neque igne dicerentur, nec ferro a conviviis posse arceri. Plut. An ph. c. vir. princ. p. 778 E.; de Discrim. Amic. et Adul. p. 50 D.; Meinek. Hist. Crit. p. 136; Fragm. Com. Gr. T. I. p. 487; Schol. ad Arist. Pac. 803. Meinek. Fragm. l. l. Quae intemperantia fortasse scabiem aluit, qua fuit aliquando infectus. Apud Aristophanem enim Euelpides, ab upupa rogatus, quare nollet cum socio Lepreum migrare, quo Spartani haud ita multo ante colonos deduxerant, Av. 151:

ὅτιὴ νὴ τοὺς θεοὺς, ὥς οὐκ ἰδὼν,
βδελύττομαι τὸν Λέπρεον ἀπὸ Μελανθίου,

hanc urbem propter nomen sibi invisam esse fatetur, quod de tetro morbo Melanthii commoneat. Scholiasta: *εἶχε δὲ Μελάνθιος λέπραν.* Suid. s. v. *βδελύσσω.* Neque id falso. Nam quod Wielandius et Henr. Vossius Lepreatas, tanquam multitudinem manumissorum hominum, leves atque impios

eorumque similem fuisse Melanthium censent, vim loci in eo sitam ignorant, quod ad scabiem ejus comice alluditur. Quanquam Meinekius H. C. p. 99. nuper iis suffragatus est. Itaque ad eum diximus fortasse pertinere, quod Melanthius quidam apud Alexandrum Pheraeum parasitus fuisse traditur. Hic enim scurrili lepore, qualis est in epulis opportunus, adeo affluebat, ut saepenumero ad loquacitatem ac molestos sermones abiret. Ex quo genere sunt illa, quae Plutarch. de Audit. 5, de Discr. Amic. et Adul. 5, Conv. II, 4. enarrat. Eundem Plato in Scythis, velut λαλὸν, reprehendit. Schol. ad Arist. Av. 151: *Πλάτων δὲ αὐτὸν ἐν Σκύθαις, ὡς λαλὸν, σκώπτει.* Ubi ἐν Σκευαῖς legendum est, praeeunte Meinekio Hist. Crit. p. 184. Alterum ejus vitium Venerius puerorum amor fuit. Schol. Pac. 804: *καὶ πολὺ μᾶλλον ἐν τοῖς Κόλαξιν Εὔπολις ὡς κίναιδον αὐτὸν διαβάλλει.* Id. ad Av. v. 151: *Καλλίας Πεδήταις·*

τίς ἄρα τοὺς Μελανθίους τῷ γνώσομαι;
οὓς ἂν μάλιστα λευκοπρώκτους εἰσίδῃς.

Ubi obscoena vis vocabuli λευκόπρωκτος ex Schol. ad Lysist. 89, 158 cognoscitur. Quemadmodum Aeschylus et Sophocles praeter tragoedias scripserunt elegos, Melanthius quoque eodem versuum genere cum alias res, tum laudes Cimonis celebravit. Quod Athenaeus VIII. p. 343 C. diserte testatur, dicens: *τῆς αὐτῆς ἰδέας (ὀψοφάγων) καὶ Μελάνθιος ἦν, ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής. ἔγραψε δὲ καὶ ἐλεγεῖα.* Quod quare Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1032 dubitaverit, Melanthium, qui laudes Cimonis extulerit, a tragico poëta diversum esse existimans, maxime obscurum est. Itaque Lil. Gyraldus p. 281 elegos tragico tribuit, idque, cum is recte fecisset, Vossius contra Simlerum obtinuit. Fragmentum elegiacae poësis Plutarchus Cim. 4. servavit [1]). Sed nihil de epicis carminibus afferre potuimus, quae Wyttenbachius ad Plutarch. p. 41 C. huic assignat. Spectavit autem fortasse Atthi-

---

1) *καὶ Μελάνθιος ὁ ποιητὴς λέγει τὸν τρόπον τοῦτον·*
αὐτοῦ γὰρ δαπάναισι θεῶν ναοὺς ἀγοράν τε
Κεκροπίαν κόσμησ' ἡμιθέων ἀρεταῖς.

Sic Reiskius.

dem, ex qua versum ap. Harpocrat. s. v. γρυπάνιον, Etym. Magn. s. v. γρυποῦσθαι, Suid. s. v. γρυπαίνειν, Zonar. p. 456. legimus.[2]), in quo numeri hexametri possunt agnosci. Verum enim ceteri scriptores Atthidum, de quibus Jonsius H. P. II, 9, 1. egit, multo recentioris aetatis fuerunt, ut jure dubitemus talem historian ad tragicum referre. Item alius homo cognominis librum de mysteriis scripsit. Athen. VII. p. 325 C. Schol. ad Av. 1073, Plut. 846. De quo discrimine faciunt nobiscum Vossius et Fabricius.

Subtilissimo maximeque faceto leporum genere Trygaeus Aristophanis Pac. 1009 Melanthium carpit:

κᾆτα Μελάνθιον
ἥκειν ὕστερον εἰς τὴν ἀγοράν·
τὰς δὲ πεπρᾶσθαι, τὸν δ' ὀτοτύζειν·
εἶτα μονῳδεῖν ἐκ Μηδείας,
ὀλόμαν, ὀλόμαν, ἀποχηρωθεὶς
τᾶς ἐν τεύτλοισι λοχευομένας.

Annumeratur igitur famosissimis ganeonibus et dicitur sero, divenditis anguillis, in forum venisse ibique jacturam deliciarum iisdem verbis utens luxisse, quibus Iaso in Medea caedem puerorum deploraverat. In qua quidem irrisione nonnulla edacitatem, alia vero poëticam hujus indolem significant. Nam ὀτοτύζει, hoc est tragicos gemitus edit. Id enim verbum ab interjectione ὀτοτοῖ ductum, quae tragoediae propria est. Eurip. Orest. 1386. Phoeniss. 1050. Recitat versus, e Medea fabula desumptos, Schol. ad l.: ἐκ Μηδείας. μή ποτε ἐκ τῆς Εὐριπίδου Μηδείας παράγει (vulg. παραγράφει) ἐκεῖνα· ὢ δύστηνος ἐγώ, μελέα τε πόνων, πῶς ἂν ὀλοίμαν· οἱ δὲ αὐτοῦ τοῦ Μελανθίου φασὶν εἶναι Μηδείαν, ἐξ ἧς ταῦτα. Postremo verbis

τοὺς δ' ἀνθρώπους ἐπιχαίρειν

poëta perstringi videtur, qui importunis exclamationibus non tam misericordiam luctumque in spectatoribus, quam risum possit commovere. Quodsi vero comicus poëtam locum e tragoedia recitare fecit, ut is se ipse deluderet, equidem non video,

---

2) Non totus, inquam, versus, sed pars versiculi exstat, quem alii aliter scribunt: σεισμὸς γέγωνε καὶ ἔγρυπεν ἡ γῆ. Quod in Ald. exempl. Etym. Magn. legimus.

quare ei alienos, nec proprios versus tribuerit, cum is fabulas cum fratre pridem docere coepisset. Quae est autem inter haec et illa similitudo, quae Medea ap. Euripid. 96 profert? Placet igitur, quod nonnulli veterum interpretum, seu conjectura, seu narratiunculis freti, confirmarunt (cf. Schol.), quodque doctis, ut Elmslejo ad Eurip. Med. p. 98 (p. 88 ed. Lips.) et Welckero Trag. Gr. P. III. p. 1031, placuit, hic fragmentum Melanthii, quamvis valde mutatum, in duobus versiculis esse superstes. Alium locum Plutarchus de Coh. Ir. 2, de Ser. Numin. Vind. 5 et Tzetzes ad Hesiod p. 82 citarunt. Quae cum ita sint, de generositate ac nobilitate vehementer dubitamus, quae in ejus fabulis fuerit, neque ab humilitate, neque a loquacitate, neque a scurrilibus nugis admodum remotis. Qui enim personas virtutibus ornare potuit, quas neque cognitas habuit, nec magni aestimavit, nec diu intueri debuit, ne ipse sui conscius fieret? Quomodo vir tum effeminatis moribus mollique ingenio, tum loquacitate infamis severum ac grande dicendi genus potuit servare, quod maxime tragoediae proprium est? Quanquam apposite de Diogene aemulo Plutarch. de Audit. 5: *Ὁ μὲν γὰρ Μελάνθιος, ὡς ἔοικε, περὶ τῆς Διογένους τραγῳδίας ἐρωτηθεὶς, οὐκ ἔφη κατιδεῖν αὐτὴν ὑπὸ τῶν ὀνομάτων ἐπιπροσθουμένην.* Quae vitia nequidquam sic tollere studuit, ut personas importunis animi affectibus et perturbationibus faceret flagrare, cum exclamarent, quemadmodum ipse de jactura delicatarum rerum inepte conqueritur. Pari modo in loco comici indicia reperiuntur, e quibus imitatio Euripidis cernitur. Ut Melanthius fecit Medeam. Item versus, quos Aristophanes ei tribuit, e monodia, id est, illo melicorum carminum genere petiti sunt, quo Euripides tragoediam auxerat. Aristoph. Ran. 944, 849, Thesm. 1076; Müller. Hist. L. G. T. II. p. 154. Porro repetitionem vocis *ὀλόμαν*, ab Aristophane, ut in Ran. 1338, 1352, 1353, 1354, sexcenties derisam, cum aliis in locis, tum in monodiis Euripides plurimum adhibuit. Androm. 524, 854, 1187, 1207, 1223; Hecub. 683, 688, 694, 710, 1031, 1069, 1097 etc. Adjicimus alterum fragmentum

τὰ δεινὰ πράσσειν, τὰς φρένας μετοικίσας,

in quo verbum *μετοικίζειν* ad Euripidis similitudinem singulari usu expressum est. Nam is in Androm. 237:

Ὁ νοῦς δ' σός μοι μὴ ξυνοικοίη, γύναι,

et

Μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νοῦν, ἐγὼ γὰρ ἀρκέσω.

Cui figurae Aristophanes in Ran. 107. illusit. Suid. s. v. *μὴ τὸν κ. τ. λ.*

Astydamas I. et II. Hoc nomen duo scriptores tragoediarum habuerunt, unus pater, alter filius, quorum historiam ob caussas mox intelligendas conjungemus. Prior filius Morsimi fuit. Suidas s. vv. *Ἀστυδάμας . . . Φιλοκλῆς;* Eudoc. Viol. p. 68, Phot. Lex. p. 502. Schol. ad Arist. Ran. 151 corruptum nomen *Ἀμφιδάμαντα* habet, quod **Casaubonus** de Sat. Gr. I. p. 147 in *Ἀστυδάμαντα* bene commutavit. Ab Isocrate rhetoricis artibus imbutus in studium paternae artis sese convertit. Suid. s. v. *ἀκροασάμενος δὲ ἦν Ἰσοκράτους καὶ ἐτράπη εἰς τραγῳδίαν.* Eudoc. l. l. Itaque cum Ol. 95, 2 primum fabulas docuisset, Diodor. XIV. p. 270: *Ἀστυδάμας δ' ὁ τραγῳδιογράφος τότε πρῶτον ἐδίδαξεν,* ducentis quadraginta tragoediis, Suid. s. v. Eudoc. l. l., magnam gratiam ac nomen illustre sibi comparavit. Victoriam enim quindecies obtinuit. Suid. s. v. Eudoc. l. l. Ut Ol. 101, 4 coronatus est. Marm. Par. Ep. 72: *Ἀφ' οὗ Ἀστυδάμας Ἀθήνησιν ἐνίκησεν, ἔτη ΗΠΙΙΙΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀστείου.* Sic enim bene **Seldenus.** Athenienses vero in tantam sui admirationem brevi traduxit, ut, cum principes tragicorum ornarent monumentis, in theatro positis, Pausan. I, 21, Astydamantem quoque vivum tali honore dignum judicarent, cui locus inter Aeschylum, Sophoclem, Euripidem daretur. Diogen. L. II, 5, 23. In quo simulacro incidi voluit:

Εἴθ' ἐγὼ ἐν κείνοις γενόμην, ἢ κεῖνοι ἅμ' ἡμῖν,
οἳ γλώσσης τερπνῆς πρῶτα δοκοῦσι φέρειν,
ὡς ἐπ' ἀληθείης ἐκρίθην ἀφεθεὶς παράμιλλος·
νῦν δὲ χρόνῳ προέχουσ', οἷς φθόνος οὐχ ἕπεται.

Suid. s. v. *σαυτὴν ἐπαινεῖς, ὥσπερ Ἀστυδάμας ποτέ. Ἀστυδάμᾳ τῷ Μορσίμου, εὐημερήσαντι ἐπὶ τραγῳδίας διδασκαλίᾳ Παρθενοπαίου, δοθῆναι ὑπ' Ἀθηναίων εἰκόνος ἀνάθεσιν ἐν θεάτρῳ. τὸν δὲ εἰς αὐτὸν ἐπίγραμμα ποιῆσαι ἀλαζονικὸν τοῦτο ... Διὰ οὖν τὴν ὑπερβαλοῦσαν ἀλαζονείαν παραιτήσασθαι τὴν ἐπιγραφήν. καὶ παροιμία παρὰ τοῖς κωμικοῖς ἐγένετο, ὡς παρὰ Φιλήμονα. λέγεται δὲ καὶ κατὰ ἀπο-*

κοπὴν τὸ σαυτὴν ἐπαινεῖς. Eadem Photius Lexic. p. 502. Quod quidem, ut ipsi permitteretur, cum frustra impetrare studuisset, mirabili ostentationis ac superbiae specimine maledictionem comicorum adeo incitavit, ut in ore vulgi communibusque proverbiis versaretur [1]). Ut nescio quis apud Philomenem, credo, glorianti mulierculae:

σαυτὴν ἐπαινεῖς, ὥσπερ Ἀστυδάμας, γύναι.

Unde ductum, quo veteres unumquemque castigare solebant, qui nimis sese jactabat: *σαυτὴν ἐπαινεῖς, ὥσπερ Ἀστυδάμας.* Suid. l. l., Phot. l. l., Zenob. VI, 100., Apost. XVII, 29., Eustath. ad Hom. Iliad. T. I. p. 94, 121, 122., Joh. Siceliot. Comment. in Hermog. ap. Bekk. Anecdot. T. III. p. 1454, Cramer. Anecdot. IV, 143., Julian. Ep. 12., Jacobs. Anth. Palat. 17. T. II. p. 759., Schneidewin. in Corp. Paroemiogr. T. I. p. 160. Obiit, cum senex esset sexagenarius, Diodoro l. l. teste.

De altero Astydamante Suidas s. v. *Ἀστυδάμας ὁ νέος, υἱὸς τοῦ προτέρου, τραγικὸς καὶ αὐτός. δράματα αὐτοῦ· Ἡρακλῆς Σατυρικός, Ἐπίγονοι, Αἴας Μαινόμενος, Βελλεροφόντης, Τυρώ, Ἀλκμήνη, Φοῖνιξ, Παλαμήδης.* Quae nomina cum e certis accuratisque fontibus descripta videantur, alias fabulas, quae alibi laudantur, seniori poëtae vindicemus. Athenaeus X. p. 411 A. quatuor versus ex Hercule servavit:

ἀλλ', ὥσπερ δείπνου γλαφυροῦ, ποικίλην εὐωχίαν
τὸν ποιητὴν δεῖ παρέχειν τοῖς θεαταῖς τὸν σοφὸν,
ἵν' ἀπίῃ τις, τοῦτο φαγὼν καὶ πιὼν, ὅπερ λαβὼν
χαίρει τις, καὶ σκευασία μὴ μί' ᾖ τῆς μουσικῆς.

Cf. H. Grotius Exc. p. 441., 960. Hermann. Element. Doctrin. Metr. p. 579. Reisig. Conject. p. 234. Argumentum, quod plurimi comicorum exornandum sibi sumpserunt, ut Anaxandrides, Archippus, Diphilus, Nicochares, Philyllius, quodammodo ex iis colligi potest, quae vetusti de heroë fabulabantur. Qui cum in Hercule virum insuetae magnitudinis immensique roboris expressissent, eidem-

---

1) Id huic non concessisse Athenienses, testantur Zenobius VI, 100: *γράψας οὖν αὐτὸς ἐπίγραμμα ὁ Ἀστυδάμας ἔπαινον ἑαυτοῦ ἔχον ἀνήνεγκεν ἐπὶ τὴν βουλήν· οἱ δὲ ἐψηφίσαντο ὡς ἐπαχθὲς αὐτὸ μηκέτι ἐπιγραφῆναι* et Schol. Vatic. ad Liban. Epist. 943.

que vel indigentiam ciborum, vel immanem victus modum tribuissent, qualis cum specie atque habitu viri conveniebat, id facile effecerunt, ut vir omnium longe fortissimus spurcissimi helluonis faciem habere videretur. Quapropter species herois, quam antiquissimi homines sibi finxerunt, quamvis in ea multum nobilitatis, nec parum magnificentiae inesset, tamen eo magis ridiculum quendam comicumque colorem accepit, quo saepius animis obversata, quoque accuratius cogitata est. Tales autem fabulae, in quibus haec vis ac natura erat expressa, tam satyrico, quam comico generi praeprimis erant aptissimae. Cujusmodi nonnulla de Herculis ortu fabulati sunt, quae in melicam eamque altiorem poësin transierunt. Athen. X. p. 411. Pindar. Fragm. ap. Dissen. XI, 47. Hoc autem loco gravissimum habemus, quod Athen. l. l. de Herculis ac Leprei certamine tradit, qui quidem aliquando inter se studio contenderint cibos devorandi. Nam ait: *Εἰσάγεται δὲ ὁ Ἡρακλῆς καὶ Λεπρεῖ περὶ πολυφαγίας ἐρίζων, ἐκείνου προκαλεσαμένου.* Ubi vox *εἰσάγεται* de scena haud dubie intelligatur oportet. Quodsi jam satyricam fabulam spectavit, victoriam Herculis de Lepreo credimus ab Astydamante repraesentatam; sin is locus ad comoedias supra commemoratas pertinet, in eodem argumento utrumque poësis genus versari potuit. Haec autem edacitas, credo, praeter Omphalae amorem, ab Achaeo atque Ione derisum, in omnibus fabulis, quae de Hercule ferebantur, una res fere satyris conveniens erat. Atqui veremur, ne nugis omnino delectari videamur, poëmatis similitudinem cum epulis, quae illo loco effertur, inprimis fabulae accommodatam esse censentes, qua laudes helluonis repraesentabantur [1]. Nec vero quisquam versus cum Casaubono ad Athen. X, 1. p. 701 ab Astydamante audeat abjudicare. Est autem audacissima opinio Kusteri, qui nuper, cum in quaestionem de parabasis natura incidisset, in hoc fragmento tot proprietates ejus reperisse videbatur, ut judicaret, eam partem in tragoediam

1) Adjungamus versus Goethii, in quibus agnoscimus aliquam similitudinem:

Gebt ihr ein Stück, so gebt es gleich in Stücken!
Solch ein Ragout es muss euch glücken;
Leicht ist es vorgelegt, so leicht als ausgedacht.

transsiisse, cum a comoediis medii generis vix coepta esset secerni. Vide Programm. Gymn. Sund. ann. 1835 p. 2. Sed quis locos e parabasi censet desumptos esse, quotquot Eupolideo metro adstricti sunt? An in satyris putemus poëtam nullibi aut se, aut poësin attingere potuisse? Sed fabula in irridenda epularum luxurie versata videtur, quam tum nimio plures consectabantur.

Hactenus de juniore Astydamante diximus. Ex illa vero ratione, quae supra declarata est, seniori primum tribuimus Alcmaeonem, cujus memoriam reliquit Aristoteles Poët. 14. Versum ejus Welcker. Trag. Gr. P. III. p. 1058. ex Append. ad Stob. p. 10-381 protulit. In Hectore, quo vicit, Plut. de Glor. Athen. 5, splendidissimas Homeri partes imitatus est, ut discessum Hectoris, quantum id quidem ex fragmento ap. Schol. Villoison. ad Hom. Il. ζ, 472 intelligi possit, quod Porso ad Eurip. Hec. 533 tentavit. Porro Hermen scripsit, fabulam satyricam. Athen. XI. p. 496. Nauplium ejusdem Stobaeus Serm. ap. Wech. 274 laudat. De Parthenopaeo vide Suidam l. l. et Photium l. l. Sunt alia denique fragmenta ap. Stobaeum in Serm. ap. Wech. 133, 218, Athenaeum II, p. 40, Scholiast. ad Soph. Oed. Colon. 57, quae Astydamanti ita tribuuntur, ut nec fabula significetur, quacum conjungi, nec poëta, cui adscribi debeant.

Praeclare dictum ille versus Alcmaeonis continet, quo nescio quis non tam opinionibus quidquam tribuendum, quam veritatem docet indagandam esse:

Οὐ τοῦ δοκεῖν μοι, τῆς δ' ἀληθείας μέλει 1).

Est enim in hoc fere omnis philosophiae ratio sita. Quare Cicero de Nat. Deor. I, 22: „*Itaque ego ... quod primum est, esse deos persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim.*" Cf. Diogen. L. III, 33. Porro non clarum genus, sed justitiam ac bonitatem morum conficere nobilitatem ait; quae virtus, licet diligenter ab omnibus quaeratur, a paucis tamen possit inveniri. Stob. l. l. 121.

Γένους δ' ἔπαινός ἐστιν ἀσφαλέστατος,
κατ' ἄνδρ' ἐπαινεῖν, ὅστις ἂν δίκαιος ᾖ,

1) Contrarium ap. Euripid. Orest. 230:
κρεῖσσον δὲ τὸ δοκεῖν, κἂν ἀληθείας ἀπῇ.

τρόπους τ' ἄριστος, τοῦτον εὐγενῆ καλεῖν·
ἓν δ' ἑκατὸν ἐστὶν (ἔργον) εὑρεῖν ἄνδρ' ἕνα,
καὶ τοῦτον οἱ ζητοῦντές εἰσι μυρίοι.

Quae notio verae nobilitatis divisionem Platonis in animum revocat, qui quatuor ejus genera voluit esse, quorum alterum in propriis cujuslibet virtutibus consisteret. Diogen. L. III, 54, 89. Est autem ab iis inventa, qui de moribus, quique de ratione civitatium inquirere coeperant, adversantes inveteratae opinioni illorum, qui antiquitate generis gloriabantur, Cic. de Rep. I, 32; est in fabulis tanto saepius proposita, quo magis efflorescenti libertatis studio favebat. Oblivio malorum vitam apud inferos felicem reddit, Stob. Serm. l. l. 274.

χαῖρ', εἰ τὰ χαίρειν ἔστι που κάτω χθονός·
δοκῶ δ' ὅπου γὰρ μή ἐστι λυπεῖσθαι βίῳ,
ἔστιν τὸ χαίρειν τῶν κακῶν λελασμένῳ.

Itaque felicitatem mortuorum contra illos homines fortasse defendit, quos in summa perturbatione veteris disciplinae tam sempiterna poena scelestorum terrere, quam tranquilla beatitudo bonorum ad sanctos mores pellicere desierat. Est autem in delectu verborum, in definiendo, in argumentando insignis quaedam sermonis subtilitas, quam vel ab ipsis, quos audiit, philosophis, vel a rhetoribus duxit, quorum tum temporis nemo philosophiam cum arte dicendi non habebat conjunctam.

Sed hunc minus recte Valckenarius Diatr. p. 178 C. in versibus ap. Athen. I. p. 40 B:

θνητοῖσι τὴν ἀκεσφόρον
λύπης ἔφηνεν οἰνομήτορ' ἄμπελον·

locum Euripidis ob oculos habuisse opinatur, quod is vim vini similiter Bacchis 771 laudaverit; nam Euripides ibi τὴν παυσίλυπον ἄμπελον vocat. Haec autem imitatio, ut Boeckhius de Gr. Tr. Pr. p. 326 vidit, omnino nulla est, quoniam eadem virtus multifariam ab antiquis pariter ac recentioribus poëtis affertur. Aristoph. Ran. 1321, Horat. Carm. I, 7, 30; III, 12, 2. c. not. Mitscherlichii, Tibull. I, 5, 37.

Nec versus a metrica rhythmicaque ratione plane laudandi sunt. Velut tribrachus apud Stobaeum l. l. 133 alterum pedem primi metri efficit:

γλώσσης περίπατός ἐστιν ἀδολεσχία.

Plures anapaesti, qui sunt in Hermae fragmento, propter ea-

tyricam ejus indolem possunt excusari. Hermann. Praefat. ad Eurip. Cycl. p. XV. Sed unum est tragicum specimen:

δοκῶ δ'· ὅπου γὰρ μὴ ἔστι λυπεῖσθαι βίῳ.

Porro versus:

καὶ τοῦτον οἱ ζητοῦντές εἰσι μωρίοι

in quarto pede incisus est, quanquam idem sententia Hermanni Elem. Doctr. Metr. p. 108 post secundum quoque pedem dividi potest.

ARISTEAS, PRATINAE FILIUS.

Aristeas Phliasius, qui a Proconnesio, nobilissimo poëta epico, satis distinguendus est, Voss. de poët. Gr. p. 18. Müller. Hist. L. G. T. I. p. 422, patrem habuit Pratinam, qui primus satyricum poësis genus fertur condidisse. Nam de hoc Acro ad Horat. Art. Poët.: „*Tragoediis satyra dicitur innata, in quibus salva majestate gravitatis jocos exercebant secundum Cratini institutionem. Is enim primus Athenis Dionysia cum essent, satyricam fabulam induxit.*" Ubi Casaubonus de Sat. p. 121 „Pratinas" recte restituit. Nam Suidas s. v. *Πρατίνας* . . . ὃς πρῶτος ἔγραψε Σατύρους. Vide Schneiderum Orig. Tr. Gr. p. 88. Pratinas autem adversus Aeschylum atque Choerilum Ol. 70 contendit, cum Aeschylus juvenis esset viginti quinque annorum. Suid. s. vv. *Αἰσχύλος*, *Πρατίνας*, Euseb. Chron. ad Ol. LXX, Hermann. Opusc. T. II. p. 144, 151. Quare suspicamur, Aristeam, filium ejus, aetati Aeschyli vel supparem fuisse, vel proximum. Hunc autem et Delrius praetermisit et Vossius et Casaubonus. Peccarunt alii gravius, inter comicos Aristeam referentes. In qua quidem sententia Thom. Gatakerus Oper. Crit. p. 452 fuit, qui Erasmum censuit erroris esse arguendum, quod eum in numero tragicorum habuisset. Nec ei Fabricius aut Valckenarius Liter. ad Roewer. p. XXI, aut Bachius in Crit. Tyrann. Carm. 86 adversatus est. Cujus sententiae cum argumenta circumspicerem, nequaquam a Gatakero proposita, seu mihi ea probanda essent, seu refellenda, memoria unius Aeliani animum tetigit. Nam is in Hist. Anim. VI, 50: *τί οὖν ἐγὼ τοῦ μύθου ποιητής; ἀλλ' οὐκ ἂν εἴποιμι, ἐπεὶ καὶ πρὸ ἐμοῦ Σοφοκλῆς, ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής. καὶ Δεινόλοχος, ὁ ἀνταγωνιστὴς Ἐπι-*

χάρμου, καὶ Ἴβυκος ὁ Ῥηγῖνος καὶ Ἀριστίας καὶ Ἀπολλοφάνης, ποιηταὶ κωμῳδίας, ᾄδουσιν. αὐτόν. Sic Gronovius. Sed Aelianus, cum alioquin levissimus auctor sit, ubi totam auctoritatem in se uno positam habet, tum ordinem poëtarum, quos dinumerat, adeo perturbavit, ut ad istam opinionem confirmandam nullam vim habere videatur. Qui, sive poëtas secundum poësis genera dinumerare voluit, Ibycum Rheginum scenicis poëtis perperam adscripsit, quod is amatoriis carminibus fuit illustris, sin rationem temporis secutus est, post Dinolochum, qui Ol. 73 floruit, Vossius p. 70, mentionem Ibyci fecit, cum is sexaginta fere annis illi esset anteponendus. Sax. Onomast. I. p. 23. Est vero duplex genus poëtarum ab auctore laudatum, unum illud tragicum, e quo Sophocles delibatur: alteri vero Apollophanem, Dinolochum, Ibycum adscripsit, qui omnes ποιηταὶ κωμῳδίας nominantur. Displicet autem sententia Meinekii H. C. p. 505, ποιητὴς pro ποιηταὶ scribentis, tanquam nomen ad solum Apollophanem pertineat. Haec enim emendatio, quemadmodum divisionem tollit, de qua diximus, ita ne sufficit quidem ad difficultates plane removendas. Aelianus igitur, cum Ibycum in comicis numeraverit, aut inconsideratius egit, aut aliam naturam ac divisionem comicae poësis secutus est. Jam vero illud minus probabile ducimus, quod utrumque genus discernit, neque unum poëtam, sed duos in alienum infundit ordinem. Censemus igitur, Aelianum bipartitam philosophorum ac grammaticorum divisionem in animo habuisse, qui omnem poësin in duas partes, tragoediam atque comoediam, diviserant. Nam si rationem hujus placiti recte exposuimus, in comico genere non solum amatoria carmina sequitur, sed satyricas quoque fabulas numerandas fuisse [1]). Sed Gatakerus et omnes, quotquot is secum in errorem duxit, Pausaniam mallem, auctorem cum alias gravissimum, tum dignissimum fide audivissent, ubi cum Aeliano uno comparatur. Scribit is II, 13: ἐνταῦθά ἐστι καὶ Ἀριστίου μνῆμα, τοῦ Πρατίνου. τούτῳ τῷ Ἀριστίᾳ σάτυροι καὶ Πρατίνᾳ τῷ πατρί εἰσι πεποιημένοι πλὴν τῶν Αἰσχύλου δοκιμώτατα. Itaque is fabulas Aristiae et satyros dicit

1) Vide Meinekium Hist. Crit. p. 527. Similis est usus Romanorum. Cic. de Orat. III, 8. c. not. Schütz., Senec. Ep. 100.

et cum patris operibus comparat et tertium in hoc scenicae poësis genere locum obtinere confirmat. Ex quo simul cognoscitur, quanta Aristeae fuerit gloria, quippe cui post Aeschylum ac Pratinam non summus modo honor tributus, sed etiam statua a civibus collocata sit.

Inter fabulas primo loco nominemus Antaeum, Herodian. π. μον. λεξ. p. 10: ἐξεκόπη παρὰ Ἀριστίᾳ ἐν Ἀνταίῳ, ἔνθα φησὶν Ἀνταῖος·

Αἰγαίου Ποσειδῶ παῖς, πατὴρ δ' ἐμός.

De Atalanta, Jul. Poll. VII, 31, dubitant, utrum huic auctoritate libri Falkenbergii vindicari, an Critiae adscribi debeat, cujus nomen plerique librorum tuentur. Addimus Cyclopem, a Suida s. v. Ἀριστίου Κύκλωψ· μέμνηται τούτου Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Σατύρων laudatum. Paullo prolixius idem s. v. Ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ· ἐπὶ τῶν τὰ καλῶς πρότερον γενόμενα ὕστερον μικροῦ τινος ἕνεκεν κακοῦ ἀνατρεπόντων.. Αὕτη δὲ ἡ παροιμία γέγονεν ἐκ τοῦ Ἀριστίου Κύκλωπος, ὥς φησι Χαμαιλέων ἐν τῷ περὶ Σατύρων. Et versum Athenaeus VIII, p. 362 laudat, nec poëta, neque carmine nominato. Sed Zenobius Prov. II, 16: ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ. Ἐν Κύκλωπι δράματι Πολύφημος οὕτως πρὸς Ὀδυσσέα λέγει, ὅθεν εἰς παροιμίαν περιέστη, ac Diogenian. II, 32 haec verba scribunt Polyphemi esse, in Cyclope fabula Ulyssem alloquentis. Vehementer igitur Grotius errat, cum e carmine Philoxeni, quod Cyclops nominatum est, haec esse desumpta existimet. Sed is ita deceptus est, quod inter libros, e quibus illam operis materiam hausit, nequaquam Suidam, ut ipse fatetur, adhibuit. Sed peccatum ejus, notatum ab homine Britanno, qui de Porsonia opera in Euripidis Hecuba edenda judicavit, Hermann. ad Aristot. Poët. II, 6 p. 100, jam eo satis refellitur, quod Chamaeleon vim versus, quem Suidas tribuit Aristiae, in libro de satyris dicitur extulisse. Nam amores Cyclopis erga Galateam Philoxenus dithyrambo exornavit, Schol. ad Aristoph. Plut. 296; hic autem fatales epulas Cyclopis, quibus quidem Ulysses interfuit, explicavit satyrica fabula, cujus argumentum animo facile informare potuit, qui narrationem Homeri cum Euripidis Cyclope contenderit. Ulysses, credo, cum inter epulas merum dedisset Cyclopi, quo facilius is fieret vinolentus, sibi vero largius aqua

temperaret, ut mentis suae compos maneret, a Cyclope potus amantissimo, Hom. Od. IX, 353: *ἥσατο δ' αἰνῶς ἡδὺ ποτὸν πίνων*, monitus est, ne merum, aqua nimis infusa, corrumperet. Est igitur simillimus Euripidis locus, cum Cyclops interroganti Sileno 561:

πῶς οὖν κέκρασαι; φέρε διασκεψώμεθα.

respondet indignabundus 562:

ἀπολεῖς· δὸς αὐτόν.

Alia fabula *Κῆρες* fuit inscripta Athen. XV, p. 686 A. Quod nomen a Toupio Opusc. Crit. T. II. p. 51 frustra tentatum est, qui *Κρῆτες* scribere voluit. Nam et libri consentiunt, vulgatae illi fidem facientes et Achaeus similiter *Μοίρας* reliquisse fertur. Orpheum hujus Jul. Poll. IX. p. 475 laudat. Alius est locus ap. Athen. II, p. 60 B.

DE SOPHOCLIS FAMILIA.

Cum plures de Sophoclis posteris artem familiae propriam aut suis fabulis ornarent, aut acceptissimas seu patris, seu avi tragoedias denuo docentes servare, atque commendare conarentur, in tragoediae studium tot commoda redundarent necesse fuit, quot assidua contemplatio perfectissimae poësis ad excolendum rei tragicae sensum parare debebat. Nam qui tum alios poëtas et spectatores facere potuisse censes, quin laudes ejus vehementer mirati sequendas judicarent? Quanquam non liquet, quid maxime ex Sophoclis poësi in sua opera transtulerint. Qui enim vel egregiam compositionis artem, vel veritatem ac vigorem in personis, vel insignem dicendi vim, vel audaciam ac splendorem luminum, vel morales sententias, quibus divini fabulae vatis distinctae sunt, animo percepit, secumque perpendit, is e regulis haec omnia minus addisci, quam naturae dotibus hominisque omnium longe praestantissimi ingenio deberi consentit. Jam poëtae, qui Sophocle paullo inferiores erant, nova quaedam ornamenta invenerant, quibus Sophoclis fabulae ab artificiosis Euripidis operibus distant. Nam quis in illo vel ostentationem philosophi invenerit, vel nugas sophistarum? Quis objecerit ei, quod inculcaverit oratorias disputationes, quod alienos impetus moverit et commotiones animi quasdam affectionesque, quod operose quaesierit oblecta-

menta, quae a finibus tragoediae procul recedant. Quae, quoniam sese nec ultro offerunt, nec vi obtrudunt, sed ab iis vulgo cupidius anquiruntur, quibus placere coeperunt, eo constantius Sophocles et ipse repudiavit, et posteris persuasit fugienda esse, quo rectius scientiam artis suae intellexerat. Porro iisdem, ni fallimur, praecepit, ut chorum, de quo luculenter adversus aemulos scripsit, in angustum deducerent eundemque cum actione arctius conjungerent. Fuisse autem familiam Sophoclis, post Boeckhium Gr. Tr. Pr. p. 115 Welckerus Tr. Gr. P. I. p. 85, P. III, p. 975 et Müllerus H. L. Gr. T. II. p. 187 docuerunt. Quae tribus poëtis, duobus filiis, Aristone atque Iophonte, unoque nepote constitit, cui nomen cum avo fuit commune. De quibus singulatim hinc dicere ingredimur.

Aristo. Inter Sophoclis filios Aristonem fuisse, consentiunt Suidas s. v. *Σοφοκλῆς... παῖδας δὲ οὓς ἔσχεν, οὗτοι· Ἰοφῶν, Λεωσθένης, Ἀρίστων, Στέφανος, Μενεκλείδης.* Anonym. Vit. Soph. *ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεωρίδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα.* Unde nomen matris cognoscitur, quae, Theoris vocata, genere civis Sicyonia fuit. Quam non legitimae uxoris, sed meretricis habuit loco. Suidas s. v. *Ἰοφῶν.... γέγονε γὰρ αὐτῷ καὶ νόθος υἱὸς Ἀρίστων.* Jam vero tragicum Diogenes L. VII, 2, 9 sex viris accenset, quos, velut eo nomine vocatos, enumerat. Unde Lil. Gyraldus p. 294 Aristonem tragicum sibi genere Chium fingit, qui, cum Menesthenum potentissimum Atheniensem, vexavisset tragoedia, ex urbe ejectus sit. Quod ipsum Vossius p. 85 ad verbum repetiit. Falso. Verba Diogenis ad Sophoclis filium referri debent. Nam studium tragicae poësis neque a Sophoclis prole omnino neglectum et a juniore Sophocle, Aristonis filio, exceptum est. Hunc igitur tragicis annumerant Boekhius l. l. p. 116, Welckerus l. l. I, 35, III, p. 977. aliique, Müllerus autem silentio praeteriit. Ni satis habuit, fabulas patris docere, iis, quas ipse scripsit, magnam gloriam saltem assecutus non est. Neque enim de vita hujus quidquam scriptum reperitur, nec fragmentum aut nomen tragoediae exstat, quod ei possit jure quodam vindicari. Errat enim Gyraldus, fabulam hujus in Menesthenum scriptam fuisse contendens, Colomes. ad h. l. Welcker. l. l. p. 978. Sed Clem. Alexand. Strom. II, p. 407:

ὅθεν, ὡς ἔλεγεν Ἀρίστων, πρὸς ὅλον τὸ τετράχορδον, ἡδονήν, λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν πολλῆς δεῖ τῆς ἀσκήσεως καὶ μάχης·

οὗτοι γάρ, οὗτοι καὶ διὰ σπλάγχνων
χωροῦσι καὶ κυκλῶσιν ἀνθρώπων κέαρ κ. τ. λ.

Quae, quoniam nonnulla trimetrorum indicia habere videbantur, Grotius Excerpt. ex Trag. p. 439. Not. p. 962. ad numerum iambicum redacta Agathoni vindicavit, quod nullum Aristonem in numero tragicorum cognovisset [1]). Quem Gruppius Ariadn. p. 562 sequitur, re parum explorata. Sed iste, si locum Diogenis inspexisset, vix unquam nomen conjectura praetulisset, cujus cum vulgata lectione nulla est similitudo. Nec metra idem minore audacia reficere conatus est; scripsit enim:

πρὸς τὸ τετράχορδον δ' ὅλον
τὴν ἡδονήν, ἐπιθυμίαν, λύπην, φόβον
ἀσκήσεώς γε καὶ μάχης πολλῆς δέει.
οὗτοι γάρ, οὗτοι καὶ διὰ σπλάγχνων ἔσω
χωροῦσι καὶ κινῶσιν ἀνθρώπων κέαρ.

In quo tantam miramur emendandi licentiam, ut dubitari liceat, num ulla pars solutae orationis metrorum adeo expers reperiatur, quin iisdem artibus aliquando in versuum formam redigi possit. Porro haec poësis quam frigida quamque verbosa esset! Et tametsi recentiores poëtae e philosophia in tragoediam multa transtulerunt, quae non tam tragicum, quam philosophicum habeant colorem; hic tamen non de certa animi perturbatione, sed de omni perturbationum genere agitur, ut facile agnoscas philosophum, non poëtam, disputantem. Accedit autem gravissimum argumentum, quo eas nec Agathonis, neque Aristonis tragici demonstremus esse reliquias, quod partitio animi perturbationum, ad quam verba Clementis spectant, a Zenone Stoico profecta est. Nam is in libro περὶ παθῶν Diogen. L. VII, 1, 63: τῶν δὲ παθῶν τὰ ἀνωτάτω (καθά φησιν Z. κ. τ. λ.) εἶναι γένη τέτταρα λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, ἡδονήν. Quare fragmentum Aristoni, philosopho Chio,

1) Addit is in not. p. 962: „Adscribitur haec sententia in Clementis editione Aristoni; ego Agathoni ex conjectura adscripsi, quod Aristonem inter tragicos non invenirem. Priores duo versus confusi ibidem exstant."

tribuimus, qui placita Zenonis, cum auditor ejus fuisset, exposuit plurimis libris. Diog. L. VII, 2, 4. Idem Gatakerus Adversar. Miscell. Posth. c. 9. Vide Opera ejusd. p. 496.

Amplissimus item locus Aristonis ap. Theoph. ad Autolyc. III. p. 296 exstat. Quem Grotius Exc. p. 1004 in metrum iambicum redactum Aristophonti comico adscribit. Quod Meinekius cum olim probavisset Hist. Crit. p. 411, ad philosophum nuper recurrere maluit ibid. Praefat. IX, XII.

Iophon. Iophontem Sophocles e Nicostrata genuit, uxore legitima. Vit. Soph. ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα; Suid. s. v. Ἰοφῶν, Ἀθηναῖος τραγικὸς, υἱὸς Σοφοκλέους τοῦ τραγῳδοποιοῦ γνήσιος; Eudoc. Viol. p. 248; Schol. ad Aristoph. Ran. 73. Ἰοφῶν υἱὸς ἦν Σοφοκλέους ἐκ Νικοστράτης. Suid. s. v. Σοφοκλ. Hic fabulas docuit, antequam pater est mortuus. Schol. l. l. πατρὸς ἔτι ζῶντος. Velut Ol. 87, 4 cum Euripide atque Ione contendens, alterum locum obtinuit, ut ex Argument. in Eurip. Hippol. apparet. Sed eum ultra Ol. 93, 3 vixisse, partim ex Aristophanis Ranis, partim ex eo cognoscitur, quod patri sepulcrale carmen fecit. Valer. Max. VIII, 7, 12. Ceterum nihil hic quaerere attinet, patremne, cum senectute is admodum esset confectus, dementiae accusando summae impietatis specimen dederit; an ad vetustatis somnia rejici debeant, quae antiqua hac de re monumenta loquantur. Vide Vit. Soph., Lucian. Macrob. c. 24, Cic. Cat. Maj. 7., Hermann. Praef. ad Soph. Oed. Colon. p. IX, Welcker. Trag. Gr. P. I. p. 254 ss. Id enim mores ingeniumque hujus declarat, poësin non item.

Quinquaginta fabulas scripsit, quarum sex nominatim appellantur. Suid. s. v. Ἰοφῶν .... δράματα δὲ Ἰοφῶν ἐδίδαξε ν', ὧν ἐστιν Ἀχιλλεύς, Τήλεφος, Ἀκταίων, Ἰλίου Πέρσις, Δεξάμενος, Βάκχαι, Πενθεύς. Eudoc. l. l. Ubi duo nomina, quae sejuncta leguntur, Βάκχαι ἢ Πενθεύς, cum ad unam eandemque fabulam pertinere videantur, Valckenarius Diatr. p. 16 B particula ἢ conjungenda esse existimat. Assenserunt Heerenius ad Stob. Eclog. Ph. II. p. 10., Boeckhius Gr. Tr. Pr. p. 116, Welckerus Tr. Gr. P. III. Et similiter quidem tragoedia Euripidis, quam vulgo Βάκχας appellant, nonnullis in libris Πενθεὺς inscribitur. Valcken. l. l. Quo magna accedit facilitas, qua particula ἢ post Βάκχαι intercidere

potuit, quippe quae magnam cum ultima ejus vocis syllaba similitudinem seni habeat. Quare in sententia clarissimi viri persistimus. Fragmentum hujus fabulae citat Stobaeus Ph. Eclog. l. l. Praeter illas autem tragoedias Clemens Alex. Strom. I. p. 280 *Αὐλῳδοὺς*, velut *δρᾶμα σατυρικὸν*, memorat: *Ἰοφῶν τε ὁμοίως, ὁ κωμικὸς, ἐν Αὐλῳδοῖς Σατύροις ἐπὶ ῥαψῳδῶν καὶ ἄλλων τινῶν λέγει*

καὶ γὰρ εἰσελήλυθεν

πολλῶν σοφιστῶν ὄχλος ἐξηρτημένος.

Quo loco Grotius, quamvis scripta veterum in suspicionem vocare ac multifariam tentare consuevisset, tamen Iophontem non vidit aut falso, aut sensu non proprio comicum dici. Hunc enim Exc. p. 876 auctoritate Clementis inter comicos retulit scriptoremque tam satyricae fabulae, quam Baccharum vocavit. Sed alii potius emendandum rati, *τραγικὸς* pro *κωμικὸς* scripserunt. Vide Casaubon. de Sat. p. 148, Hermann. Opusc. T. I. p. 50, Boeckh. l. l. p. 116. Nec vero Clemens de Iophonte, qui a Sophoclis filio diversus fuit, quidquam compertum habuit; nulla enim ejus memoria exstat. Addimus, quod satyros comico tribuit, a quibus comicos constat abstinuisse. Quin ex hoc ipso poësis genere, in quo dicitur esse versatus, apparet eum tragicum filiumque Sophoclis fuisse. Quem si vere intelligimus, tragicum comicumque genus nequaquam junxisse putandus est. Quamobrem in voce *κωμικὸς* haeremus, nisi proprie dicta non est. Atqui nobis cum supra sermo in Aristeam incidisset, bipartitam poësis divisionem novimus, a Platone inventam, ex qua *σατύρους* comico generi adscriptos esse conjecimus. Quam Clemens, ni fallor, respiciens, Iophontem, velut Auloedorum scriptorem, comicum dixit.

Hunc Dionysus Aristophanis arguit, quod opera patri vel scripta, vel perpolita pro suis vendiderit. Nam cum, patre vix mortuo, nondum, quid suis ipse viribus possit efficere, constet, nec facultatem sibi de eo judicandi ait, neque id agendum esse, ut Sophoclem jussu Herculis in vitam ab inferis reducat. Ran. 78:

οὔ, πρίν γ' ἂν Ἰοφῶντ', ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον,
ἄνευ Σοφοκλέους, ὅτι ποιεῖ, κωδωνίσω.

Quod ita Scholiasta interpretatur: *Ἰοφῶν υἱὸς ἦν Σοφοκλέους ἐκ Νικοστράτης, ὃς δόκησιν παρεῖχεν, ὅτι τοῖς τοῦ πατρὸς*

ἐχρῆτο ποιήμασιν, ὡς οἰκείοις. Et Suidas s. v. Ἰοφῶν... ἐδίδαξε... καὶ ἄλλα τινὰ τοῦ πατρὸς Σοφοκλέους. Quocirca, quoniam grammaticus, quem nuper Cramerus protulit, Antigonam, quae Sophocli vulgo tribuatur, a nonnullis Antiphonti, filio Sophoclis, docet vindicatam esse [1]), is autem nullibi inter posteros ejus poëtae commemoretur, Anecdot. Gr. T. IV. p. 315: πολλὰ γὰρ νοθευόμενά ἐστιν, ὡς ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη. λέγεται γὰρ εἶναι Ἀντιφῶντος, τοῦ Σοφοκλέους υἱοῦ, mirabilem hunc locum emendarunt, Ἰοφῶντος pro Ἀντιφῶντος reponentes. Welcker. Trag. Gr. P. I, p. 269; III, p. 976, Schneidewin. Fragm. Poët. Gr. e pap. p. 18 et 19.

Hic ni summis laudibus poësis floruisset, de adjumento, quod pater in compositione fabularum ipsi praestitisset, nil veteres potuissent suspicari. Verum enim apud Aristophanem Dionysus, ubi duo coryphaei decesserint, poëtam nobilem praeter Iophontem omnino nullum queritur esse relictum, si quidem virtutes is semper ostendere pergat, quibus ad id usque tempus excelluerit. Aristoph. Ran. 73:

Ἡρακλῆς.
οὐκ Ἰοφῶν ζῇ;
Διόνυσος.
τοῦτο γάρ τοι καὶ μόνον
ἔτ' ἐστὶ λοιπὸν ἀγαθόν, εἰ καὶ τοῦτ' ἄρα·
οὐ γὰρ σάφ' οἶδ', οὐδ' αὐτὸ τοῦθ' ὅπως ἔχει.

Quam laudem illud quoque illustrat, vel confirmat, quod non solum vivo patre splendidam victoriam Schol. ad Ran., sed alterum quoque post Euripidem obtinuit locum, ut Ioni praeponeretur, cujus nomen non erat obscurum. Argument. in Eurip. Hippol. Sed reprehendit eum nescio quis comicus ob frigidum, neque concisum dicendi genus. Schol. l. l. 78: οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ψυχρὸς καὶ μακρὸς εἶναι. Chorica carmina una cum Euripide fecisse dicebatur. Vide Eurip. Vit. ed. Elmslej. Ex quo, etsi id plane commentitium ducitur, huic tamen in ea fabularum parte fuisse quandam cum

---

1) De retractatione Antigonae vide Boeckhium Gr. Tr. Pr. p. 139 et Wex. ad Soph. Antigon. 1013.

Euripide similitudinem collegeris. Quemadmodum, quae Clemens l. l. servavit, de inani sophistarum studio intelligi possunt; sic apud Stobaeum Eclog. Ph. l. l. naturam rerum divinarum eo minus recludi ac percipi mulier contendit, quo magis investigetur:

Ἐπίσταμαι δὲ καὶ τάδ᾽, οὖσά περ γυνή,
Ὡς μᾶλλον, ὅστις εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν
Ζητεῖ, τοσούτῳ μᾶλλον ἧσσον εἴσεται.

Sophocles. Sophocles junior, nepos coryphaei, Aristone natus est. Suid. s. v. *Σοφοκλῆς Ἀρίστωνος, υἱωνὸς δὲ τοῦ προτέρου Σοφοκλέους τοῦ πρεσβυτέρου, Ἀθηναῖος τραγικός.* Cf. Vit. Soph. Quatuor annis, postquam avus diem supremum obiit, Oedipum Coloneum dedisse fertur Ol. 94, 3. Est enim argumentum ejus fabulae e Laurentiano libro C. prolatum, quod ita hoc tempus significat: *τὸν ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίποδα ἐπὶ τετελευτηκότι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν υἱὸς ὢν Ἀρίστωνος, ἐπὶ ἄρχοντος Μίκωνος, ὅς τέταρτος ἀπὸ Καλλίου, ἐφ᾽ οὗ φασιν οἱ πλείους τὸν Σοφοκλέα τελευτῆσαι.* Vide minorem editionem Sophoclis, a Dindorfio paratam p. 318. Sed Diodorus Sic. IV, 53. aliam olympiadem tanquam tempus significat, quo inceperit fabulas docere: *ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις Σοφοκλῆς ὁ Σοφοκλέους τραγῳδίαν διδάσκειν ἤρξατο.* Ubi quod dicitur *Σοφοκλῆς ὁ Σοφοκλέους* latiore sensu accipiendum est. Bernhard. Synt. Gr. p. 160 sq. Schultz. Vit. Soph. p. 111. Sed maximo id debet argumento esse, verum esse, quod cum Hermanno supra contendimus, nec fabulas unquam, nec victorias iis tributas esse, qui tragoediis superiorum poëtarum vicissent. Nam Sophocles junior ex eo demum tempore fabulas dedisse dicitur, quo propria artis specimina edidit, quanquam ante docuerat Oedipum avi. Nonnulli huic quadraginta fabulas tribuunt, alii vero quinquaginta unam Suid. s. v. *ἐδίδαξε δὲ δράματα μ΄, οἱ δὲ φασιννα.* Ubi quod est vulgatum *να΄*, quodque Aldinum habet exemplar, Boeckhius Gr. Tr. Pr. p. 116, auctore Petito, in *ια΄* mutavit. Vicit duodecies. Diodor. l. l. *νίκας ἔσχε δυοκαίδεκα.* Unde, ni propria scriptorum dissensio fuit, ap. Suidam *νίκας δὲ εἷλε ιβ΄* reponemus, ut Boeckhio visum est, cum libri manu scripti et typis impressi *νίκας δὲ εἷλε ζ΄* habeant. Quo quidem numero victoriarum confirmatur, quod de fabularum multitudine

suspicati sumus. Nam poëta, qui duodecies vicit, et in scenam totidem prodiise et quadraginta octo fabulas dedisse putandus est, cum singuli poëtarum uno die quaternas fabulas conjungere solerent.

Nepotem ab avo unice dilectum esse, Anonymi. in Vit. Soph. ἔχων γὰρ .... τὸν ἐκ τούτου (Ἀρίστωνος) γενόμενον παῖδα, Σοφοκλέα τοὔνομα, πλέον ἔστεργε scribit. Itaque senex, praeclaras ingenii dotes in juvene miratus, ad usum rationemque suae artis mature videtur excoluisse. Quanquam opinio Boeckhii displicet, qui juvenem, aetate non valde provectum, cum is aliquot annis post avi mortem in scenam devenerit, ingenio, nomine artisque laudibus ejus tam mature captum esse existimat, ut in omni vitae ratione totum ei se dederit. Sunt autem in tanta poëtarum turba, qui tragicum genus colebant, multi victoriam consecuti, quamvis insulsi homines essent, neque optima carmina facerent. Huc illustre familiae nomen nobilissimique poëtae gloria accessit, a quo non solum in deliciis habitus, sed ad optimum artis usum informatus dicebatur. Sed quamvis magnum studium ac favorem in scenam secum attulerit, duodecim tamen victorias nec prospero fortunae flatu, neque aura populari, sed vera et insigni praestantia ingenii consecutus est, qua omnibus antecelluit aemulis. Tot enim praemiis ne principes quidem tragicorum ornati sunt, Boeckh. Gr. Tr. Pr. p. 141, quot ei tradunt decreta esse.

Idem cum Patrocle Thurio divinam vim naturamque in Dioscuris esse negavit. Nam Clem. Alex. Protr. II, 30. p. 9. ed. Sylb.: Πατροκλῆς τε ὁ Θούριος καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις ἱστορεῖτον τῶν Διοσκούρων πέρι· ἀνθρώπω τινὲ τούτω τὼ Διοσκούρω ἐπικήρω γενέσθην; εἶ τῳ ἱκανὸς πιστώσασθαι Ὅμηρος τὸ λελεγμένον· τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα. Qui quod de tribus tragoediis dicit, Lessingius Vit. Soph. sic falso censet interpretandum esse, ut de justa forma trilogiae cogitemus. Nam cum ea sit numeri ratio, ut de sejunctis fabulis intelligi debeat, quae nullo copulatae vinculo fuerint, tum duorum poëtarum locos, quibus talem sententiam confirmaverant, a Clemente negligentius afferri apparet; adeo ut uni duas tragoedias, alteri tertiam vindicare possimus. Quamobrem sententiam ejus, ab Hermanno de Tetralog. p. 5. non valde probatam, Schultzius Vit.

Soph. et Welcker. Trag. Gr. P. III. p. 979 refellerunt. Inter fabulas autem, quas Aristophanes grammaticus majoris esse Sophoclis voluit, septendecim olim *νοθείας* coargutae sunt. Vide Anonym. Vit. Soph. Quare Casaubonus opera nepotis in avum translata colligit. Quod hoc facilius fieri potuit, si ambo tragoedias iisdem nominibus appellarunt. Welcker. l. l. P. I. p. 85.

DE EURIPIDIS FAMILIA.

Nunc etsi de Euripidis familia disputare ingredimur, tamen, quae ad omnem ejus poësin cognoscendam pertinent, hoc loco plane praetermisimus, quod aptius infra exponentur, ubi memoriam eorum illustrabimus, qui aetati Euripidis vel suppares fuerunt, vel proximi. Sunt autem duo tragici, qui e Mnesarchidae familia genus duxerunt. Quorum unus, qui coryphaeo antiquior fuit, duas victorias consecutus est. Suidas s. v. *Εὐριπίδης Ἀθηναῖος τραγικός, πρεσβύτερος τοῦ ἐνδόξου γενομένου. ἐδίδαξε δράματα ιβ΄, εἷλε δὲ νίκας δύο.* Quod quare Barnesius Vit. Soph. §. 25 dubitaverit, nec nobis, neque aliis liquet. Boeckh. Trag. Gr. Pr. p. 226, Welcker. l. l. P. III. p. 936. Ex Atheniensium more, quo filius nomen avi gerebat, suspicari licet, hunc avum nobilissimi poëtae fuisse.

Euripides autem, qui patrem habuit Mnesarchum, tres filios reliquit, quorum primus Mnesarchides mercator, alter Mnesilochus histrio, tertius Euripides literarum studio deditus fuit. Thomas Magister Vit. Eurip. ap. Pflugk. P. I p. LXVII: *γυναῖκα δὲ γήμας πρώτην μὲν Μελιτώ, ἔπειτα, αὐτῆς ἀπελθούσης, Χοιρίλην υἱοὺς ἔσχε τρεῖς, Μνησαρχίδην ἔμπορον, Μνησίλοχον ὑποκριτὴν καὶ ὁμώνυμον αὐτῷ Εὐριπίδην περὶ λόγους διατρίβοντα.* Nec aliter Moschop. ibid. p. LXV: *ἔγημε δὲ ὅμως πρῶτον μὲν Χοιρίλην, θυγατέρα Μνησιλόχου, ἐξ ἧς ἔσχε Μνησίλοχον καὶ Μνησαρχίδην καὶ Εὐριπίδην.* Et quemadmodum auctor Vitae, quam Elmslejus e codice Mediolanensi edidit, postea vero Pflugkius nobiscum communicavit l. l. p. LXX, Thomam Magistrum sequitur, ita Suidas s. v. cum Moschopulo facit, ad verbum paene consentiens. Hic autem e libris Dionysii cujusdam Euripidem, fratre principis natum, tragoedias refert scripsisse. Unii partim

Orestem, Medeam, Polyxenam fabulas, partim editionem Homeri tribuit, de qua dubitetur, utrum ab hoc profecta, an ab alio comparata sit. s. v. *Εὐριπίδης τραγικός, τοῦ προτέρου ἀδελφιδοῦς, ὡς Διονύσιος ἐν χρονικοῖς. ἔγραψε δὲ Ὁμηρικὴν ἔκδοσιν, εἰ μὴ ἄρα ἑτέρου ἐστίν. δράματα αὐτοῦ ταῦτα· Ὀρέστης, Μήδεια, Πολυξένη.* Ubi quanquam incertum est, quo vox *πρότερος* pertineat, Wolf. Proleg. p. CLXXXV not. 50, cum paullo ante de antiquiore dicat Euripide, mox autem homonymum quendam commemoret, qui fratrem coryphaei patrem habuerit, s. v. *Εὐριπίδης Μνησάρχου . . . . νίκας δὲ εἵλετο ε΄, τὰς μὲν τέσσαρας περιών, τὴν δὲ μίαν μετὰ τελευτήν, ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου;* locum tamen, omnibus rei momentis accuratius perpensis, de filio potissimum intelligimus, quem frater Mnesarchidae genuit, sive vocabulo illo non tam locum, quam dignitatem significavit, sive series articulorum in Suidae libris mutata est, ut, quae de celeberrimo tragicorum principe narrantur, cum illis essent praemissa, quae ad fratris filium spectant, haec tertio ex loco intruderentur in alterum. Hinc Valckenarius Diatrib. p. 94 C. duo patrueles hoc nomine censet vocatos esse, unum, quem princeps tragicorum, alterum, quem frater ejus reliquerit. Quod Beckius De Rheso §. 16. approbavit. Nec vero Suidas, nisi de genere hujus veteres ambegissent, nominatim auctorem sententiae appellavisset. Ac recensio Homeri, quam idem adscribit illi, quem Euripidi fratris filium fuisse ait, ab Euripidis filio confici potuit, quippe qui literariis laboribus esset occupatus. Sed illud est maximo denique argumento, de generis diversitate agi, nec res duorum ad unum falso relatas esse, quod victoriam, qua Scholiasta filium Euripidis ornat, ad Ran. 67: *οὕτω δὲ καὶ αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου, τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμωνύμως ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας,* illius fuisse Suidas scribit, quem fratre principis natum opinatur, s. v. *Εὐριπίδης . . . . νίκας δὲ εἵλετο ε΄, τὰς μὲν τέσσαρας περιών, τὴν δὲ μίαν μετὰ τελευτήν, ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου.* Unde cum satis caussae non esse appareat, qua Valckenarius duo poëtas cognomines finxerit, consensum eorum, qui Euripidem inter principis filios referunt, longe pluris, quam nomen Dio-

nysii ducimus, praesertim cum is fide didascaliarum, quam Scholiasta probat, aperto confirmetur. Contrarium Boeckhius Tr. Gr. Pr. p. 226 docet, quanquam haud fieri potuisse negans, ut Euripides junior, a Mnesarchida, cui fratris filius esset, in filii locum accitus, hoc nomen improprio sensu acciperet.

Haec autem utcunque alii aliter judicant, Euripides, qui principum tragicorum junior fuit, tres tragoedias Medeam, Orestem, Polyxenam fecit; idemque recensionem Homeri comparavit. Atqui neque ullum fabularum fragmentum reperitur, neque alia mentio hujus editionis, quam quae ap. Eustath. p. 366 occurrit. De editione nihil admiramur; cujus nomen, si quod unquam fuit, insigni criticorum gloria obscuratum est, qui postea Alexandriae Homerum emendarunt. Sed illud longe mirabilius est, quod nomina tragoediis, quae totae perierunt, cum iis fuerunt communia, quas pater fertur scripsisse. Jam Moschopulus tragoedias mortui principis victoria semel ornatas tradit. Cf. Moschop. ap. Pflugk. l. l. LXVI: νίκας δὲ εἵλετο πέντε, τὰς μὲν τέσσαρας περιών, τὴν δὲ μίαν μετὰ τὴν τελευτήν. Quod iisdem fere verbis Suidas l. l. memoriae prodit; sed is fabulas refert, quibus talis honor decretus sit, a juniore Euripide doctas esse. Et plenius etiam Scholiasta Ran. l. l. ex didascaliis tragoedias, quibus tum vicit, Alcmaeonem, Bacchas, Iphigeniam Aulidensem nominatim appellat. Unde liquet, Euripidem juniorem fabulas mortui patris dedisse. Qui tribus, quae suis nominibus vocantur, tragoediis, cum feliciter vicisset, sine controversia alias adjunxit, praesertim cum populus in dies majore Euripidiae poesis desiderio exardesceret. Quare etiamsi eas initio docuit, quas pater procul Athenis scripserat, cum Archelai hospitio esset exceptus, mox tamen nihilominus editas pridem veteresque tragoedias in scena certe proposuit. Ut Alcmaeonem, Bacchas, Iphigeniam docuit. Quae opera, nisi plane mutata, non potuit populo commendare. Nam id cum in omni fabula, tum in Euripidis operibus maxime necessarium fuit, quae Aristophanes adeo irriserat, ut, nisi mendis, quae comicus reprehenderat, liberatae omnino nequirent placere. Atqui is in singulis nec vocibus, nec figuris, nec peculiaribus fabularum partibus, sed in vitiosa compositione cavillatus fuerat. Wissowa etc. p. 18. Quamobrem nec nova ineditaque opera, nisi mutata, neque cognita aliter proponere potuit, nisi

novam in formam redacta, cum id effecisset, ut filio magis, quam patri, deberi viderentur. Quod quidem si factum est, fabulae, quas modo retractaverat, ei facile adscribi poterant. Quapropter eas quoque patri tribuimus, quae ipsi assignantur. Nam id partim e reliquiis narrationibus, in quibus nihil inest de propria hujus poesi, partim ex fabularum nominibus, quae in principis opera cadant, partim e vita studiisque viri colligimus, qui recensionem Homeri instituit.

DE CARCINI FAMILIA.

Praeter Aeschyli prolem nulla tragicorum familia tam diu hoc genus poësis coluit, quam progenies Carcini. Quae cum per quatuor aetates hominum floreret, tragoediam et chori saltationibus ornavit et artificiosis machinis auxit et iis recoluit speciminibus, quae in illo genere, etsi non optima, nequaquam tamen spernenda essent. Sed haec pars disputationis, ad quam nunc pervenimus, cum plures Carcini fuerint iidemque in veterum scriptis non satis accurate distinguantur, et multas angustias habet, nec paucis difficultatibus impedita est. Quam quidem ob rem cum nobis tanto cautius esset quaerendum, quanto spinosior illa videbatur, Aristophanem, ut gravissimum hujus rei auctorem, ita secuti sumus, ut cetera undecunque congesta, si fidem faciebant, cum iis conjungeremus, quae comicus aperto declarat, aut tecte significat. Sunt autem in hac historia illustranda primarii viri versati, Vossius de Poët. Gr. p. 48, Fabricius Biblioth. Gr. T. II. p. 290, Meinekius Hist. Crit. p. 505 etc., Welckerus Trag. Gr. T. III. p. 1016, 1060, Müllerus Hist. Lit. Gr. T. II. p. 182.

Strepsiades igitur Aristoph. Nub. 1259, ubi voces Amyniae

ἰώ μοί μοι

misere clamantis audit, interrogat:

τίς οὑτοσί ποτ' ἔσθ' ὁ θρηνῶν; οὔ τί που
τῶν Καρκίνου τις δαιμόνων ἐφθέγξατο;

Ad quae Scholiasta: *τῶν Καρκίνου δαιμόνων· παρ' ὑπόνοιαν εἶπεν ἀντὶ τοῦ παίδων, ἐπεὶ τραγικῶς ἀνεφώνησε τὸ ἰώ μοί μοι. Καρκίνου δὲ παῖδες Ξενοκλῆς, Ξενότιμος καὶ Δημότιμος. καὶ οἱ μὲν χορευταὶ Ξενοκλῆς κ. τ. λ. Ἄλλως· φασὶν ὡς ὁ Καρκίνος οὗτος, ποιητὴς ὢν τραγικὸς, εἰσήγαγέ τινας*

τῶν θεῶν ἔν τινι δράματι διεσπαθοῦντας. Quare poëta quin versibus illis ad tragicum voluerit alludere, cum propter loci rationem, tum ob Scholiastarum sententiam dubitandum non est. Nam etsi alter, qui posteriora scripsit, ad aetatem longe recentissimus est, neque aut doctrina, aut praestantia ingenii magnopere commendatur; alter tamen nihilominus patrem filiorum hic vidit irrideri, quem tragicae poësi deditum fuisse accepimus. Ad illum enim Pacis 782 locum, quo iidem pueri notantur, vetus interpres: *Καρκίνος τραγῳδίας ποιητὴς, δὲ εἶχε ταπεινούς τινας παῖδας.* Neque alius est, cui Scholiast. ad Vesp. 1500 patrem fuisse Thorycium tradit: *Καὶ Καρκίνος μέν τις ἦν ὁ Θορυκίου υἱός.* Porro Carcinus Aristophanis a Suida s. v. *Καρκίνος, ποιητὴς Ἀττικὸς* nominatur Atheniensis, id quod Scholiasta Thesmoph. 447 *οὗτος δὲ Ξενοκλῆς υἱὸς ἦν τοῦ Καρκίνου, ποιητοῦ Ἀττικοῦ* repetiit. Quae cum ita sint, Carcinum Atheniensem, filium Thorycii, qui circa Ol. 89, 1 virilem aetatem attigerat, in tragicorum numero constat habendum esse. Sed comicus inter filios hujus, quos ita multifariam carpit, ut nec numerum, neque studia eorum significet, duos actores fuisse, unum vero tragicum poëtam testatur. Vesp. 1501 etc., 1505, 1511. Unde fluxit, in quo Scholiastae consentiunt ad Pac. 752: *παῖδες δὲ Καρκίνου τρεῖς Ξενοκλῆς, Ξενότιμος, Ξέναρχος.* Nub. 1264: *Καρκίνου δὲ παῖδες Ξενοκλῆς, Ξενότιμος καὶ Δημότιμος.* Ran. 86: *υἱὸς δὲ Καρκίνου Ξενοκλῆς, ἀδελφοὶ δὲ αὐτοῦ Ξενοκλείτος καὶ Ξενότιμος.* Qui cum eundem habeant numerum, de ipsis eorum nominibus discrepant. Nam omnes tam Xenoclem, quam Xenotimum agnoscunt; tertius autem utrum Demotimi nomen habuerit, an Xenarchi, an Xenocliti, incertum relinquunt. Cujus varietatis ac dissensionis vetustatem caussamque circumspicientes in Pherecratis locum incidimus, qui Agriis fabula; quam Ol. 89, 4, id est, duobus annis post Vespas Ol. 89, 2 docuit, Athen. V, p. 218 D, adversus Aristophanem aemulum, opinor, non tres filios huic, sed quatuor esse contendit. Schol. ad Vesp. 1500: *εἰς σμικρὸν τὸν Φιλοκλέα καὶ τὸ φαλάγγιον· δῆλον δὲ ἐκ τῶν Φερεκράτους Ἀγρίων. Καὶ Καρκίνος μέν τις ἦν ὁ Θορυκίου υἱός· ἦσαν δὲ αὐτῷ τρεῖς, τινες μικροὶ κομῆται τότε καὶ νῦν εἰσι μικροὶ κομῆται. φίλαρχοι τότε παῖδες ἦσαν ὄντες νῦν φιλαρχικώτεροι μὰ τὸν Δί'· οὐ τρεῖς τε ἐκεῖνοι*

εἰσιν οἱ τέτταρες. Ex quo Meinekius, cum nomen comoediae restituisset, conjectura hos versus elicuit:

Τρεῖς τινες μικροὶ κομῆται καὶ φιλαρχικοὶ τότε,
παῖδες ὄντες· νῦν δέ γ' εἰσὶ καὶ φιλαρχικώτεροι.
B. ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ τρεῖς ἐκεῖνοί γ' εἰσίν, ἀλλὰ τέτταρες.

Quae utcunque aliis placent, non est, quod cum eodem *φιλορχικοὶ* et *φιλορχικώτεροι* pro *φιλαρχικοὶ* et *φιλαρχικώτεροι* scribere dubitemus. Meinek. Hist. Crit. p. 515. Fragm. Poët. Com. Gr. P. I. p. 258. Hanc vero dissensionem, in qua duo aequales poëtae iidemque ab ipsius rei memoria parum remoti versantur, vereor ut quis rationibus, aut argumentis possit componere, ni quartum filium, quod spurius erat, ab Aristophane praetermissum, mox autem a Pherecrate censet legitimis additum, quod ea res habebat aliquid acrimoniae [1]). Sed haec est levis discrepantia nulliusque ponderis. Scholiasta vero, qui nuper ex Ravennate libro prolatus est fratribus Xenoclis Datim adjunxit ad Ran. 86: *ἀδελφοὶ δὲ αὐτοῦ Ξενόκλειτος, Ξενότιμος, Δᾶτις,* quem Scholiasta ad Pac. 289 in tragicorum numero habet: *τινὲς δὲ Δᾶτιν λέγουσι τὸν τραγικὸν ποιητήν, κακῶς ὑπονοοῦντες. ἐκεῖνος γὰρ υἱὸς ἦν Καρκίνου, οὗτος δὲ ὕπαρχος Περσῶν.* De quo infra dicetur.

Carcinus primarias in fabulis chori saltationibus dedit. Id satis ex eo intelligitur, quod filii, quos in scenae usum erudivit, non tam enuntiatione, aut actione, aut aliis denique artificiis, quae actorem maxime juvant, quam arte saltandi praestitisse dicuntur. Athen. I. p. 22 A: *φασὶ δὲ καὶ ὅτι οἱ ἀρχαῖοι ποιηταὶ Θέσπις, Πρατίνας, Κρατῖνος, Φρύνιχος ὀρχησταὶ ἐκαλοῦντο, διὰ τὸ μὴ μόνον τὰ ἑαυτῶν δράματα ἀναφέρειν εἰς ὄρχησιν τοῦ χοροῦ, ἀλλὰ καὶ ἔξω τῶν ἰδίων ποιημάτων διδάσκειν τοὺς βουλομένους ὀρχεῖσθαι.* Sic habent omnes libri manu scripti. Bentlejus vero, comicum poëtam inter tragicos referri non posse persuasus, cum Carcinum saltationibus filiorum quodammodo excelluisse vidisset, hoc autem non item comperisset de Cratino, levissima pariter ac probabili conjectura *Καρκίνος* pro *Κρατῖνος* scripsit. Opusc. p. 278. Quod plerique probarunt. Hermann. ad Aristot. Poët. p. 108. Meinek. Hist. Crit. p. 506. His autem nuper Welckerus cum

1) Quod opprobrium in comoedia haud inusitatum fuit.

propter temporis discrimen, quod Carcinus, quem Aristophanis dicit aequalem, nequiret cum vetustis illis poëtis conjungi, tum ea de caussa adversatus est, quia de saltatione Carcini nihil comperisset. Tragoed. Gr. P. I. p. 18, P. III. p. 1019. Sed nos quidem longe secus judicamus. Nam filii duntaxat saltatores erant famosi. At eos hac arte pater instituerat idemque fabulas, quas agebant, ita composuerat, ut singularem illum modum agendi admitterent, in quo frequens esset usus saltationum. Quare quidquid famae sibi saltando proles comparavit, id in patrem transiret una necesse fuit. Nam ut actio illorum, sic poësis hujus saltatoria fuit. Sed quid cum iis poëtis conjungitur, quibus nec aetate finitimus, neque artis genere conjunctus fuit? Nam illi cum ante Aeschylum florerent artemque ab incunabulis vix profectam accepissent, ut ne digni quidem illo nomine iis viderentur, qui Aeschylum patrem tragoediae vocarunt, non vetustate solum, sed imperfecta quoque fabularum compositione inter sese erant simillimi. Et poësin, quam voluerunt, satyricam dicunt magisque saltatoriam fuisse. Ut Aristotelès Poët. 4, 14: ἔτι δὲ τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων καὶ λέξεως γελοίας, διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν, ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη, τό τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον ἐγένετο. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο διὰ τὸ σατυρικὴν καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν. Similiter idem ibid. 24, 5 de indole tetrametri judicat. Est autem epigramma, quod Phrynicho tribuunt, in quo is poëta vehementer saltationibus gloriatur, quibus tragoedias distinxerit. Plutarch. Symp. 8, 9:

Σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ' ἐνὶ πόντῳ
Κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή.

Cujus rei caussa ac ratio facile perspicitur. Nam quo longiora chori carmina vetustum illud genus habuit, eo saepius saltationes adhibitae sunt, quibuscum illa arctius jungi consueverant. Eandem igitur proprietatem philosophus significat, cum aequales Phrynichi μᾶλλον μελοποιοὺς fuisse ait. Aristot. Probl. XIX, 34. Porro unaquaeque poësis species initio, cum vix nata, neque admodum esset exculta, ut per se vel exsistere, vel satis posset placere, interiorem quandam, vel propiorem societatem cum arte saltandi, quam postea habuit, cum carmina ab omni saltatione secerni, aut singularem poëtarum cu-

ram postulare coepissent. Ex quo nobis apparet, quo sensu antiqui tragici dicantur saltationes frequentius instituisse atque industrius excoluisse. Quid autem Carcinus, qui multos post annos iis successit, antiquam tragoediae formam revocavit, vetustos imitatus poëtas? Nimirum ille vetus saltationum modus, qui Thespidis proprius fuerat, in deliciis nondum haberi desierat. Velut Xanthias in Aristoph. Vesp. 1476 de sene queritur:

ὁ γὰρ γέρων, ὡς ἔπιε διὰ πολλοῦ χρόνου
ἤκουσέ τ' αὐλοῦ, περιχαρὴς τῷ πράγματι
ὀρχούμενος τῆς νυκτὸς οὐδὲν παύεται
τἀρχαῖ' ἐκεῖν', οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο.

Quod male Scholiasta non de tragico, sed de citharoedo cepit: Ὁ κιθαρῳδός. οὐ γὰρ δὴ ὁ τραγικός. Antiquis igitur poëtis olim Carcinus, etsi nec vetus fuit, neque chorum, ut illi, plene adhibuit, ea tamen de caussa additus est, quod in fabulis saltationes veterrimis tragicorum numeris, qui quidem ab ἐμμελείας natura procul recederent, accommodatas saepius instituerat. Quare Aristophanes, cum tales quaererentur, quibus cum sene antiquorum modo saltante similitudo esset, filios Carcini praeprimis nominavit, de quibus hac in re non aliter erat ac de ipso patre judicandum. Bdelycleoni enim, quid esset rei mirato, ubi virum insane saltantem conspexit, Philocleo Vesp. 1497:

φέρε νυν ἀνείπω κἀνταγωνιστὰς καλῶ.
εἴ τις τραγῳδός φησιν ὀρχεῖσθαι καλῶς,
ἐμοὶ διορχησόμενος ἐνθάδ' εἰσίτω.
φησίν τις, ἢ οὐδείς;

Ad haec ille:

εἷς γ' ἐκεινοσὶ μόνος.

Pergit Philocleo:

τίς ὁ κακοδαίμων ἐστίν;

Tum Bdelycleo:

υἱὸς Καρκίνου
ὁ μέσατος.

Fecit igitur comicus comparationem, quam Welckerus l. l. apud Athenaeum negat esse ferendam. Artificiis enim, a Thespide olim ostensis, saltationes opponit, quas proles Carcini in fabulis exhibeat. Sed qualem saltandi modum cogitamus? Is vehemens et petulans et lascivus, ni fallimur, motus fuit idemque ut indoli satyrorum, quos Thespis fecerat, quodammodo

conveniens, sic dignitati ac gravitati maxime contrarius, quae inerat in. ἐμμελείᾳ. Nam senex quemadmodum ebrius fingitur Vesp. 1476, ita Xanthiae, cum coepit saltare, non tam saltare, quam furere videtur. Ibid. 1486. Atque id insaniae esse concedit Bdelycleo 1496. Nimirum tanta vi latera movet, ut nares mugiant et vertebra crepet; crura versus coelum vibrat, ut podex hiscat. 1487, 1492. Ex quo illa elucent, quae diximus, quamvis multa poëtam ornatui dedisse, pluraque finxisse sumamus, quam res et veritas concederet. Quod autem filii, cum magno corporis motu saltantes, nil aliud egerunt, quam ut sensus, quos poëta personis tribuerat, exprimerent, eo graviores animi commotiones sequitur in fabulis hujus expressas esse, quo vehementiores eorum motus fuerunt. Nec alia desunt indicia, e quibus hanc proprietatem intelligimus. Strepsiades enim, cum exclamantem quendam, aut ejulantem audit, etsi de eo, quem audiat, initio dubitare videtur, mox tamen lamentabiles sonos a filio Carcini fundi suspicatur, Nub. 1260:

τίς οὑτοσί ποτ' ἔσθ' ὁ θρηνῶν; οὔ τί που
τῶν Καρκίνου τις δαιμόνων ἐφθέγξατο;

Itaque poësis hujus luctuosa et rebus atrocissimis plena fuit. Sed chorus Pacis 775:

Μοῦσα, σὺ μὲν πολέμους ἀπωσαμένη μετ' ἐμοῦ
τοῦ φίλου χόρευσον,
κλείουσα θεῶν τε γάμους ἀνδρῶν τε δαῖτας
καὶ θαλίας μακάρων· σοὶ γὰρ τάδ' ἐξ ἀρχῆς μέλει.
ἢν δέ σε Καρκίνος ἐλθὼν
ἀντιβολῇ μετὰ τῶν παίδων χορεῦσαι,
μήθ' ὑπάκουε, μήτ' ἔλ-
θῃς συνέριθος αὐτοῖς,
ἀλλὰ νόμιζε πάντας
ὄρτυγας οἰκογενεῖς, γυλιαύχενας ὀρχηστάς,
ναννοφυεῖς, σφυράδων ἀποκνίσματα, μηχανοδίφας.
καὶ γὰρ ἔφασχ' ὁ πατήρ, ὃ παρ' ἐλπίδας
εἶχε τὸ δρᾶμα γαλῆν τῆς
ἑσπέρας ἀπάγξαι.

Ubi alia artem ac corporis figuras filiorum declarant, alia in patrem dicta sunt [1]). Atque haec ipsa ad explicandum longe

1) Apponimus, quae Suidas s. v. Καρκίνος ποιητ. Ἀττ. ex scholiis

difficillima videntur. Nam quae Scholiasta (*διαβάλλει δὲ αὐτὸν ὡς νόθον περὶ τὰ κλέμματα. δρᾶμα δὲ ἐποίησε τοὺς Μύας. διὰ τοῦτο καὶ γαλῆν εἶπεν ἀπᾶγξαι*) habet, quaeque Suidas s. v. *Καρκίνος ποιητ. Ἀττικ.* ex eo exscripsit, quamvis a Flor. Christiano in Not. ad h. l. probata, neque a Bodio nuper rejecta, vix ita possunt cuiquam persuaderi, ut is fabulam hujus aut *Μῦν*, aut *Μύας* inscriptam fuisse existimet. Nec ad sententiam Bergkii Reliq. Com. Attic. p. 149, *Μινύας* scribentis, accedimus, propterea quod non ineptum Scholiastam, sed librarios errasse ratus, medicinam verbis admovit, qua sana explicationis ratio plane pervertitur. Nihilo magis alterum interpretandi genus commendari potest, quod invenit Christianus. Is enim de veteri usuque trito menet proverbio *ὤδινεν ὄρος κ. τ. λ.*, quo Graeci exilitatem operis illuserint, magno labore confecti. Vide Athen. XIV, p. 616; Diogenian. VIII, 75; Gregor. Cypr. IV, 5; Horat. Ep. II, 3, 19; Leutsch ad Diogenian. l. l. Potuisse enim fabulam aegre scriptam cum mure comparari, quem mons parturiens gignat. Quod quidem qui censent probandum, obscuriorem sibi locum fingunt, quam par est haberi. Sed nobis, haec semel atque iterum contemplatis, ut inveniremus, quomodo explicari deberent, memoria suavissimae illius de Hegelocho tragoedo narrationis confestim subiit, qua olim vix diu quidquam vulgatius fuit. Is enim eum, personam Euripidii Orestis agens, verba

ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν᾽ ὁρῶ

Orest. v. 273 sic declamare deberet, ut elisionem vocalis in fine vocabuli significaret, idque, spiritu deficiente, parum dex-

---

hausit: *Καρκίνου παῖδας . . . λέγει δὲ ὄρτυγας μὲν διὰ τὸ ἐριστικόν· τοιοῦτοι γὰρ οἱ ὄρτυγες. οἰκογενεῖς δὲ ἀντὶ τοῦ ἐσκιατραφημένους, ὡς ἂν εἴποις ὄρνιθας οἰκογενεῖς· γυλιαύχενας δὲ τοῦτ᾽ ἐστὶ μακροτραχήλους· γύλιος γὰρ στρατιωτικόν ἐστι πλέγμα ἐπιμηκές. κολοφὸν οὖν εἰκὸς εἶναι αὐτοῖς τὸ ὅλον σῶμα, τὸν δὲ τράχηλον μικρόν, ἢ αὐχένας οὐκ ἔχοντας καθάπερ ὁ γύλιος· ὡς μικροὺς οὖν καὶ γογγυλώδεις σκώπτει. ἐχόρευον δὲ οὗτοι τῷ Πανί. ναννοφυεῖς δὲ, ὅτι νάννοι λέγονται οἱ κολοβοὶ τῶν ἀνθρώπων, οἱ δὲ κολοβοὶ τῶν ἵππων ὕννοι. ὀρχηστὰς δὲ· εἰσέφερε γὰρ αὐτοὺς ὁ πατὴρ ἐν τοῖς δράμασιν ὀρχουμένους. σφυράδων δὲ ἀποκνίσματα ἀντὶ ταπεινοὺς καὶ μικρούς. σφυράδες δέ εἰσι τὰ τῶν αἰγῶν καὶ προβάτων ἀποπατήματα. ἡ δὲ σφυρὰς κυάμου ἔχει τὸ μέγεθος. ταύταις οὖν ἀπεικάζει αὐτοὺς, μᾶλλον δὲ οὐ ταύταις, ἀλλὰ τοῖς ἀποκνίσμασιν αὐτῶν καὶ ἀποτμήμασιν.*

tre fecisset, γαλῆν ὁρῶ legens ridicula vocabulorum similitudine, quae ad vim inter se quam maxime erant diversa, tam irrisionem spectantium, quam lepidissima comicorum vituperia movit. Quod e vetustis Scholiasta ad Euripid. Orest. l. l., Scholiast. ad Aristoph. Ran. 305, Suidas s. v. Ἡγέλοχος, Choerobosc. ap. Bekk. Anecdot. Gr. T. II. p. 728, e recentioribus Brunckius et Kusterus ad Aristoph. Ran. l. l., Marklandus ad Euripid. Suppl. 901, Porso ad Euripid. Orest. l. l., Barthelemius Voyage du jeune Anachars. C. 85 exposuerunt. Quam rem hoc loco comicus subtiliter tangit. Nam quo malum enuntiandi genus aut patri exprobret, aut filiis, tale declamandi vitium in Carcini fabulis admissum ait, quale nuper Hegelocho exciderit, aut, quo accuratius illam leporis formam exprimamus, mustelam, qualem Hegelochus nuper male pronuntiando finxerit, in caussa fuisse, quod fabula vel nullam habuerit, vel pessimam vim effectumque. Accedit demum illud maxime facetum, quod tragoediam muris instar a mustela dicit perditam esse, cum mustelae mures vulgo sectari et interficere dicerentur. Batrach. 9. Perizon. ad Aelian. Var. Hist. XIV, 4. Sed objecerit fortasse quispiam primum subtilitatem interpretationis, argutam nimis ac nugatoriam, dein rationes temporis, quia Pax (Ol. 89, 3) [1]) ante Euripidis Orestem acta est Ol. 92, 4. Schol. ad Eurip. Orest. 361. Verum enim illud ne minimum quidem pondus habet ad refellendam nostram sententiam, propterea quod tam illud histrionis vitium multis acerrimisque comicorum ludibriis explosum, quam odium, quo mustelae mures consectabantur, notum ac proverbio tritum erat. Quod ad tempus fabularum attinet, interpretatio loci prae aliis explanandi rationibus adeo mihi placet, ut ex hac irrisione de repetita Pacis editione aliquid conficerem, etiamsi nullis ea testimoniis esset declarata. Atqui legimus in Argument. Pac.: φέρεται ἐν ταῖς Διδασκαλίαις καὶ ἑτέραν δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης. ἄδηλον οὖν φησιν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν, ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται. Κράτης μέντοι δύο οἶδε δράματα, γράφων οὕτως ἀλλ' οὖν γε ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν, ἢ Βαβυλωνίοις, ἢ ἐν τῇ

1) Tempus, quod Sam. Petitus Miscell. I, 8 sagacissime computando invenit, ex didascaliis nuper repertis nunc certo apparet.

ἑτέρᾳ Εἰρήνῃ· καὶ σποράδην δή τινα ποιήματα παρατίθεται, ἅπερ ἐν τῇ νῦν φερομένῃ οὐκ ἔστιν. Quod quomodo confirmaretur, Dindorfius Fragm. Aristoph. p. 12 docuit. Itaque dubium non est, quin posterior nobis supersit editio fabulae, rursus tum doctae, cum irrisio Hegelochi omnium ore ferretur, id est, aut Ol. 93, 1, aut Ol. 93, 2. Sed illud etiam e comici verbis cogitur, poëtam et summa virium contentione vix fecisse tragoediam, quae male stetit, et contemptum hoc gravius pertulisse, quo majorem spem de ea conceperat. Apponimus aliud de Carcino commentum, quod grammatici invenerunt, male arguti. Nam grammaticus, qui alteram scholii partem scripsit, ludibrium comici, quod est in Nubibus 1264, ita explanat, ut verbum δαίμων non ad filios, sed ad personas Carcini referat. Ait enim: φασίν, ὡς ὁ Καρκίνος οὗτος, ποιητὴς ὢν τραγικός, εἰσήγαγέ τινας τῶν θεῶν ἔν τινι δράματι θρηνοπαθοῦντας. Quo nihil est ineptius. Porro nescimus, unde Müllerus Hist. L. G. T. II. p. 182 vetustam hujus duritiem cognitam habuerit. Sed exile ac pravum poësis genus coluit Carcinus. Quod quidem ex Aristophanis irrisione perspicitur, qui mentionem ejus nonnisi cum maxima fecit contemptione. Postea vero memoria ejus adeo abolevit, ut, qui alterum Carcinum citabant, poëtam multo clariorem, nec gentis, nec patriae significationem adjicerent, velut is plane cum hoc nequiret unquam confundi.

Xenocles. Xenocles patre usus est Carcino, poëta tragico. Plato ap. Schol. ad Aristoph. Pac. 772; Schol. ad Nub. 1267; Suidas s. v. ἄξεστος, σφύραδας. A Platone, qui ab Ol. 88 usque ad Ol. 97, 3 viguit, comoedia derisus est. Porro ex Aristophanis Nubibus 1267, ubi versus ejus notatur, apparet, eum ante Ol. 89, 1 fabulas docuisse cognitumque fuisse. Ab eodem non solum Thesmophoriazusis Ol. 92, 1, sed etiam Ranis Ol. 93, 3, tanquam vivus ac praesens, illuditur. Sed certamen scenicum, in quo cum Euripide contendit, Casaubonus De Sat. Poës. p. 145, Meursius, Perizonius, Schefferus, Welckerus Trag. Gr. P. II. p. 442, doctissimi viri, cum lectionem in exemplaribus Aeliani vulgatam vidissent esse vitiosam, ad Ol. 91, 2 retulerunt, idque non modo librorum fide, sed etiam testimoniis confirmati. Scribit is Var. Hist. II, 8: κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἑκτὴν ὀλυμπιάδα, καθ' ἣν

ἐνίκα Ἐξαίνετος ὁ Ἀκραγαντῖνος στάδιον, ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ Εὐριπίδης. Atqui olympias illa, quam restituunt, Diodoro XIII p. 204 teste, victoriam Exaeneti Agrigentini declarat, eodem anno comparatam. Item Troades, quas Aelianus l. l. tragoediis Xenoclis tum oppositas esse refert, septem annis post Vespas, Schol. ad Vesp. 1317: ὕστερεῖ ἡ τῶν Τρῳάδων καθεόις ἔτεσιν ἑπτά, id est Ol. 91, 2 doctae sunt. Quod duo libri confirmant, unus Medicaeus, alter Parisinus, in quibus idem numerus exprimitur. Perizon. ad Aelian. l. l. Quae cum ita sint, Xenoclem aequalem Euripidis fuisse sequitur. Ex fabulis hujus praeter fragmenta perquam exilia nobis nihil relictum est. Aelianus l. l. Bacchas, Lycaonem, Oedipum memorat, quibus Athamantem satyros addit. Scholiast. ad Aristoph. Nub. 1267 nonnullas Licymnii partes habet. Nam versus comici:

Ὦ σκληρὲ δαῖμον, ὦ τύχαι θραυσάντυγες
ἵππων ἐμῶν, ὦ Παλλάς, ὥς μ' ἀπώλεσας·

ita explicat: τοῦτο Ξενοκλέους ὑπὸ Τληπολέμου. διὸ καὶ ἐπήνεγκε· Τί δαί σε Τληπόλεμος. ἐπεὶ δὲ Ξενοκλέους τοῦ Καρκίνου ἐμνήσθη καὶ τὰ αὐτοῦ τραγῳδεῖ, εἰρηκώς· ὦ σκληρὲ δαῖμον. τοῦτο δὲ εἶπε διὰ τὸ ἄνω εἰρηκέναι· ἰώ μοί μοί, καὶ ἀνὴρ κακοδαίμων. Εὐφρόνιος δέ φησι τό: Ὦ Παλλάς, ὥς μ' ἀπώλεσας· Ξενοκλέους εἶναι ἐκ τοῦ Λικυμνίου, λεγόμενον ὑπὸ Ἀλκμήνης τοῦ Λικυμνίου ὑπὸ τοῦ Τληπολέμου ἀνῃρημένου. διὸ καὶ ἐπήνεγκεν αὐτός·

τί δαί σε Τληπόλεμός ποτ' εἴργασται κακόν;

καὶ τὸ χρυσάμπυγες παραπεποιῆσθαι. Quibus quidem fabulis quod res daemonum atque heroum subjecit eademque nomina tribuit, quibus tragoediae Euripidis appellantur, cum casu facile accidere potuerit, non ita nobis explicabimus, ut, quod in singulis inveniatur, id omnium proprium fuisse censeamus. Sed vituperatio, qua comicus Xenoclem notavit, cum generatim atque universe significata, tum ad explicationem maxime obscura est. Judicium enim, quo Athenienses hunc anteposuerint coryphaeo, Aelianus non modo injustum ducit, sed etiam ridiculum l. l.: Γελοῖον δὲ οὐ γάρ; Εὐριπίδην μὲν ἡττᾶσθαι, Ξενοκλέα δὲ νικᾶν καὶ ταῦτα τοιούτοις δράμασιν. Idem paullo supra: καὶ πρῶτός γε ἦν Ξενοκλῆς, ὅστις ποτὲ οὗτός ἐστιν. In quo similis inest contemptus. Porro Mnesi-

lochus sententiam ejus, qui interiorem poëtae indolem ex habitu externo censet judicandam esse, exemplo Xenoclis probat Thesmoph. 169:

Ὁ δὲ Ξενοκλέης ὢν κακὸς κακῶς ποιεῖ.

Similiter illud in Vespis 1511:

Ὁ σμικρότατος, ὃς τὴν τραγῳδίαν ποιεῖ,

habet quandam despicientiae significationem, ut Reisigius Conject. p. 174 recte monet, quamvis in eo deceptus, quod locum de Carcino intellexit, qui de hoc sine dubio accipi debet. Quae cuncta tam late patent, ut nec tota fabularum, nec singularum partium compositione videatur admodum excelluisse. Saepe allegoriis usus est. Schol. Ran. 86: Ξενοκλῆς κωμῳδεῖται, ὡς ἀλληγορικός. Suidas s. v. ἄξεστος. Ξενοκλῆς ὁ Καρκίνου ἐκωμῳδεῖτο, ὡς ἄξεστος ποιητὴς καὶ ἀλληγορικός. Et alia, quibus Aristophanes hunc alibi ludit, de illis accipienda sunt orationibus, quas tum frequenter poëtae in fabulas inculcare consueverant. Nam chorus Thesmoph. 440 Xenoclem ait, si caussam contra mulierem agat, quae quidem justa oratione intenderit litem Euripidi, omnino nihil docere videri. Oratione parum polita usus est, neque optimo genere metrorum. Schol. ad Ran. l. l. Suidas l. l. Praeterea nonnulla nobis vestigia supersunt, e quibus dictionem Xenoclis fortasse agnoscas. Nam in scholiis, quae liber Ravennas habet, Xenoclitus, Xenotimus, Datis fratres Xenoclis appellantur ad Ran. l. l.: ἀδελφοὶ δὲ αὐτοῦ Ξενόκλειτος, Ξενότιμος, Δᾶτις. Quae quanquam sic possis explicare, ut Datim tertio memoratum loco quartum filium Carcini fuisse existimes, quem Pherecrates silentio praeteriri noluit, tamen auctoritas Scholiastae ad Pac. 289: τινὲς δὲ Δᾶτιν λέγουσιν, τὸν τραγικὸν ποιητήν, κακῶς ὑπονοοῦντες· ἐκεῖνος γὰρ υἱὸς ἦν Καρκίνου, οὗτος δὲ ὕπαρχος Περσῶν, qui Datim poëtam tragicum dicit, nos eo adducit, ut in Xenoclem facile transferamus, quidquid de Datide memoriae proditum est. Nam scriptores, etsi de numero ac nominibus filiorum dissentiunt, omnes tamen unum inter eos poëtam tragicum fuisse testantur. Hunc enim Aristophanes Vesp. 1511:

ὁ σμικρότατος, ὃς τὴν τραγῳδίαν ποιεῖ,

ita significat, ut appareat, ei hoc nomine non alterum notum fuisse. Nec Pherecrates rem aliter illustrat; apud quem nescio

quis tribus, qui primo memorantur, saltatoribus unum poëtam tragicum accenseri jubet. Meinek. Fragm. Com. Gr. P. I. p. 288. Scholiast. Vesp. 1495: τέτταρες μὲν δή εἰσιν, ἀλλ' οἱ τρεῖς χορευταί, Ξενοκλῆς δὲ ποιητής. Quamobrem si filius Carcini fuit, nomine Datis, isque tragica poësi occupatus, sequitur eum Xenoclem fuisse, nec tam nomen illud, quam cognomen habuisse. Dubitamus enim, num ullus Graecorum hoc nomine unquam vere appellatus fuerit. Sed quid alter Datis nuncupatur? Apud Aristophanem Trygaeus memoriam carminis animum subire dicit, quod Datis inter epulas cecinerit Pac. 289:

νῦν τοῦτ' ἐκεῖν' ἥκει τὸ Δάτιδος μέλος,
ὅ δεφόμενός ποτ' ᾖδε τῆς μεσημβρίας·
ὡς ἥδομαι καὶ χαίρομαι κεὐφραίνομαι.

Ad haec Scholiasta: Δᾶτις, σατράπης Περσῶν βασιλέως, εὐδοκιμήσας κατά τινα χρόνον πολεμῶν, ἑλληνίζειν δὲ βουλόμενος, εἶπεν· Ἥδομαι καὶ τέρπομαι καὶ χαίρομαι. καὶ ἐβαρβάρισεν· ἔδει γὰρ εἰπεῖν χαίρω. ἅμα δὲ οὗτος εἶπε πρὸς τὸ ὁμοιοκατάληκτον. οὐκ εἴρηται δὲ τὸ χαίρομαι. αὐτὸ γὰρ τὸ χαίρω αὐτοπαθὲς ὄν, προυφήρπασεν αὐτοῦ τὸ σημαινόμενον. λέγεται δὲ τὸ τοιοῦτο Δατισμός. καὶ παροιμία·

ἅμας ἀπήτουν, οἱ δ' ἀπηρνοῦντο σκάφας.

Unde Suidas s. v. χαίρομαι. ζήτει. Δᾶτις ὁ Πέρσης, ἐπιτηδευόμενος ἑλληνίζειν, ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν χαίρω, χαίρομαι εἶπε. καὶ ἔστι Δατισμός. s. v. Δᾶτις, Πέρσης, ὃς ἐπετήδευσεν ἑλληνίζειν· ὃν λέγουσι φάναι χαίρομαι ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν χαίρω. καὶ ἔστι Δατισμός. Idem paullo infra: ὃς ἑλληνίζειν βουλόμενος εἶπεν· ἥδομαι καὶ χαίρομαι καὶ εὐφραίνομαι. Cf. Reisig. Conject. p. 233. Ubi exemplar Aldi mendose Δατιτισμὸς habet, quod in Δατισμὸς mutamus. Pari modo lectio Piersonii apud Herodian. p. 433 Δατιασμὸς emendanda est. Quocirca Xenocles, etsi Graecam linguam, cum ipse Graecus, ille autem barbarus esset, Datidis modo non plane corrupit, tamen usu vocum similium similiterque cadentium illius more lusisse putandus est. Nam talibus argumentis sophistae orationem distinguere coeperant.

Eundem Plato comicus Sophistis sexcentis artibus insignem perhibuit:

Ξενοκλῆς, ὁ δωδεκαμήχανος,
Ὁ Καρκίνου παῖς, τοῦ θαλαττίου·

Schol. ad Pac. 792. Suid. s. v. *Καρκίνος*. Ubi hominem significat, quem vernacule „Tausendkünstler" dicere solemus. Quas artes ubinam adhibuerit, quaerimus, qualesque fuisse videantur. Quotiescunque de artificiosa viri ratione agitur, in poësi tragica versantis, quidquid dicitur, ad ipsam compositionem, vel actionem referimus. Atqui multae ac variae artes in ea possunt adhiberi. Quare aliunde petamus, quae hunc locum illustrent. Nec illa nobis sufficiunt, quae Scholiasta *Ξενοκλῆς γὰρ ὁ Καρκίνου, δοκεῖ μηχανὰς καὶ τερατείας εἰσάγειν ἐν τοῖς δράμασιν* habet, valde dubitanter locutus. At est convicium Aristophanis, quod, cum in filios Carcini, qui *μηχανοδίφαι* Pac. 790 vocantur, universe enuntiatum sit, proprie tamen Xenoclem tangit. Quod ita Scholiasta exponit: *μηχανοδίφας δὲ εἶπεν αὐτοὺς, ἐπειδὴ πολλάκις ὡς τραγῳδοὶ μηχανὰς προσέφερον, ἡνίκα θεοὺς ἐμιμοῦντο ἀνερχομένους, ἢ κατερχομένους ἐκ οὐρανοῦ.* Accuratius Suidas s. v. *Καρκίνος* . . . *μηχανοδίφας δὲ ἀπὸ μέρους· Ξενοκλῆς γὰρ, ὁ Καρκίνου, δοκεῖ μηχανὰς καὶ τερατείας εἰσάγειν ἐν τοῖς δράμασιν, ὃν Πλάτων δωδεκαμήχανόν φησιν ἢ ἐπειδὴ πολλάκις ὡς τραγῳδοὶ μηχανικὰ εἰσέφερον, ἡνίκα θεοὺς ἐμιμοῦντο ἀπερχομένους καὶ κατερχομένους ἐκ τοῦ οὐρανοῦ.* Itaque cum res in tragoediis ita componere atque exornare non posset, ut omnis earum copia et series ad exitum perduceretur, qualem haec poësis postulat cumque is inopinato ac parum exspectato rerum discrimine admirationem movere eaque vellet misericordiam augere; his externis adventiciisque artibus tam multis, quam variis usus est, ut dii, machinis in scenam demissi praesentesque, nodos dissolverent, quos ipsa compositionis natura atque ordine expediri oportet. Nam hoc non tam religionis est, quam senescentis artis. Quam rem, cum in fabulis admodum frequens fuerit, vetusti scriptores saepe commemorant. Plat. Cratyl. p. 425, Clitoph. p. 407 B, Plutarch. Themist. 10. Unde proverbium *ἀπὸ μηχανῆς* natum est, quod Apostol. III, 86, Arsenius 68, Diogenian. Prov. II, 84, Bekk. Anecdot. I p. 208, 9, Suidas aliique illustrant, quos Leutschius ad Diogenian. l. l. nominavit. Et Cicero de Nat. Deor. I, 20: „*Quod quia, quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis: ut tragici poëtae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum.*" Sed interior quaedam senten-

tiae, quam supra ex Platone protulimus, vis nobis hoc loco non praetermittenda est. Quemadmodum enim Xenocles *δωδεκαμήχανος* vocatur, sic Aristophanes Ran. 1327 Cyrenam, meretricem longe famosissimam, quae mille concubitus modos, Juvenal. Sat. VI, 406 c. not. Heinrich., noverat, Schol. ad Ran. l. l. Suid. s. v. *δωδεκαμήχ.*, eodem nomine appellavit. Nimirum fieri potuit, ut alter poëta, irrisionem alterius in re simillima adhibitam imitatus, Xenoclem et multis et alienissimis a vera poësis indole artibus vel gloriam, vel quaestum sibi parantem fingeret, quemadmodum mulier libidines mira calliditate multisque modis augere studuit; cum natura pridem placere desiisset. Ac nihil potius habuit, quam ut perturbationes animi quam maximas faceret, quae vulgo tragoediis concitantur. Nam illa, quae supra de Amyniae gemitu diximus, in hunc sunt nihilominus transferenda.

Carcinus II. De Carcino, juniore poëta, Suidas s. v. *Καρκίνος Θεοδέκτου, ἢ Ξενοκλέους, Ἀθηναῖος τραγικὸς, δράματα ἐδίδαξε ϙξ΄, ἐνίκησε δὲ α΄. ἤκμαζε κατὰ τὴν ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας τοῦ Μακεδόνος.* Quae Eudocia p. 270, omissa temporis significatione, ad verbum exscripsit. Atqui Theodectes Phaselita, qui aequalis Philippi, regis Macedonum, fuit, dubitamus num unquam filium habuerit Carcinum; nam temporis rationes adeo discrepant, ut, qui Carcinum filium ejus habet, patri filium anteponat. Sed ut alius ille Theodectes fuerit; Harpocratio tamen, locupletissimus auctor, hunc Xenocle natum fuisse ait, proinde quasi nihil de altero patris nomine scriptum invenerit, s. v. *Καρκίνος. Περὶ δὲ τῆς τραγῳδίας ποιητοῦ, τοῦ Ξενοκλέους υἱοῦ, Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Μνησίμαχόν φησι.* Itaque Lysias, qui circa Ol. 100, 2 diem supremum obiit, Müller. Hist. L. G. T. II. p. 382, mentionem Carcini injecit, cum Thuriis, quo puer erat profectus, Ol. 92, 1 Athenas rediisset. In quo inest temporis indicium, quod numerum Suidae confirmat. Et Polycritus ap. Diogen. Laërt. II, 7. Aeschinem Socraticum cum Carcino apud Dionysium juniorem fuisse prodit, antequam is ope Dionis Syracusis ejectus sit: *φησὶ δὲ Πολύκριτος, ὁ Μενδαῖος, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ Διονύσιον, ἄχρι τῆς ἐκπτώσεως συμβιῶναι αὐτὸν τῷ τυράννῳ καὶ ἕως τῆς Δίωνος εἰς Συρακούσας καθόδου, λέγων εἶναι σὺν αὐτῷ Καρκίνον,*

τὸν κωμῳδοποιόν. Sic in libris mendose legitur, quibus τραγῳδοποιόν pro κωμῳδοποιόν conjectura reponimus. Atqui tyrannus regnum, Ol. 103, 1 capessitum, Ol. 106, 1 amisit. Fortasse hic Carcinus, Xenoclis filius, cum plurimis tragoediarum speciminibus laudem nequidquam diu aucupatus fuisset, patria relicta, ad peregrinum regem se contulit, cujus hospitalitate ac literarum amore frueretur. Sed Suidas praeter duo Carcinos, poëtas tragicos, Athenienses genere, unum commemorat Agrigentinum s. v. *Καρκίνος, Ἀκραγαντῖνος, τραγικός,* quem arcte cum Xenoclis filio jungit. Unde mira sententiarum varietas ac discrepantia fluxit. Nam Gyraldus de Poët. Hist. p. 271 ita Suidam sequitur, ut mentionem Agrigentini, quem Dionysius hospitio exceperit, ab Aristotele, Athenaeo, Diodoro factam existimet, alterius autem, Xenocle nati, cum alias fabulas, tum Achillem ac Semelam fuisse scribat. A quo sententia Vossii non multum recedit, qui Atheniensem, Philippi aequalem, cui Achillem ac Semelam tribuit, quemque ab Aristophane vexatum censet, a Carcino Agrigentino diversum habet, Pluti scriptore, quem Athenaeus citaverit. Sed ambos eodem tempore vixisse arbitratur. Itaque seniorem cum juniore confudit, quanquam aequalis Philippi ab Aristophane haudquaquam vexari potuit. Adscripsit denique Agrigentinum eidem tempori; quod, quare fecerit, nobis non liquet. Qua de re quid Mongitor Biblioth. Sicul. T. I. p. 122 statuerit, apud Fabricium Bibl. Gr. T. II. p. 290 indicatum est. Sed Welckerus antiquiorem illum, de quo supra pluribus diximus, Agrigenti natum, Athenas pervenisse ibique, cum diu commoratus esset, Atheniensem nuncupatum arbitratur. Et Agrigentinum Müllerus praeter Atheniensem agnoscit. Nos autem Atheniensem primum Syracusas venisse, post, ejecto Dionysio tyranno, Agrigentum concessisse putamus, ut ex hac urbe, velut altera patria, Agrigentinus nominatus sit.

Fabulas scripsit centum sexaginta, quibus victoriam semel consecutus est. Suid. s. v. *δράματα δὲ ἐδίδαξεν ρξ΄, ἐνίκησε δὲ α΄.* Eudoc. l. l. Ac fabulas, quarum vel nomina, vel etiam reliquiae nobis supersunt, eo minus huic vindicare dubitamus, quod memoria alterius, de quo supra dictum est, tam mature obscurata est, ut veteres grammatici ne caussam quidem invenirent, cur seniorem a juniore accurata generis significatione

secernerent. Eadem ratio a Meinekio ac Welckero probata est. Achillem Athenaeus V. p. 189 D. laudat, quem Suidas sequitur. Aeropam citat Plutarch. de Glor. Athen. c. 7: *ταῦτα ἡ πόλις ἑορτάζει καὶ ὑπὲρ τούτων θύει τοῖς θεοῖς, οὐκ ἐπὶ ταῖς Αἰσχύλου νίκαις, ἢ Σοφοκλέους, οὐδὲ ὅτε Καρκίνος Ἀερόπῃ συνῆν, ἢ Ἕκτορι Ἀστυδάμας.* Quae quanquam in libris manu scriptis et prelo excusis ita leguntur, plurimi tamen interpretum in suspicionem vocarunt, aut de verbo *συνῆν* dubitantes, aut de nomine tragoediae, quod aliunde ipsis non cognitum erat. Inprimis Reiskium offendit, *ἐνίκα* pro *συνῆν* suspicantem. Porso ad Eurip. Hec. 533 emendare voluit: *οὐδὲ ὅτε Καρκίνος Ἀλόπῃ ἢ Ἀγάθων Ἀερόπῃ εὐημέρει ἢ Ἕκτορι Ἀστυδάμας.* Quod autem ad nomen fabulae attinet, et hunc et alios emendandi conatus, cuicuimodi sunt, facillime criticis remittimus, qui rem per se nequaquam incredibilem, cum aut unius testis, aut paucorum auctoritate probetur, aut fuisse, aut factam esse infitientur, tanquam neque unus quidquam oculis videre, auribusque percipere possit, cum alii sileant, nec plurium scripta, qui memoriam ejusdem rei reliquerunt, adeo penitus intereant, ut unus tantum eam ab oblivione debeat vindicare. Difficilior est explicatu vis verbi *συνῆν*, nisi de certaminis societate intelligitur. Itaque haec unica fuit victoria, quam reportavit. — Mentionem Alopae Aristoteles in Eth. Nicom. VII, 7: *Οὐ γὰρ εἴ τις ἰσχυρῶν καὶ ὑπερβαλλουσῶν ἡδονῶν ἡττᾶται, ἢ λυπῶν, θαυμαστὸν, ἀλλὰ συγγνωμονικὸν, εἰ ἀντιτείνων, ὥσπερ ὁ Θεοδέκτου Φιλοκτήτης ὑπὸ τοῦ ἔχεως πεπληγμένος, ἢ ὁ Καρκίνου ἐν τῇ Ἀλόπῃ Κερκύων* facit. Ad quae Aspasius: *Ὁ Καρκίνος τραγικὸς ἦν. Ὁ δὲ Κερκύων εἶχε θυγατέρα τὴν Ἀλόπην. μαθὼν δὲ, ὅτι ἐμοιχεύθη ἡ αὐτοῦ θυγατὴρ Ἀλόπη, ἠρώτησεν αὐτὴν, τίς ἦν ὁ μοιχεύσας, λέγων· Εἴ μοι τοῦτο ἂν εἴποις, οὐδ' ὅλως ἂν λυπηθῶ. Εἶτα εἰπούσης τῆς Ἀλόπης τὸν αὐτὴν μοιχεύσαντα, οὐκέτι ὁ Κερκύων ὑπὸ τῆς λύπης ἔφερε ζῆν, ἀλλὰ καὶ τὸ ζῆν ἀπελέγετο.* Porro fabulam scripsit, in qua partes dederat Amphiarao. Aristot. Poët. 17. Quam haud dubie hoc ipso nomine inscripsit, quod plurimi comicorum fabulis dederunt, ut Apollodorus, Philippides, Plato. Meinek. Hist. Crit. Ind. Medeam Aristoteles Rhet. II, 23: *ἄλλος τόπος τὸ ἐκ τῶν ἁμαρτηθέντων κατηγορεῖν, ἢ*

ἀπολογεῖσθαι, οἷον ἐν τῇ Καρκίνου Μηδείᾳ οἱ μὲν κατηγοροῦσιν, ὅτι τοὺς παῖδας ἀπέκτεινεν, οὐ φαίνεσθαι γοῦν αὐτούς· ἥμαρτε γὰρ ἡ Μήδεια περὶ τὴν ἀποστολὴν τῶν παίδων. ἡ δ' ἀπολογεῖται, ὅτι οὐκ ἂν τοὺς παῖδας, ἀλλὰ τὸν Ἰάσονα ἂν ἀπέκτεινεν. τοῦτο γὰρ ἥμαρτεν ἂν μὴ ποιήσασα, εἴπερ καὶ θάτερον ἐποίησεν. ἔστι δ' ὁ τόπος οὗτος τοῦ ἐνθυμήματος καὶ τὸ εἶδος ὅλη ἡ προτέρου Θεοδώρου τέχνη commemorat. De **Oedipo** videndus est idem ibid. III, 16: ἀλλὰ τότε οὐ τὸ τοῦ συμβούλου ποιεῖ ἔργον, ἂν δ' ᾖ ἄπιστον, ὑπισχνεῖσθαί τε καὶ αἰτίαν λέγειν εὐθὺς, καὶ διατάττειν, οἷς βούλονται, οἷον ἡ Ἰοκάστη ἡ Καρκίνου ἐν τῷ Οἰδίποδι ἀεὶ ὑπισχνεῖται, πυνθανομένου τοῦ ζητοῦντος τὸν υἱόν. καὶ ὁ Αἵμων ὁ Σοφοκλέους. Hunc igitur **Delrius** Commentar. ad Senec. Oedip. Reg. init. non recte praetermisit in numero eorum, a quibus talis fabula scripta est. **Orestem** Photius Lex. p. 132 laudat. Fragmentum **Semelae** apud Athenaeum XIII. p. 559 F. legimus [1]). Ex **Tereo** versus Stobaeus Sermon. 249 servavit. De **Thyesta** Aristoteles Poët. 16. Fragmenta denique, quibus non est adscriptum fabulae nomen, ap. Stob. 126, 139, 233, Harpocrat. s. v. Καρκίνος, cf. **Valcken.** Diatrib. p. 13, citantur. Luculentum denique locum Diodorus Sicul. V, 5 servavit: Περὶ δὲ τῆς κατὰ τὴν Κόρην ἁρπαγῆς, ὅτι γέγονεν, ὡς προειρήκαμεν, πολλοὶ τῶν ἀρχαίων συγγραφέων καὶ ποιητῶν μεμαρτυρήκασιν. Καρκίνος μὲν γὰρ, ὁ τῶν τραγῳδιῶν ποιητὴς, πλεονάκις ἐν ταῖς Συρακούσαις ἐπιδεδημηκὼς καὶ τὴν τῶν ἐγχωρίων τεθεαμένος σπουδὴν περὶ τὰς θυσίας καὶ πανηγύρεις τῆς τε Δήμητρος καὶ τῆς Κόρης, κατεχώρισεν ἐν τοῖς ποιήμασι τούσδε τοὺς στίχους·

Λέγουσι Δήμητρός ποτ' ἄῤῥητον κόρην
Πλούτωνα κρυφίοις ἁρπάσαι βουλεύμασιν,
δῦναί τε γαίας εἰς μελαμφαεῖς μυχούς.
πόθῳ δὲ μητέρ' ἠφανισμένης κόρης
μαστῆρ' ἐπελθεῖν πᾶσαν ἐν κύκλῳ χθόνα·
καὶ τὴν μὲν Αἰτναίοισι Σικελίαν πάγοις

1) Notemus gravissimum Suidae errorem, qui verba Athenaei: ἐν Σεμέλῃ, ἧς ἀρχὴ κ. τ. λ. sic legit, quasi duo essent ejusdem tragoediae nomina Σεμέλη ἢ Ἀρχή. Quanquam hoc ei credidit **Gyraldus**.

πυρὸς γέμουσαν ῥεύμασιν δυσεμβόλοις,
πᾶσαν στενάξαι, πένθεσιν δὲ παρθένου
σίτων ἄμοιρον διοτρεφὲς φθίνειν γένος·
Ὅθεν θεὰς τιμῶσιν εἰς τὰ νῦν ἔτι.

ab Hugone Grotio Excerpt. p. 1003 receptum. Quem Wesselingius Agrigentino inepte assignavit. Nam qui hos versus scripsit, si Siciliam habuisset patriam, importune historicus explicuisset, quomodo poëta religiones Syracusanorum cognovisset.

Carcinus igitur ex omni fabularum numero praeprimis eas delegit, quae tum maxime delectabant homines, quarum aliae a principibus exornatae, aliae ab ipso primo inventae sunt. At non ratio solum, qua raptum Proserpinae narrat, non quod de eo aliquid sibi persuaserit, sed ut cultum Siculorum explicet, verum illa quoque notio Pluti Stob. Serm. 233:

Ὦ πολλὰ Πλοῦτος δυστυχέστατος κυρῶν,
ὅμως μέγιστον ζῆλον ἐν βροτοῖς ἔχεις [1]·

quem, quasi deus verus ac vivus non sit, cum ipsis confundit divitiis, ad quas potestas ejus maxime pertinet, haec igitur impietatem illam ac perniciem religionis ostendunt, in quam tum homines coeperant esse proclives. Quo sensu intelligi debent, quae apud Photium l. l. legimus. Καρκίνου ποιήματα: Μένανδρος Ψευδηρακλεῖ αἰνιγματώδη. Ὁ γὰρ Καρκίνος Ὀρέστην, ὑπὸ Ἡλίου ἀναγκαζόμενον ὁμολογῆσαι, ὅτι ἐμητροκτόνησεν, ἐποίησε δι' αἰνιγμάτων ἀποκρινόμενον. Hic enim neque sententiam Meinekii H. C. p. 510 probamus, cum is Ἀπόλλωνος scribat, nec Valckenario, qui, Hemsterhusio duce, Μενελάου restituit, propter lectionis vetustatem suffragamur, propterea quod Suidas, qui eadem s. v. Καρκίνου habet, formam Ἰλίου tuetur in maxima vocalium η et ι similitudine a Photii nomine nihil diversam. Neque videmus, quare Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1062 in suspicionem adduxerit vulgatam scripturam, Apollinem monens neque in scena apparere, neque matris caedem Oresti exprobrare potuisse, cum ad hoc scelus eum ipse compulisset. Nam quid obfuit tandem, quominus machina demissus Apollo cum Oreste sermones consereret? Quis de artificio dubitare potest, quo poëta effecit,

1) Quae quidem ratio scribendi inprimis mihi placuit, quo rectius ea, quae diximus, exprimerentur. Alii legunt πλοῦτος et ἔχει.

ut deus, quis esset, celans, extorqueret matricidae confessionem facinoris? Et usum insolentis illius nominis *Ἥλιος* ab ostentatione duxerim [1]). Qui vero in rebus, quae ad religionem, quaeque ad cultum deorum pertinent, significandis insolenter ac pro suo arbitrio ludebant, usitatas perceptasque deorum notiones probare non poterant. Quapropter hunc in mutatione fabularum, quas subjecit tragoediis, non nimis religiosum fuisse sequitur. Nunc pauca de moralibus sententiis, de indole poëtica, aliisque rebus monenda sunt, quae in poësi consideranda omnino respici solent. Docet igitur, virtutem exercendam ac felicitatem a diis expetendam esse, ut homines et boni et fortunati exsistant. Stob. 249:

ἀσκεῖν μὲν ἀρετὴν, εὐτυχεῖν δ' αἴτει θεούς·
ἔχων γὰρ ἄμφω ταῦτα, μακάριός θ' ἅμα
κεκλημένος ζῆν:, κἀγαθὸς δυνήσεται.

Nam cum veteres in ea quaestione multum versarentur, ut disceptarent, virtus utrum addisci, an usu et exercitatione acquiri deberet, Plato Men. init. Cic. de Rep. I, 2 etc., Carcinus exercitationem magis, quam doctrinam ad eam pertinere putavit. Itaque tali modo dissensit a Stoicis. Diogen. L. VI, 1, 5. Ibid. 9, 3. Porro felicitatis fontem non habuit solam virtutem, quae ipsi donum deorum esse videbatur. Qua in re fortasse Platonem secutus cum crederet virtutem sufficere ad bene beateque vivendum, instrumenta, quibus virtus multum adjuvatur, ut robur, sanitatem, sensuumque integritatem, a diis obnixe petentibus impertiri credidit. Plat. Gorg. p. 470. Diogen. L. III, 72. Quod silentium laudat, Stob. Serm. 126, late patet. Exsecratur divitias, Stob. Serm. 233; idque ait invidiae proprium esse, ut bonum molestias afferat possessori. Ibid. 139.

Nec res in fabulis ita composuit, ut ratio perfectae artis exigit. Quod ex nonnullis indiciis clarum est. Nam Aristoteles, cum de variis agnitionum generibus agat, unumque eorum sic fieri posse existimet, ut homo ex innatis signis cognoscatur, exempli gratia nominat Carcinum, cujus Thyestes ex stellis

---

1) Haec ita mihi olim in animum induxeram, antiquis nominibus deos, quanquam figurate vocarentur, tamen in scenam non ita bene posse induci. Post Meinekius eam nominum novitatem, ubicunque adesse videretur, non tam poëtis, quam grammaticis deberi mihi persuasit.

agnitus est, quas, velut insigne Pelopidarum, in humeris impressas habebat. Poët. 16. Julian. Orat. II. p. 81 C. Themist. Orat. VI. p. 92. Atque id jure philosophus reprehendit, propterea quod, quae ex ipsa fabularum compositione sequantur necesse est, poëta extrinsecus intulit ac liberius cum ea conjunxit. Neque id in alterum locum non cadit, ubi Aristoteles eum contra artis praeceptum peccavisse ait, ex quo fabulae sic institui debent, ut omnes res subjiciantur sub omnium adspectum. Poët. 17: *Δεῖ δὲ τοὺς μύθους συνιστάναι καὶ τῇ λέξει συναπεργάζεσθαι, ὅτι μάλιστα πρὸ ὀμμάτων τιθέμενον. οὕτω γὰρ ἂν ἐναργέστατα ὁρῶν, ὥσπερ παρ' αὐτοῖς γιγνόμενος τοῖς πραττομένοις, εὑρίσκοι τὸ πρέπον καὶ ἥκιστα ἂν λανθάνοιτο τὰ ὑπεναντία. σημεῖον δὲ τούτου, ὃ ἐπετιμᾶτο Καρκίνῳ. ὁ γὰρ Ἀμφιάραος ἐξ ἱεροῦ ἀνῄει· ὃ μὴ ὁρῶντα τὸν θεατὴν ἐλάνθανεν· ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς ἐξέπεσε, δυσχερανάντων τοῦτο τῶν θεατῶν.* Sic Hermannus. Quod plurimi perperam interpretantur. Ait enim Ritterus Comment. p. 204: „*Scilicet Carcinus ὁ τραγικὸς Amphiaraum ex templo redeuntem fecit idemque hunc egressum spectatoribus non cognitum deinceps ita respexit, ut tragoedia obscura fieret ideoque non placeret.* Num spectatores non viderunt Amphiaraum, in scenam prodeuntem? An nesciverunt, unde venisset? An vero non agnoverunt eum, quem ex templo foras venientem conspicabantur, cum neque is ipse, quis esset, nec ceteri sermone significarent, qui cum eo colloquebantur. Jam illud, quod primum diximus, omnino fieri non potuit. Nam quis in scenam prodeuntes non animadverterit? Qui autem non animadvertit, is et praesentes tamen certe conspicatur et sibi ipse debet exprobrare, quod importune avertit animum. An ratio scenae sic instituta est, ut templum, ex quo Amphiaraus processit, non esset in oculis? Quod etsi vel maxime offecit, tamen non tam poëtae, aut poësis, quam vitium ejus habendum erat, qui scenam instruxerat. Rem ita mihi explicare videor. Amphiaraus e templo tacito progressus est, sive id in scena, sive postscenio fuit. Qui cum ceteris cum personis sermones facere coepisset, quanquam mentio ejus, antequam progrederetur, a nemine facta fuerat, ne postea quidem ita nominatus est, ut is, qui eum alloqueretur, initio sermonis significaret, quis ille esset. Itaque indigne spectatores tulerunt, quod nesciebant, quis es-

set, qui in scena apparuisset, quique, sacerdotali veste indutus, nec alio signo notus, sermocinaretur. Quod qui volunt intelligere, comparent, quomodo poëtae personas introducere consueverint. Sophocl. Antigon. 991. Oedip. Tyrann. 285, 301, Electr. 121, 318, 321 etc. Carcinus igitur in eo peccavit, quod ea, quae repraesentavit, nequaquam ex actionibus ac sermonibus necessario consequi fecit oculisque spectantium plus tribuit, quam auribus. Non dubito, quin justis copiosisque locum orationibus dederit, iisque tam accusari fecerit Medeam, quam defendi. Indicat Aristot. Rhet. II, 23. Menander carmina, quae aenigmatis plena essent, nuncupavit *Καρκίνου ποιήματα*, ut ex Photio l. l. liquet. Idem Suidas s. v. scribit. Grammatici igitur vim locutionis ita exposuerunt, ut una in fabula Orestem aenigmatis usum dicerent; inde totam Carcini poësin ex hac proprietate esse appellatam. Nec vero illud Menandri, quod Graecis aliquando, ni fallor, in proverbiis fuit, ad unam, aut alteram fabulam pertinet, sed de omni poësis genere accipiendum est, in quam tum multa aenigmata inculcabantur. Idem Euripidem imitatus est, a quo sumpsit nonnulla. Ut contemptionem mulierum, qua princeps fuit famosus, quamque in fabulis sexcenties expressit, in Semela tali modo significavit:

Ὦ Ζεῦ, τί χρὴ γυναῖκας ἐξειπεῖν κακόν;
ἀρκοῦν ἂν εἴη, κἂν γυναῖκ' εἴπῃς μόνον.

Athen. l. l. Et quod divitias inter mala habuit, Stob. Serm. 233:

δεινὸν ἔσθ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν·

duos locos in animum revocat, unum Archelai. Fragm. 33:

πλουτεῖς; ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθία δειλόν θ' ἅμα·

alterum, qui Phoeniss. 606 legitur, ubi Polynices:

εἰσορῶ· δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν.

Quae ad verbum conspirant. Nam cum alii *δεινὸν* legant, Gesnerus recte scripturam *δειλὸν* Carcino restituit, quae non modo fide librorum in Phoenissis, aut auctoritate Scholiastae ad Aristoph. Plut. 203, hanc coryphaei sententiam citantis, sed ipso quoque comici loco confirmatur, apud quem divitiae similiter l. l. increpantur. Quae quanquam ita se habent, tamen studium imitandi huic ne nimis industrium tribuas. Nam ut similis est item locus Bacchylidis Fragm. 4; sic verba *Δειλὸν ὁ πλοῦτος* olim locum proverbii obtinuerunt, Apost. VI, 62;

Zenob. III, 35; Leutsch. ad Zenob. l. l., ut communem sermonem potius, quam versum Euripidis secutus videatur. Est denique fragmentum ap. Harpocrat. s. v., quod Valckenarius Diatrib. l. l. cum Eurip. Bacch. 318 comparavit. Quae quidem, etiamsi nobis minus persuadentur, evincunt tamen id, quod supra contendimus, similitudinem quandam Euripidis a Carcino in fabulis esse expressam. Ex quo fortasse illa versus particula, quam Stobaeus Sermon. XXIX habet, modo Euripidi vindicata est, modo Carcino, cum communis esset utriusque poëtae.

Paullo liberior ei metrorum rhythmorumque ratio fuit. Nam caesurae, quae fit in quarto pede, quaeque rarior est, tria animadverti specimina, ne commemorem alios versus, qui ad aliam divisionem revocandi sunt:

πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν.
καὶ τὴν μὲν Αἰτναίοισι Σικελίαν πάγοις.

Unum habet versum, post tertium pedem incisum:

λέγουσι Δήμητρός ποτ' ἄῤῥητον κόρην.

Saepe tribrachum admisit:

βαθεῖαν εἰς αὐλῶνα περίδρομον στρατοῦ.
ἀσκεῖν μὲν ἀρετὴν, εὐτυχεῖν δ' αἴτει θεούς.
ἔχων γὰρ ἄμφω ταῦτα μακάριός θ' ἅμα.

Unum exstat anaepaesti exemplum, quod diversitate lectionis ambiguum est:

λυπεῖ γὰρ αὐτὸ τὸ κτῆμα τοὺς κεκτημένους.

Nonnulli enim scribunt:

λυπεῖ γὰρ αὖ τὸ κτῆμα κ. τ. λ.

Xenocles II. Duo Xenocles fuisse, tragicos poëtas, Scholiasta ad Aristoph. Ran. 86 memoriae prodit: *εἰσὶ δὲ, ὥς φασι, δύο Ξενοκλεῖς, τραγῳδοὶ γεγονότες.* Et supra de uno diximus; alter vero ex hac familia haud dubie oriundus fuit. Jam Fabricius hoc nomen et patri et filio Carcini fuisse putat Bibl. Gr. T. II. p. 326. Quod, si de juniore Carcino cogitavit, Meinekio lubente Hist. Crit. p. 516, facile concedimus.

DE ISOCRATIS SCHOLA.

Itaque de poëtis hactenus dictum est, qui eadem familia oriundi aut patrem, aut avum habuerunt, cujus illustrissimum exemplum ob oculos sibi posuerunt. Qui egregias animi dotes, quales vulgo in clarorum hominum prole reperiuntur, iisdem praeceptis atque in una institutione formati, in artis usum dirigerent tragicumque genus similiter excolerent necesse fuit. In quibus effloruit aliqua operum similitudo ex vinculo sanguinis. Et quoniam ipsi coryphaei familias reliquerunt, ea res tragoediam Graecorum et multis et magnis virtutibus auxit. His autem quanto specie similis, tanto dissimilis reapse vel schola, vel disciplina Isocratis fuit. In qua qui operam navarunt tragicae poësi, nec sanguinis communitate, neque usu domesticae disciplinae inter se aut pares fuerunt, aut similes, neque majorum gloria commoti atque incitati. In quibus, si qua fuit similitudo, haec tali modo effecta est, ut oratorias artes in poësin conferrent, quas habebant ab eodem magistro. Quae res tanto mirabilior fuit, quanto longius cum ab omni poësi, tum a tragoedia recessit. Invenerat primus Euripides, credo, tantum populo indulgens, actionum amantissimo, ut sermonibus tragoediarum et verba et locutiones adspergeret ex usu forensi petitas. Quem paullo post, amore litium in dies crescente scholisque rhetorum magis vigentibus, alia hominum turba consecuta est, qui vel judicia fingerent in fabulis, vel orationes suis numeris absolutas copiose explicarent. Quare cum multi vel honoris, vel quaestus avidi in scena elucere gestirent iique non praestanti ingenio, neque oratoriis laudibus conspicui essent, confugerunt in rhetorum scholas, ut praesidia artesque sibi natura denegatas nanciscerentur. Quin ipsi rhetores tragoediis componendis instituisse videntur discipulos, quo facilius hi grave ac magnificum dicendi genus addiscerent. Nam illum Aeschinem, oratorem nobilissimum, histrionem fuisse dicunt,

antequam caussas pro populo agere coeperit. Demosthen. de Coron. p. 173 (ed. Brem.). Grysar. De Graec. tragoed. qual. etc. p. 38 et 39. Item auditores Isocratis scripserunt tragoedias. Quid vero necessario fuit futurum, cum oratores, poëtica indole non praediti, ad tragicum genus se contulissent? Nimirum incommoda et detrimenta, quotquot ex oratoriis artificiis omnino tragoedia cepit, eo magis augeri necesse fuit, quo plures eam rhetores coluerunt, peculiari quadam dictione usi, quae quidem e scena ad scholas usumque forensem ablegauda esset.

Aphareus. Aphareus, orator nequaquam obscurus, Ruhnken. Hist. Crit. p. 341, Hippiae, celeberrimi sophistae, ac Plathanae filius fuit. Suid. s. v. *Ἀφαρεὺς, Ἀθηναῖος ῥήτωρ, υἱὸς τοῦ σοφιστοῦ Ἱππίου καὶ Πλαθάνης, πρόγονος δὲ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος.* Dionys. Halic. de Isocrat. Jud. 18: *Ἀφαρεὺς, ὁ πρόγονός τε καὶ εἰσποίητος Ἰσοκράτει γενόμενος.* Hunc igitur Isocrates initio privignum habuit, post vero in filii locum adscivit. Aetati suppar fuit Platonis; nam circa nonagesimam quintam Olympiadem floruit. Hic enim numerus apud Suidam restitui debet, cum in vulgatis ejus exemplaribus sexagesima quinta significetur: *ἀκμάσας κατὰ τὴν ξε΄ ὀλυμπιάδα, ὅτε καὶ Πλάτων ὁ φιλόσοφος.* Cum archonte Lysistrato, id est Ol. 102, 4, tragoedias docere coepisset, neque ante Sosigenem desisteret, qui Ol. 109, 3 archon fuit, per duodetriginta annos sexies in Dionysiis, bis autem in Lenaeis scenicum certamen obiit. Pseudo-Plutarch. Vit. X Orat.: *ἀρξάμενος δὲ ἀπὸ Λυσιστράτου διδάσκειν ἄχρι Σωσιγένους ἐν ἔτεσιν εἴκοσιν ὀκτὼ διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ἓξ καὶ δὶς ἐνίκησε διὰ Διονυσίου καθεὶς καὶ δι᾽ ἑτέρων ἑτέρας δύο Ληναϊκάς.* Ex quo simul apparet, eum victoriam bis consecutum esse. De numero fabularum, quas fecit, aliquatenus dubitare possumus, cum testimonia veterum dissentiant. Nam Pseudo-Plutarchus, etsi septem et triginta tragoedias ei tribuit, tamen eum numerum non certum accuratumque haberi voluit, cum duae earum ab eo abjudicatae essent: *ἐποίησε δὲ καὶ τραγῳδίας περὶ ἑπτὰ καὶ τριάκοντα, ὧν ἀντιλέγονται δύο.* Sed in eo hoc etiam longe mirabilius est, quod sive triginta septem, sive quinque et triginta scripsisse putatur, quaternas fabulas non potest in scena conjunxisse, ut in more institutoque veterum poëtarum fuit.

Theodectes [1]), Aristandri filius, Suid. s. v. Eudoc. p. 230, Phaselita, Athen. X. p. 451, 454, Pausan. I, 3, Pseudo-Plutarch. Vit. Isocr. Gell. Noct. Att. l. l. Steph. Byzant. s. v. *Φασηλίς*. Suid. l. l. Eudoc. l. l., non modo oratoris, sed etiam tragici poëtae laudibus fuit illustris. Alexander, rex Macedonum, cum per Asiam minorem proficiscens Phaselidem venisset ibique statuam conspexisset, in foro Theodecti positam, qui tum maturam mortem obierat, post coenam temulentus lascive saltavit multasque statuae coronas injecit, ut homini non ingratum honorem redderet, quem, Aristotele magistro, in philosophiae studiis socium habuisset. Plutarch. Alex. 17. Phaselidem vero Alexander Ol. 111, 4 pervenit. Quaerimus de anno mortis. Phaselitae ei statuam sine dubio non prius consecraverunt, quam post ejus mortem aliquod temporis spatium praeterlapsum est; sin vero id protenus fecerunt, simulatque decessit, quoniam quadragesimo primo aetatis anno occidit, Ol. 101, 2 fere natus est. Suid. s. v. *τελευτᾷ δὲ ἐν Ἀθήναις ἐτῶν γεγονὼς α' καὶ μ'.* Eudoc. p. 230. Itaque duo et viginti annos expleverat, cum in funeribus Mausoli adversus nobilissimos aemulos certavit Ol. 106, 4. Hunc Suidas auditorem Isocratis et Platonis et Aristotelis vocavit: *μαθητὴς Πλάτωνος καὶ Ἰσοκράτους καὶ Ἀριστοτέλους*, assentiente Eudocia. Et quanquam alii de Platone tacent, plurimi tamen Isocratem magistrum hujus fuisse tradunt. Est enim in libro commemoratus, quem Hermippus de schola Isocratis scripsit. Athen. X. p. 451. Item Pseudo-Plutarchus eundem hoc in numero habet cum aliis una aequalibus, quibuscum saepe conjungitur. Porro Dionys. Halicarn. de Isaeo 19: *οὐδέ γε περὶ τῶν συμβιωσάντων Ἰσοκράτει καὶ τὸν χαρακτῆρα τῆς ἑρμηνείας ἐκείνου ἐκμιμησαμένων οὐδενὸς, Θεοδέκτου λέγω, καὶ Θεοπόμπου, καὶ Ναυκράτους, Ἐφόρου τε καὶ Φιλίσκου, καὶ Κηφισοδώρου καὶ ἄλλων συχνῶν. οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνοι κρίνεσθαι πρὸς τὴν Ἰσοκράτους δύναμίν εἰσιν ἐπιτήδειοι*, vim dicendi, qua Isocrates excellat, in Theodectis, Theopompi, Naucratis operibus

---

1) Apud Photium Fragm. Cantabr. p. 671: *Θεόδεκτος* legitur, quae forma genitivo *Theodecti*, quem A. Gellius Noct. Att. X, 18, 6. habet [apud quem nonnullas edd., ut Tornaesii, habere *Theodectis*, nunc video. A. L.], defendi non potest.

nullo modo apparere contendens, quanquam illius et aequales et imitatores fuerint, eum, quem primo loco nominavimus, et imitatorem gravissimi rhetoris et auditorem habuit, quemadmodum homines quidem antiqui dicere solebant. Nihilominus de Aristotelis disciplina Plutarchus Alex. 17 atque Cicero Orat. 51 consentiunt; cumque his Athenaeus XIII. p. 566 E. facit, qui Aristotelem scribit amore Theodectis [1]) similiter exarsisse, ac Socrates pulchritudinem admiratus fuerit Alcibiadis. Contra Vossius p. 51: *„Ajunt et Aristotelis fuisse discipulum. De quo ambigo plurimum. Nam grandior natu Aristotele fuit."* At vero Apollodorus, in quo, si de temporis rationibus agitur, non parva inest auctoritas, Aristotelem Ol. 99, 1 natum esse refert, Diogen. L. V, 1, 7, eundemque septimo decimo aetatis anno in Platonis disciplinam se dedisse, in qua viginti annos perseveraverit. Itaque Aristotelem huic quindecim annis anteponimus. Et dubitatio animum Vossii subiit, quod certamen in funere Mausoli Ol. 103, 1 habitum esse existimabat. Aristoteles vero, ubi Athenas Ol. 108, 4 reliquit, ad Philippum Ol. 109, 2 se contulit, ut Alexandrum ei filium educaret; unde ad scholas in Lyceo denuo habendas, Diogen. L. l. l., revertit. Quare hic summum philosophum, nisi Athenis ante Ol. 108, 4 audiit, in Macedonia habuit doctorem. Quod ex Plutarchi narratione contenderis. Sed quis puerum quindecim annorum cum viro, qui triginta duo annos pridem compleverat, praeceptis philosophiae una imbutum censet? Itaque narrationem Plutarchi sic interpretari conamur, ut Theodecti vel primum inter discipulos, seu sectatores Stagiritae, vel praecipuum locum fuisse credamus, ut Alexander honores ei cum propter summam praeceptoris auctoritatem, tum ob celeberrimam studiorum communitatem largitus fuerit. Ubi vero Mausolus, rex Cariae, decessit, Artemisia uxor cum in maximos luctus incidisset, cineres mariti et alio apparatu et splendidissimo monumento ornavit, quod in vulgi ore communibusque proverbiis olim versabatur, Cic. Tuscul. III, 31, praemiisque simul homines praestantissimos convocavit ad laudes mariti digne celebrandas. Unde Naucrates, Theodectes, Theopompus de virtutibus mortui

---

1) De insigni ejus pulchritudine Stephanus Byz. s. v. Φασηλίς — Θεοδέκτης . . . . κάλλει διαφέρων.

certatim dixerunt. Suid. s. v. *οὗτος καὶ ὁ Ἐρυθραῖος Ναυκράτης καὶ Ἰσοκράτης, ὁ ῥήτωρ, ὁ Ἀπολλωνιάτης καὶ Θεόπομπος ἐπὶ τῆς ργ' ὀλυμπιάδος εἶπον ἐπιτάφιον ἐπὶ Μαυσώλῳ, Ἀρτεμισίας, τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, προτρεψαμένης, καὶ ἐνίκησε, μάλιστα εὐδοκιμήσας, ἐν ᾗ εἶπε, τραγῳδίᾳ.* Idem s. v. *Ἰσοκράτης Ἀμύκλα.* Qui falso nomen Isocratis Amyclaei addit; nam Pseudo-Plutarchus et Gellius tradunt, magistrum interfuisse certamini auditorum. Recte. Nam ipse Theopompus, ut Eusebius Praep. Evang. X, 3 ex Porphyrio scribit, praeceptorem a se victum esse gloriatus est. Ruhnken. Hist. Crit. p. 353. Victoriam alii Theodecti tribuunt, alii Theopompo. Quod quomodo explicari debeat, infra docebimus. Clintonus numerum anni correxit, scribens *ρζ'*. Hunc autem, cum sacra deorum in tragoedia enuntiavisset, aliquando oculis captum, a coelestibus opem tamdiu imploravisse ferunt, donec visum receperit. Vide Euseb. et Joseph. Flav., quos Gyraldus de Poët. Hist. p. 282 citat. Nec vero nos valde Eusebius movet, quoniam ipse fuit Christianus, qui tali narratione fortasse rem veterem voluit exponere, quae miraculis Christianorum simillima videretur, nec magnam Josepho fidem habeamus, quippe cujus libros plurimis locis interpolatos esse constet. Ernest. Opusc. Phil. Crit. p. 387. Et Aeschylum ejusdem criminis similiter insimularunt. Aristot. Eth. Nicom. III, 2. Clem. Alex. Strom. II. p. 387. Hermann. Opusc. Vol. II. p. 163. Habuit tantam memoriae vim, ut quamlibet multos versus semel auditos protenus reddere posset. Aelian. Var. Hist. VI, 10. Quint. Inst. Orat. XI, 2, 51. Jul. Poll. VI, 108: *ἐπεὶ καὶ μνημονικὸς ἦν.* Cic. Tusc. I, 24. Et gloria, quam vivus sibi pepererat, post mortem diutissime viguit. Nam ei Phaselitae cives in foro statuam posuerunt, quo consecrarunt memoriam nominis. Pari modo Athenienses, inter quos ad vitae finem usque moratus est (*τελευτᾷ δὲ ἐν Ἀθήναις,* Suid. s. v.), sepulcrum ad viam sacram non procul ab undis Cephissi fecerunt, Pseudo-Plutarch. *οὗ ἐστι τὸ μνῆμα ἐπὶ τὴν Κυαμῖτιν πορευομένοις κατὰ τὴν ἱερὰν ὁδὸν τὴν ἐπ' Ἐλευσῖνα τὰ νῦν κατερηρειμένον,* Pausan. I, 3, quod hoc epigramma incisum habuit:

Ἥδε χθὼν κόλποισι Φασηλίτην Θεοδέκτην
κρύπτει, ὃν ηὔξησαν Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες·

ἐν δὲ χορῶν τραγικῶν ἱεραῖς τρισὶ καὶ δέχ' ἁμίλλαις
ὀκτὼ ἀγηράντους ἀμφεθέμην στεφάνους.

Neque admirationem singularis viri aut Alexander, conspecto ejus monumento, suppressit, aut Aristoteles, qui eum saepissime laudat.

Hic autem non solum orationes scripsit, sed artem quoque dicendi peculiari libro exposuit. Steph. Byzant. l. l. *ἐποίησε . . . καὶ ῥητορικὰς τέχνας καὶ λόγους ῥητορικοὺς ἐπῶν.* Accuratius Suidas s. v. *ἔγραψε δὲ καὶ τέχνην ῥητορικὴν ἐν μέτρῳ καὶ ἄλλα τινὰ καταλογάδην.* Eudoc. l. l. Ex orationibus, quae aetate Ciceronis nondum interierant, nominatim duae citantur, una defensio Socratis, Aristot. Rhet. II, 23. Phot. Fragm. Cantabr. p. 671: *Θεόδεκτος ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ,* altera *Νόμος* inscripta. Aristot. Rhet. l. l. Quo quidem operum genere quam clarus fuerit, ridicula Theopompi gloriatio indicat, qui longe maximas sibi et Isocrati et Theodecti et Naucrati laudes inter omnes Graecos in dicendo deberi contendit. Phot. 176. Dionys. ad Ammon. 2. Ac tametsi non aequiparavit Isocratem virtutibus, Dionys. de Isaeo 19, praecelluit tamen generosa indole et copia dicendi et ornato politoque genere orationis. Aul. Gell. l. l. Cic. Orat. 51: „*Theodectes . . . in primis politus scriptor atque artifex.*" Cum de arte dicendi scriberet, duas res ab Aristotele sumpsit, unam verborum divisionem, alterum praeceptum, ex quo versus ab omni orationis, quae numerum haberet, tenore essent removendi. Dionys. de Verb. Comp. 2. Cic. Orat. 51. Quare in tanta doctrinae similitudine dubitarunt, an librum Aristotelis, qui praecepta dicendi continet, adscriberent potius Theodecti. Quint. Inst. Orat. II, 15, 10. Sed opus hujus, quod praeter Dionysium ad Ammon. 2. Antiphanes apud Athen. IV. p. 134 B., Tzetzes Chiliad. XII. p. 573 [1]) commemorant, ab antiquis plurimi factum est.

Postquam totus in eloquentiae studiis aliquamdiu versatus est, ad tragicam poësin se convertit. Pseudo-Plutarch. Vit. X Orat. Isocrat. *ἐμαθήτευσε δ' αὐτῷ . . . καὶ Ἀσκληπιάδης . . . καὶ Θεοδέκτης ὁ Φασηλίτης, ὁ τὰς τραγῳδίας ὕστερον γράψας.* Phot. l. l. Tum terdecies scenicum certamen iniit atque

1) Praefationem ejus Aristoteles scripserat. Diogen. L. V, 1, 12.

octies victóriam est consecutus, ut testatur, qui carmen supra propositum sepulcro inscripsit:

ἐν δὲ χορῶν (τραγικῶν) ἱερῶν τρισὶ καὶ δέχ' ἁμίλλαις
ὀκτὼ ἀγηράντους ἀμφεθέμην στεφάνους.

Quam praeclaram loci emendationem, qui in libris perquam corruptus est, partim Tyrwhitto debemus, partim Ruhnkenio. Sed cum in eo poëticarum numero persistimus, nonnihil difficultatis habet multitudo fabularum, ab antiquis scriptoribus memorata. Nam Suidas s. v. *δράματα δὲ ἐδίδαξε ν'*; Eudocia non distincte numerum significat; Stephanus Byz. vero: *ὃς ἐποίησε τραγῳδίας ν'*. Quodsi enim Theodectes in certamina detulit ternas tragoedias singulasque iis adjunxit satyricas fabulas, ut in more superiorum poëtarum fuit, quaerimus, quare non duas et quinquaginta fabulas scripserit? An rem ita censes mutatam, ut singulae fabulae ab unoquoque poëta docerentur singulis diebus? Cum duo scriptores consentiant, nec possit de librorum corruptione cogitari et cum copia certaminum ad fabularum multitudinem proxime accedat, etiamsi rationem illius instituti habeamus, auctores illi, quot fabulas ediderit Theodectes, accurate videntur definire noluisse. Hoc nuper etiam sensit Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1072. Alterum multo levius est, quod Stephanus cunctas Theodectis fabulas pro tragoediis habuit, tanquam is satyros scripsisset nullos. Nam et talis negligentia apud veteres scriptores frequentissima est et Suidas accuratius loquitur, haec opera diserte *δράματα* nuncupans. Hoc autem genere magnum assecutus est nomen, ut copia victoriarum ostendit, sive oratoriis artibus, quae tum in tragoediis plurimum valebant, sive aliis eam ornavit virtutibus, quales in vera poësi maxime desiderantur. Neque igitur inanis est ejus laus, qui hunc fecit praedicantem, se alumnum Musarum esse. Steph. Byzant. l. l. Quanquam nomen tragici, quo saepe appellatus est, Aspas. ad Aristot. Eth. Nicom. VII, 7, 6. Clem. Alexandr. Strom. VI. p. 623, nequaquam ab illustriore operum genere traxit, ut non tam orationibus videatur, quam tragoediis excelluisse. Hoc enim iis tantum in locis habet, ubi fabulae ejus appellantur.

Sed paucae sunt fabulae, quarum nomina, vel argumenta nobis supersunt. Ajacem enim Aristoteles Rhet. II, 23 laudat. Idem l. l. mentionem Alcmaeonis facit, a Porphyrio

ap. Euseb. Pr. Evang. X, 3 et Dionys. ad Amm. 12 citati. Et Grotius ea, quae apud Stobaeum Serm. 53 (ed. Wech.) occurrunt, ex Bellerophonte petita existimat; eodemque alius locus pertinet, quem idem Eclog. Ph. I, 7 servavit, ut infra demonstrabimus. Helena Aristot. Polit. I, 6. Lynceus Idem Poët. 11. — Sed de Mausolo quid est, quod A. Gell. Noct. Attic. X, 18, 6 memoriae prodit? Is enim: „*Ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua praestabili, Theopompus, Theodectes, Naucrites* (*Naucrates*). *Sunt etiam qui Isocratem ipsum cum iis certavisse memoriae mandaverint: sed eo certamine vicisse Theopompum judicatum est. Is fuit Isocratis discipulus. Exstat nunc quoque Theodecti tragoedia, quae inscribitur Mausolus, in qua eum magis, quam in prosa placuisse, Higinus* (*Hyginus*) *in Exemplis refert.*" Qualis igitur videtur fabula, quae tam argumentum, quam nomen a rege accepit, in cujus honorem scripta est? Ad hoc optime Müllerus Hist. Liter. Gr. T. II. p. 191, materiem Mausoli, in hominis vix mortui laudes scripti, cum nominae, quod inter Cares frequentissimum fuerit, ex antiquissimis Cariae fabulis petitam esse respondet, ejusdemque indolem ac rationem fuisse illi simillimam, quae fuerit Archelao Euripidis. Quanquam longe secus Welckerus p. 1081 judicat, Mausolum adscribens tragoediis historici generis. Verum aliud ad explorandum difficilius est, quomodo hanc fabulam poëta orationibus opponere potuerit, quas ceteri vel aemuli, vel condiscipuli in illo certamine habuisse dicantur. Hos enim modo διαγωνίσασθαι περὶ λόγων εἰς τὸν ἐπιτάφιον Μαυσώλου, τοῦ βασιλέως Ἁλικαρνάσσου, modo εἰπεῖν ἐπιτάφιον ἐπὶ Μαυσώλῳ, Ἀρτεμισίας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ προτρεψαμένης, Suidas s. vv. Ἰσοκράτης, Ἀμύκλα, Θεοδέκτης refert. Quare Mausolum ad modum tragoediae non finxit, aut in funere saltem ita non docuit, ut adversus oratores contenderet. At indoles operis, quam Hyginus, quamque Gellius tragoediam vocant, in dubitationem nequit adduci. Item Suidas carmini hujus generis victoriam esse tributam scribit: καὶ ἐνίκησε μάλιστα εὐδοκιμήσας, ἐν ᾗ εἶπε, τραγῳδίᾳ. Nihilosecius Mausolum in regis funere dedit. Quod quidem, ut rationem Welckeri omittam, qui negat talem fabulam in scena Atheniensium doceri potuisse, ut aliquam gratiam assequeretur, tam narratio Gellii, quam verba Suidae mihi persuadent, quamvis et

perturbata et multis depravata sint vitiis. Addimus explicationem tragoediae ap. Zonaram p. 1743: τραγῳδία, ποίημα ἐπιτάφιον, quae absurda est, nisi ad hanc Theodectis fabulam refertur, eamque hunc in finem scriptam esse declarat, ut celebritatem funeris augeret. Hinc igitur plures sunt natae eruditorum sententiae. Namque Bodius, illud funus uno ludorum genere celebratum esse ratus, reliquos, quotquot dicuntur, aemulos adversus Theodectem orationibus certasse censet. At vero haec nova et inaudita certaminis ratio, qua is fabulas cum orationibus junctas esse existimat, non admodum verisimilis est. Habemus aliam Mülleri sententiam, qui Theodectem, cum virtutes mortui regis oratione laudasset, ut ceteri fecerunt, tragoediam dedisse arbitratur. Quod egregie Welckerus argumentis confirmat, quae in extremis Gellii verbis abscondita sunt. Nam is auctor, cum hanc fabulam prae Theodectis prosa placuisse narrat, neque omnem orationum copiam, quae tum magna in gloria summisque laudibus ponebantur, nec totius antiquitatis judicium ob oculos habet, de quo non omnibus tantum convenire solet, sed certa quaedam solutae orationis specimina respicit, quae quidem prae Mausolo minoris aestimata, aut plane contempta sint. Atque hoc in funebrem orationem optime convenit. Namque si in funere Mausoli adversus condiscipulos certavit, qui nobilitatem mortui regis orationibus efferebant, ipse quoque similem orationem habuerit necesse est, propterea quod natura cujuslibet certaminis postulat, ut ii, qui inter se aemulantur, ejusdem generis opera in medium afferant, quae commode inter sese possint conferri. Quae vero caussa Theodectem adduxit, ut, oratione habita, tragoediam daret? Aut qui locus ei datus videtur? Silet Müllerus quidem; Welckerus autem: Und dabei scheint aus diesen Worten die weitere Angabe des ausgezogenen Berichtes durchzublicken, dass Theodektes durch die Niederlage veranlasst wurde, die Tragödie zu schreiben und dass diese desto grösseren Beifall erndtete. Verum enim ignominiam, quam in oratorum contentione sibi tulisse videbatur, qui potuit reparare specimine tragico, praesertim cum studio dicendi longe magis, quam poësi floreret? Id igitur consilii vix habuit, et, si habuit, tali modo nequaquam persecutus est. Quod vero temporis spatium ad tragoediam scribendam huic suffecisse opi-

namur, ut eam in funere Mausoli et inchoare protenus et absolvere posset? Quocirca haec ita nobis enucleanda sunt. Artemisia, cum funus marito magnificentius parare statuisset, praemiorum spe homines convocavit, qui partim gloriam regis orationibus celebrarent, partim aliis ludorum generibus celebritatem supremi diei augerent. Nimirum hoc primum illius consuetudinis exemplum fuit, qua plurimi postea reges, cum dies festos agere vellent, et alios variosque artifices et tragicos actores excitaverunt, ut partim splendore, partim multitudine ac varietate operum animos civium satiarent. Quam quidem ludorum conjunctionem, in qua tragoediae nunquam desiderabantur, ab Archelao ac Philippo ducit **Welckerus** l. l. p. 1276. Quare cum praestantissimi convenissent oratores, nec alii deessent, qui docerent tragoedias, Theodectes, utraque ille arte clarus, Suid. s. vv. Ἰσοκράτης, Ἀμύκλα . . καὶ Θεοδέκτῃ, τῷ ῥήτορι καὶ τραγῳδοποιῷ, et funebrem orationem habuit, et fabulam edidit Mausolum. Ergo illa quidem propter Theopompi virtutes displicuit; huic vero praemium tributum est. Ex quo sententia eorum refutatur, qui, duplex certaminis genus confundentes, modo Theodecti victoriam tribuerunt, modo Theopompo. Nescimus igitur, num quis **Maerckerum** jure reprehendere possit, qui hanc ipsam, ut scribit **Welckerus**, aut similem defendit sententiam. — Praeterea **Oedipum** fecit. Athen. X. p. 451 (**Grot.** Exc. p. 447) 454. **Orestem** ad partes Aristot. Rhet. II, 24 vocat. **Philoctetem** laudat Aristoteles Eth. Nicom. VII, 8. Aspas. ad h. l. **Cramer.** Anecdot. Gr. Paris. I. p. 243. Fragmentum ex **Thyesta** ductum apud Stobaeum invenies, a **Grotio**, **Valckenario** ad Eurip. Hippol. 240, **Heerenio**, **Jacobsio** tentatum. Porro versus **Thesei** ab Athenaeo X. p. 454 laudari, **Welckerus** p. 1079 conjecit. **Tydeum** respicit Aristoteles Poët. 16. Est locus **Achillis** vel **Memnonis**, quem Strabo XV, 1, 24 servavit. Laudatur denique, non addito fabulae nomine, ap. Stobaeum Serm. 53, 117, 123, 187, 188, 218, 251. Eclog. Ph. I, 3, 7.

Quae cum ita sint, etsi illa potissimum argumenta arripuit, in quibus multae vel lubricae, vel obscoenae, vel atroces partes inessent, quibusque tam libidines, quam horrorem terroremque excitare posset, qualis ad affectuum purgationem nequaquam necessarius est, ubique tamen exemplar Euripidis se-

cutus, materiem delegit ex ejus tragoediis, amoribus ac lacrimis refertam easque proprietates ad sensum effeminatorum hominum diligentissime exornavit. Sophocles quidem solus Ajacem scripserat; eundemque Theodectes in Alcmaeone, Bellerophonte, Oedipo, Philocteta Lemnio, Thyesta potuit imitari; neque est ulla in iis praeter Helenam tragoedia, in qua unius Euripidis habuit exemplar. Sed Mnesarchidam, quem aequales hujus plurimi faciebant, ne tum quidem reliquit, cum posset Sophoclem imitari. Nam versus Bellerophontis ap. Stob. Serm. 53:

Ὦ καλλιφεγγῆ λαμπάδ' εἱλίσσων φλογὸς,
Ἥλιε, ποθεινὸν πᾶσιν ἀνθρώποις σέλας,
Εἶδές τιν' ἄλλον πώποτ' εἰς οὕτω μέγαν
Ἐλθόντ' ἀγῶνα καὶ δυσέκφευκτον κρίσιν;

eorum commonent, a quibus Phoenissae Euripidis incipiunt:

Ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν,
καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις,
Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα.

Similiter Bellerophon Euripidis de diis dubitat, num sint, propterea quod et in hominum vita et in gentium historia plurima accidere soleant, quae cum notione divinae justitiae non possint satis conciliari. Fragm. 21:

Φησίν τις, εἶναι δῆτ' ἐν οὐρανῷ θεούς;
οὐκ εἰσὶν, οὐκ εἴσ'· εἴ τις ἀνθρώπων λέγει,
μὴ τῷ παλαιῷ, μωρὸς ὢν, χρήσθω λόγῳ.
σκέψασθε δ' αὐτὰ, μὴ 'πὶ τοῖς ἐμοῖς λόγοις
γνώμην ἔχοντες. φήμ' ἐγὼ τυραννίδα
κτείνειν τε πλείστους κτημάτων τ' ἀποστερεῖν,
ὅρκους τε παραβαίνοντας ἐκπορθεῖν πόλεις.
καὶ ταῦτα δρῶντες μᾶλλόν εἰσ' εὐδαίμονες
τῶν εὐσεβούντων ἡσυχῇ καθ' ἡμέραν.
πόλεις τε μικρὰς οἶδα τιμώσας θεοὺς,
αἳ μειζόνων κλύουσι δυσσεβεστέρων,
λόγχης ἀριθμῷ πλείονος κρατούμεναι.
οἶμαι δ' ἂν ὑμᾶς, εἴ τις, ἀργὸς ὢν, θεοῖς
εὔχοιτο, καὶ μὴ χειρὶ συλλέγοι βίον,
τὰ θεῖα πυργοῦσ' αἱ κακαί τε συμφοραί.

Cujus loci memoria confestim animum subit, cum apud Stob. Eclog. Ph. I, 4, 22 haec Theodectis legimus:

ὅστις δὲ θνητῶν μέμφεται τὰ θεῖ', ὅτι

οὐκ εὐθὺς, ἀλλὰ τῷ χρόνῳ μετέρχεται
τοὺς μὴ δικαίους, πρόφασιν εἰσακουσάτω·
εἰ μὲν γὰρ αὐτίκ' ἦσαν αἱ τιμωρίαι,
πολλοὶ διὰ φόβον, κοὐ δι' εὐσεβῆ τρόπον
θεοὺς σέβοιντ' ἄν· νῦν δὲ τῆς τιμωρίας
ἄπωθεν οὔσης, τῇ φύσει χρῶνται βροτοί·
ὅταν δὲ φωρασθῶσιν, ὀφθέντες κακοὶ,
τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις.

Quamobrem haec supra assignavimus Bellerophonti, quanquam nominatim non appellato, tragoediamque ad Euripidis modum adductam esse statuimus, ut homo, gravissima calamitate afflictus, ad audaces ac temerarias opiniones confugerit. Quemadmodum vero neque in Lynceo potuit, neque in Tydeo quenquam coryphaeum imitari, sic aliis in fabulis non desunt indicia mutationis, qua compositionem tragoediae pro sua ratione variavit. Philoctetes in Sophoclis atque Euripidis fabulis pedibus aeger est; at eum Theodectes manum anguis morsu infectam habere fecit. Aspas. ad Aristot. Eth. Nicom. VII, 7, 6: Ὁ Θεοδέκτης τραγικὸς ἦν καὶ παράγει τὴν χεῖρα δεδηγμένον τὸν Φιλοκτήτην ὑπὸ ὄφεως καὶ μέχρι μὲν πολλοῦ καὶ ἀντέτεινε πρὸς τὰς λύπας καὶ τοὺς πόνους, ὕστερον δὲ ἡττήθη καὶ ἐβόα· Κόψατε τὴν ἐμὴν χεῖρα. Quare si ope telorum sibi ea paravit, quae ad miserrimum victum suppeditabant, ut est apud Sophoclem, utque rem Euripides instituit, infeliciorem etiam ac miseriorem deserti aegrotique hominis vitam exhibuit. Et Ulysses Ajacem non solum convenit, sed etiam allocutus est. Aristot. Rhet. II, 23: καὶ οἷον ἐν τῷ Αἴαντι τῷ Θεοδέκτου Ὀδυσσεὺς λέγει πρὸς τὸν Αἴαντα, διότι ἀνδρειότερος ὢν τοῦ Αἴαντος οὐ δοκεῖ, cum id Sophocles prudenter interventu Palladis efficiat, ne Ajax inimicum sibi invisum agnoscere possit. Hermann. ad Soph. Aj. 103. Quare ni tanta insania correptus est, ut hostem omnino ignoraret, quem furibundus ad columnam alligatum somniabat, nesciretque, quocum sermones conferret, aut inermis fuerit necesse est, aut indolem neque ad iracundiam, neque ad ferocitatem pronam habuerit, qualem maxime in Sophoclio pertimescimus. Et aemulum Ulysses, quamvis secus videretur, ex fortitudine sibi postponendum esse contendit. Quam ostentationem, cum Atridae vellet judicium excusare, non facile probavit spectato-

ribus, ni vim vocis ἀνδρειότερος intellexit sensu non proprio, aut argumenta callide adhibuit, quibus sophistae aures mentesque audientium decipere solebant. Mausolus vero non mediocris tragoedia fuit, ut antiqui scriptores affirmant. In quo neque vim mentis, nec divinum illum spiritum apparuisse suspicor, quo poëtae concitentur necesse est, cum res historicas memoria dignissimas exornant. Praeterea animadvertendum est, eum non esse Athenis doctum, neque in reipublicae commodum scriptum, aut cum celebritate alicujus festi conjunctum.

Nunc de indole fragmentorum dicemus, quibus morales sententiae continentur. In quibus gravitatem viri, a Socraticis eruditi, cognoscimus, qui nihil levitatis habuit, nullam dicacitatem ostendit, quali sophistae auxerunt tragoediam. Itaque initium uniuscujusque rei docet a diis esse capiendum. Stob. Eclog. Ph. I, 3:

ἀπὸ τῶν θεῶν ἀρχήν γε ποιεῖσθαι πρέπον.

Quorum justitia argui non debet, quod sero scelera, vel injurias hominum puniunt; differunt enim vindictam, ne libertatem hominum imminuant, aut tollant. Stob. l. l. I, 4. Ipsa nobilitas generis per se laudanda non est. Stob. Serm. 218:

ἐγὼ μὲν οὔποτ' εὐγένειαν ᾔνεσα
τὴν προστάταισιν χρωμένην ἀναξίοις.

Monet de fragilitate fortunae. Ibid. 251:

πολυσπερὴς μέν, ὦ γέρον, καθ' Ἑλλάδα
φήμη πλανᾶται καὶ διέγνωσται πάλαι,
τὸ μὴ βεβαίους τὰς βροτῶν εἶναι τύχας.

Cf. Clem. Alexand. Strom. VI. p. 623. Impudentia praeter naturam rerum humanarum in dies crescit. Stob. Serm. 123:

ἅπαντ' ἐν ἀνθρώποισιν γηράσκειν ἔφυ,
καὶ πρὸς τελευτὴν ἔρχεται τὴν τοῦ χρόνου,
πλήν, ὡς ἔοικε, τῆς ἀναιδείας μόνον.
αὕτη δ', ὅσῳπερ αὔξεται θνητῶν γένος,
τοσῷδε μείζων γίγνεται καθ' ἡμέραν.

Mulier boni, aut mali daemonis, quam hominis similior est. Stob. Serm. 188:

ὅταν γὰρ ἄλοχον εἰς δόμους ἄγῃ πόσις,
οὐχ, ὡς δοκεῖ, γυναῖκα λαμβάνει μόνον,
ὁμοῦ δὲ τῇδέ τ' εἰσκομίζεται λαβὼν,
καὶ δαίμον' ἤτοι χρηστὸν, ἢ τοὐναντίον.

Matrimonium igitur malum habetur, cujus confestim vehementer poeniteat, etsi initio sit cupidissime petitum. Stob. 187:

παραπλήσιον πρᾶγμ' ἐστὶ γῆρας καὶ γάμος.
τυχεῖν γὰρ αὐτῶν ἀμφοτέρων σπουδάζομεν,
ὅταν δὲ τύχωμεν, ὕστερον λυπούμεθα.

Ex his autem illam de deorum imploratione sententiam, quam primo loco commemoravimus, e primis ac vetustissimis hominum placitis mutuatus vel sophistis opposuit, vel sophistarum similibus viris, qui deos aut esse negabant, aut sacris omissis, contemnere coeperant. Pari modo caussam, quare poenam tam sero improbis dii imponant, contra eos fortasse defendit, qui deos cum aeternae divinaeque justitiae notione e mundo simul tollere conabantur. Hanc vero quaestionem, quam Bellerophon Euripidis multo ante, ut vidimus, moverat, nec Plato, neque ceteri Socratici negligere poterant, quum de hominum moribus inquirerent opinionemque vulgi de justitia ac providentia deorum aliisque rebus confirmarent, quae ad vitam humanam pertinent. Optime igitur Plato commendavit justitiam, docens, post mortem esse poenas impietatis exspectandas. Diogen. L. III, 44. Quo valent etiam praecepta. Xenophontis Hellen. V, 4, VI, 4. Haec autem undecunque sunt ducta, Theodectes, si quidem ea in re sibi voluit constare, naturam tragoediae mutaret necesse fuit. Qui enim justitiam diis tribuit hominibusque vindicat libertatem, is fati delet notionem; tragico autem, qui negat dominari necessitatem, longe aliis artibus erat utendum, quam quas superiores poëtae adhibuerant. De nobilitate supra disputatum est. Impudentia hominum, de qua queritur, ex illis nata est vitiis, quorum teterrimam Thucydides III, 82 expressit imaginem. Et quod mores in dies magis corrumpebantur ac multitudo meretricum crescebat, quae omnem oppleverat Graeciam, modo mulieres opprobriis agitari, modo matrimonium, velut caussa malorum, in odium venire coeperunt.

Cum artem Agathonis exponemus, aenigmata multifariam in tragoedias translata esse videbimus. Iisdem igitur artibus Theodectes, prout ad inventionem atque compositionem eorum valde ingeniosus erat, Jul. Poll. VI, 19. Athen. X. p. 451 E., oblectavit animos spectantium idque tanta cupiditate, ut talem lusum ne conciliaret quidem cum indole hominum, quos utentes iis induceret. Quodsi enim descriptione, quae aenigmati

admodum similis est, Athen. X. p. 454, nomen Thesei consignavit:

Γραφῆς ὁ πρῶτος ἦν μαλακόφθαλμος κύκλος,
ἔπειτα δισσοὶ κανόνες ἰσόμετροι πάνυ,
τούτους δὲ πλάγιος διὰ μέσου συνδεῖ κανών,
τρίτον δ' ἑλικτῷ βοστρύχῳ προσεμφερές.
ἔπειτα τριόδους πλάγιος ὡς ἐφαίνετο,
πέμπται δ' ἄνωθεν ἰσόμετροι ῥάβδοι δύο,
αὗται δὲ συντείνουσιν εἰς βάσιν μίαν.
ἕκτον δ', ὅπερ καὶ πρόσθεν εἶφ', ὁ βόστρυχος.

prudenter eam homini tribuit, literarum cognitionis omnino experti (Athen. l. l. *ἄγροικόν τινα ἀγράμματον παράγει καὶ τοῦτον τὸ τοῦ Θησέως ὄνομα διασημαίνοντα*), ut haec ratio ingeniosum illum lusum quodammodo excusaret. Quam caussam vix habuit, cum diem ac noctem sorores geminas dixit, quarum altera gigneret alteram, parturiens vero ex parta rursus nasceretur. Athen. l. l. p. 451: *κἂν τῷ Οἰδίποδι δὲ τῇ τραγῳδίᾳ τὴν νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν εἴρηκεν αἰνιττόμενος·*

εἰσὶ κασίγνηται διτταί, ὧν ἡ μία τίκτει
τὴν ἑτέραν, αὐτὴ δὲ τεκοῦσ' ὑπὸ τῆσδε τεκνοῦται.

Cum auditor Isocratis esset idemque oratoriis ipse virtutibus excelleret, ornatum, quem superiores poëtae ex usu forensi in fabulas receperant, adeo auxit, ut judiciales caussas, ut defensiones, utque judicia in scena effingeret. Qua quidem de re Gravenhorstius in Commentat. de causs. corrupt. post bellum Pelopon. art. trag. p. 8 etc. non indocte disseruit. Quemadmodum ex sermonibus Bellerophontis, Stob. Serm. 53, supra laudatis de justa actione cognoscimus, quam Stheneboea ei intendit, de orationibus tam accusatoriis, quam defensoriis deque judicio rite instituto. Nam voces quidem *ἀγῶνα* et *κρίσιν*, ut in re forensi vulgatas, Demosth. de coron. p. 228, 27 et Isocrates Panath. c. 24. p. 245 usurpant [1]). Similiter Orestes duobus argumentis utitur, quo crimen matricidii levatum a se amoveat, primum uxorem, quae manum intulerit marito, supplicio dandam, tum ultionem patris docens in filii esse officiis, versute tertium praetermittens, quod est in ea re gravis-

1) Unde locutio *ἀγὼν λόγων* apud Euripidem frequentissima est. Valcken. Diatr. p. 220, b.

simum, cum quidem non possit affirmare. Aristot. Rhet. II, 24: ἢ τὸ ἐν τῷ Ὀρέστῃ τῷ Θεοδέκτου· ἐκ διαιρέσεως γάρ ἐστιν. δίκαιόν ἐστιν, ἥτις ἂν κτείνῃ πόσιν, ἀποθνήσκειν ταύτην, καὶ τῷ πατρί γε τιμωρεῖν τὸν υἱόν· οὐκοῦν καὶ ταῦτα πέπρακται· συντεθέντα γὰρ ἴσως οὐκέτι δίκαιον κ. τ. λ. Ejusdem generis oratio fuit, qua Ulysses suo jure Atridas de armis judicasse demonstravit. Aristot. l. l. 23. Idem Danaum ac Lynceum pro Argivis judicibus caussas agentes induxit. Aristot. Poët. l. l. Et ille inopinato victus et capitis damnatus et ad supplicium ductus est. In quo subitam rei conversionem animadvertamus oportet, quam Agathonis sententia instituit eo consilio, quo magis admirationem cum misericordia junctam in animis spectatorum moveret. Pari modo Alcmaeo multa habuit, ad judiciorum adducta similitudinem. Aristot. Rhet. l. l. Dionys. Ep. I, 12. Euseb. Praep. Evang. X, 3. Itaque fabulas Theodectis, nobilissimi rhetoris, quoniam oratoriis locis abundabant, ab Aristotele saepius laudatas videmus.

Hanc vero fabularum rationem qui satis perspexit, iis non tam poëtae, quam oratoris numerum ac modum tribuet. Ac praeter fragmenta, in quibus ornatum Euripidis consectatur, neque colorata est ejus oratio, nec pressa, aut grandis, quemadmodum tragoedia postulat. Est quidem, ubi paullo altius assurgat, ut Stob. Eclog. Ph. I, 11, Strabo l. l.; sed ne his quidem locis figurae, cum artificiose videantur conquisitae, ad imagines rerum in animum inducendas, aut vim orationis augendam faciunt.

Metris ac numeris usus est paullo liberioribus, quales post Ol. 89. admiserunt. Nam in tanta reliquiarum paucitate octo tribrachos invenimus, quorum duo non alio genere sejuncti se excipient. Sunt vero hi:

ὀργῆς χαλινὸν παρακελεύομαι δέ σοι.
πέμπται δ' ἄνωθεν ἰσόμετροι ῥάβδοι δύο.
ὅταν γὰρ ἄλοχον εἰς δόμους ἄγῃ πόσις.
πολλοὶ διὰ φόβον, κοὐ δι' εὐσεβῆ τρόπον.
. . . ἀλλὰ διαλαβόντα χρὴ σκοπεῖν.
τὴν μὲν θανεῖν ἔκρινας, ἐμὲ δὲ μὴ κτανεῖν.
τούτους δὲ πλάγιος διὰ μέσου συνδεῖ κανών.

Dactylus primum trimetri pedem efficit ap. Arist. Rhet. II, 23:

μητέρα δὲ τὴν σὴν οὔτις ἐστύγει βροτῶν.

et Stob. Serm. 53:

῞Ηλιε, ποθεινὸν πᾶσιν ἀνθρώποις σέλας.

Item in tertio inest ap. Athen. X. p. 454 E:

ἔπειτα διασσοὶ κανόνες ἰσόμετροι πάνυ.

qui versus insolentiorem habet artis licentiam, quod anapaestum statim insequitur tribrachus. Simile dactyli specimen Athenaeus ibid. servavit:

ἔπειτα τριόδους πλάγιος ὡς ἐφαίνετο.

Et anapaestus est primus trimetri pes apud Stob. 187:

παραπλήσιον πρᾶγμ' ἐστὶ γῆρας καὶ γάμος.

et apud eund. Ecl. Ph. I, 3, 1:

ἀπὸ τῶν θεῶν ἀρχήν γε ποιεῖσθαι πρέπον.

alter Sermon. 187:

ὅταν δὲ τύχωμεν, ὕστερον λυπούμεθα.

quartus Athen. X. p. 454 E:

γραφῆς ὁ πρῶτος ἦν μαλακόφθαλμος κύκλος.

et Stob. l. l.

τυχεῖν γὰρ αὐτῶν ἀμφοτέρων σπουδάζομεν.

Quanquam in Athenaei versu fortasse μεσόμφαλος legi debet, quod commendavit Valckenarius ad Eurip. Phoeniss. 688. Et duo versus, post tertium pedem incisi, duas in partes distrahi videntur:

ἀπὸ τῶν θεῶν ἀρχήν γε ποιεῖσθαι πρέπον.

ὅπου κατηγορεῖ μὲν ἐν λόγοισι μου.

DE

ACHAEO, AGATHONE, IONE.

ACHAEUS.

Achaeus Pythodori, aut Pythodoridis filius, ut ex Suida s. v. Ἀχαιὸς Πυθοδώρου ἢ Πυθοδωρίδος et Eudoc. p. 69 cognoscimus. Itaque Vossius de Poët. Gr. p. 27 falso Pythoris scripsit. Patriam habuit Eretriam; unde plurimis est locis veterum scriptorum Ἐρετριεὺς vocatus. Suid. l. l. s. v. ἐλελεῦ. Eudoc. l. l. Athen. X. p. 414 C. 451 C. IX. p. 376 A. XI. p. 480 F. Schol. ad Aristoph. Av. 363, Eustath. ad Hom. Il. p. 325, 1828. In aetate hujus definienda cum Suida plerique faciunt, qui eum et Ol. 74 natum (γέγονε κατὰ τὴν οδ' ὀλυμπιάδα) et Sophocle paullo juniorem fuisse tradit. ἦν δὲ νεώτερος Σοφοκλέους ὀλίγῳ τινι. Sax. Onomast. I. p. 34. Voss. l. l. Ulrichsius Achaei Eretriensis quae supersunt. p. 2. Deinde apud Suidam leguntur nonnulla, quae partim mendosa sunt, partim perobscura ac difficilia. Addit enim: ἐπεδείκνυτο δὲ κοινῇ σὺν Εὐριπίδῃ ἀπὸ τῆς πγ' ὀλυμπιάδος. Sic habet exemplar Aldinum, quocum alii libri conspirant. Sed antiquior certe scriptura, quam codices praebent: ἐπεδείκνυντο δὲ κοινῇ σὺν καὶ Εὐριπίδῃ ἀπὸ τῆς πγ' ὀλυμπιάδος, etsi vitiis depravata videtur. In qua quid Suidas plurali verbi numero ἐπεδείκνυντο utitur, cum de solo dixerit Achaeo pluresque poëtas subito intelligit, qui contenderint una cum Euripide? Quam inversus ordo vocabulorum σὺν καί! Unde corruptio loci aperta est, quam tentarunt interpretes, modo nomen poëtae reficientes, quod a Suida memoratum excidisse putabant, modo ἐπεδείκνυντο in ἐπεδείκνυτο mutantes. Atque hoc, ut de ceteris corrigendi artibus taceam, post Aldum commendavit Casaubonus de Sat. Poës. p. 136, dein plures, ut Ulrichsius p. 1, Welckerus Trag. Gr. T. II. p. 441. Verum enim longe magis placet sententia Gaisfordii, Suidam de Sophocle atque Achaeo cogitasse, ut significetur contentio eorum, qui ejusdem aetatis fuerint, iisque, velut tertius

aemulus, Euripides addatur. Emendamus vero, quo reliqua tollatur difficultas: *ἐπεδείκνυντο δὲ κοινῇ καὶ σὺν Εὐριπίδῃ*, h. e. Sophocles et Achaeus et inter se et una cum Euripide contendentes fabulas ediderunt. Itaque hi tres olympiade illa, quam Suidas declarat, certamen fabularum obiisse videntur. Et quoniam duo Athenienses, multo ante aemulantes, docere tragoedias coeperant, nec facile ullo anno decesserunt a scena, ex Suidae loco colligam, Achaeum ante hoc tempus expertum non esse, quid posset in scena efficere. Primam igitur fabulam Ol. 83 docuit, cum triginta sex annos habuit, adversus Euripidem et Sophoclem pugnans. In quo Ulrichsius p. 2 nobis assentitur. Sed notemus ejus errorem, quod, lexicographo nonnisi olympiadem significante, adjecit ipse numerum anni, quem vereor ut in veteri monumento invenerit. Item Vossius inepte poëtam refert ad eum aetatis annum usque floruisse, tanquam summam nominis gloriam vel infans, vel puer, vel etiam adolescens sibi comparare, nec adversus nobilissimos idem principes eam obtinere potuerit. Ait enim, Suidam interpretatus: „*Olympiade LXXIV usque ad Ol. LXXXIV claruit Achaeus.*" Cum in comici Ranis memorentur homines, qui tragicam poësin sustineant, post obitum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis jacentem, Achaei nomen praetermissum est. Quocirca Achaeus tum aut obiisse videtur, aut scenam Atheniensium reliquisse, ut bene Ulrichsius animadvertit. Sed in magna sententiarum varietate ac dissensione fuerunt, qui de fabulis hujus memoriae prodiderunt, quorum alii quadraginta quatuor, alii triginta, alii denique viginti quatuor ei tribuerunt. Suidas: *καὶ δράματα ἐδίδαξε μδ΄, οἱ δὲ τριάκοντα ἱστορήκασιν, ἄλλοι κδ΄.* Hic autem numerus, quem ultimo posuit loco, ferendus non est, quod septem fabulas satyricas, quarum nomina nobis relicta sunt, non potuit veterum more docere, nisi cum una et viginti tragoediis conjunctas. Nec triginta dedit, si quaternas singulis diebus proponere consueverat. Praestat igitur primum signum probare, ex quo quadraginta quatuor scripsit. Unde est natum fortasse, quod Eudocia habet: *ἐδίδαξε δράματα ξδ΄.* Haec enim copia major est, quam quae cum annorum conciliari possit multitudine, per quos coluit hoc genus.

Aristophanes nec vitia Achaei carpit, nec laudes effert; nam versum ejus in Ranas 114 ita includit, ut, quid ipse de

poëta existimaverit, nequaquam appareat. Sed caussa hujus silentii nimia neque admiratio, neque contemptio fuit. Nam quis illi, tam multa in Sophoclis poësi reprehendenti, tragoedias Achaei omni ex parte placuisse dixerit? Aut quis contra hunc toto poëtarum grege, quos comicus nonnunquam deridet, multo praestabiliorem memorabilioremque fuisse neget? Facilius caussam in eo positam arbitror, quod exiguo gavisus est populi favore. Quod etsi non plane silentium comici nobis demonstrat, tamen ea de caussa persuademur, quia multis fabulis vix unam victoriam assecutus est. Offecit autem ejus nomini magis peregrinum genus, quam mediocris ingenii artisque indoles, qua hic inprimis excelluit. Nam Ionem Chium, cum sine controversia nobilissimus esset poëta, ab Aristophane non carptum, sed neglectum esse animadvertimus; idemque in Aristarchum Tegeaten cadit, multis illum et eximiis laudibus insignem. Quocirca aliter in comicis poëtis, aliter in tragicis accidit. Nam illos, cum alia ex gente essent oriundi, Athenienses cupide in honoribus habuerunt maximisque deliciis, ut Eupolis queritur, Meinek. Hist. Crit. p. 111. Fragment. Com. Gr. T. I. p. 546; hi vero seu urbanitatis, seu educationis, quae tum Athenis florebat, seu linguae puritatis expertes, quae quidem in tragoedia plurimi habebatur, ne summa quidem virium contentione, quamvis et ingenio et diuturno assiduoque artis studio conspicui, gratiam populi parare sibi partamque diu servare poterant [1]. At Menedemus, Eretriensis philosophus, ita judicavit, ut inter scriptores satyricarum fabularum, si Aeschylus exciperetur, Achaeo primas deferret, Diogen. L. II, 18, 11: *προσεῖχεν .... καὶ δὴ καὶ Ἀχαιῷ, ὥπερ δευτερεῖον ἐν τοῖς Σατύροις, Αἰσχύλῳ δὲ τὸ πρωτεῖον ἀπεδίδου.* Hesych. Miles. p. 38 ed. Orell. Jam Menedemus, de cujus doctrina dissensio fuit, fortasse virtutes civis amore auxit, idque hoc est verisimilius, quod antiquitus ea de re diversum erat judicium. Pausan. II, 13. Attamen laudes in Achaei operibus dispicimus, quas, quod liceat judicare, philosophus jure plurimi duxit. Quare critici Alexandriae praeter Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Ionem nullum ex tragicis digniorem Achaeo habuerunt, quem in canonem referrent. Ruhnken. Hist. Crit. p. 368. Itaque

---

1) Vide Cic. Orat. c. 8.

Didymus fabulas hujus commentario ornavit. Athen. XV. p. 689 B. Stoecker. De Sophocl. et Aristoph. Interpret. p. 10. Sed mox nomen Achaei obscuratum est. Nam in gravissimo versantur errore, qui Aethonem fabulam hujus a Caecilio Statio Latine versam Romanisque in scena propositam esse volunt, cum nomen Aethinne [1]) ap. Fest. s. v. Numero corruptum in Aethrione mutari debeat, quamvis Ionsio Script. H. Ph. I, 17, 2 et Reinesio Var. Lect. p. 681 secus videatur. Sed quoniam nunc de vitiis agitur, commemoremus denique, Achaeum ab Hub. Golfio Hist. Poët. Sicul. p. 88 et Saxio Onomast. I, 24 in comicis esse numeratum. Quod quare sibi persuaserint, minime liquet.

Nunc ratio hujus scriptionis postulat, ut nomina et fragmenta fabularum cuncta deinceps afferamus, disputationem de argumentis, quae iis subjecta fuerunt, aliis relinquentes, quemadmodum supra statuimus. In quo singula hoc celerius decurrentur, quo majore doctrinae copia, quoque industrius et Welckerus Gr. Trag. momenta quaestionis excussit et Ulrichsius singula secum perpendit. Inter tragoedias primo Adrastum nominemus, quem Harpocratio s. v. ἀργᾶς laudat. Eodem explicatio Hesychii s. v. Ἀργῆν ἔπεφνεν spectat, ut ex Harpocratione suspicamur, quanquam dicto nec poëtae nomen, nec fabulae additum est. Ex Azanibus fragmentum Scholiast. ad Eurip. Orest. 373 habet. Ἆθλα, vel Ἄθλους multis locis Athenaeus memorat, ut X. p. 418 A, 414 C. D. XV. p. 689 B. Cum ordinem ac rationem Ulrichsii sequamur, non dubitavimus hanc fabulam inter tragoedias referre, etsi non illam reliquiarum indolem ignoramus, ex qua non solum Friebelius Satyrogr. p. 57, sed etiam Welckerus p. 961 eam satyris accensere maluerunt. Alphesiboeae locum Hesychius s. v. ἔναστρος habet. Cf. Bentlej. Opusc. p. 517. Idem s. v. Σαρωνία Theseum memorat. Et unum fragmentum Cycni Hephaestio de Metr. I, 3. p. 18 citat. Alteri vero ap. Athenaeum VI. p. 270 E. nomen Κύκλον adscriptum est, quod, cum Grotius Exc. p. 441, 962 in Κύκλωπα mutasset, Turnebus ita refecit, ut, una litera correcta, Κύκνον, idque ce-

---

1) [vel potius *Aethione*, ut hab. cod. Festi ap. Müller. p. 170. v. 13. A. L.]

teris approbantibus, scriberet. Vide Meurs. ad Hesych. Miles. p. 163 (ed. Orell.), Voss. de Poet. Gr. p. 28, Casaubon. de Sat. Gr. Poës. I, 5; Ulrichs. p. 31. Ab Athenaeo eosdem versus Eustath. p. 1818 habet. Oedipum fecit, ex quo nonnullas locutiones affert Hesychius s. vv. ἀκάθαρτον, ἐκλωτίζεται. Idem mentionem Pirithoi s. v. ἀμφερκῆ facit. Luculentam Philoctetae fragmentum ap. Suidam s. v. ἐλελεῦ exstat, a Grotio Exc. l. l. et Toupio Opusc. Crit. T. I. p. 105 emendatum. Phrixum Hesychius s. v. Πελεός laudat. Nunc ad satyricas fabulas pervenimus. In his Aetho fuit. Athen. VI. p. 270 C. Quem locum cum profert Eustathius, sequitur Athenaeum, ut facere solet. p. 1596. Cetera fragmenta ap. Athen. IX. p. 368 A. p. 376 A. B. X. p. 427 C. XI. p. 690 B. occurrunt. Alcmaeo Athen. IV. p. 173 D. Cf. Toup. l. l. T. II. p. 50. In altero loco ejusdem scriptoris XI. p. 480 E. nomen poëtae, quod in editione Basileensi Ἀρχαῖος scribitur, cum Casaubono de Sat. p. 137, Rambachio (Not. ad Casaubon.), Ulrichsio p. 53 aliisque reficimus. Ex Hephaesto versus Athen. XIV. p. 641 D. servavit. Plures mentionem Iridis injecerunt, ut Athen. X. p. 451 C. D., in cujus loco alia Toupius l. l. p. 29 correxit, alia Casaubonus p. 138, ut Jul. Poll. X, 157 (cf. Casaubon. p. 139), ut Suid. s. v. βοῦς ἕβδομος, utque Hesych. s. v. ἐκολλόπωσε. Lini fragmentum ap. Athen. XV. p. 668 A. invenimus, a Toupio l. l. p. 45 tentatum. Moeras praeter Athenaeum VII. p. 277 B. laudat Hesychius s. v. Νυμφόβας. In cujus libris nonnulla menda Casaubonus p. 140 et Toupius p. 82 sustulerunt. Est vero anceps ac dubia Momi memoria, quem Scholiasta Venetus comici semel atque iterum Achaeo assignat. Nam versum, quem is ad Aristoph. Pac. 353 Ἀχαιοῦ ἐκ Μώμου esse affirmat, Choeroboscus ap. Bekker. Anecd. Gr. T. III. p. 1364 scribit ex cognomini Sophoclis fabula ductum: τὸ σὺν δόρει καὶ σὺν ἀσπίδι, ὅπερ Ἀριστοφάνης παρεμφαίνει ἐν Εἰρήνῃ, ἐν Μώμῳ Σοφοκλέους προκείμενον, ὡς ἀπὸ τοῦ δόρος ἐστίν. Fuit autem fabula Sophoclis Μῶμος vocata. Et fieri potuit, ut Aristophanes versum ejus in Pace respiceret, quem Achaeo Scholiasta tribuit. Sed cur Scholiasta in errorem incurrit, si fidem Choerobosco habendam putamus? Scilicet nomen Achaei a Sophoclis adeo differt, ut hi duo inter

sese non facile potuerint confundi. Verum Achaeus quoque Momum scripsit, eodem Scholiasta ad Vesp. 1076: *τὸ τοῦ Ἀχαιοῦ ἀπὸ Μώμου δράματος* testante. Quanquam id negat omnino Hermannus ad Eurip. Cycl. v. 39. Jam ita fortasse auctoritatem Scholiastae aliquis cum Choerobosco conciliarit, ut Achaeum hunc versum a Sophocle habuisse censeat, id quod ne summi quidem poëtae devitasse videntur. Ultimo loco Omphalam nominemus. Ex qua versum Athenaeus VI. p. 267 D. laudat. Alterum fragmentum ap. eund. XI. p. 466 E. F. Casaubonus p. 139, Toupius l. l. p. 99, Dawesius Miscell. Crit. p. 123 correxerunt. Tertius est locus, quem Diogenes L. II, 17, 133 habet. Addimus denique nomen Apollinis, ab Hesychio s. v. *Φαναῖος Ἀπόλλων* servatum. Praeterea fragmenta hujus sine nomine fabularum, in quibus fuerunt, ap. Eustath. ad Il. p. 753 C, Aelian. Hist. Anim. VII, 47, Schol. ad Aristoph. Ran. 184, Athen. II. p. 63 B. I. p. 31 A. Schol. ad Arat. Phaenom. 171, Hesych. s. vv. *ἁλίβαπτον, δίχολον, κύτταροι, νυμφόβας, οἴνη, ἀμηνίτως, νίρνος, πανόπτης*, Phot. s. v. *Ταραντῖνοι βαφαί*, Artemid. Oneirocrit. II, 25, Bekk. Anecd. T. I. p. 362 exstant.

Achaeus igitur, quamvis in fabularum delectu nobilissimos poëtas secutus argumenta potissimum tractaverit, in quibus illi, quod populo placebat, et invenissent et suis feliciter artibus dudum exornassent, tamen, quo suam poësis rationem servaret nimiumque imitationis studium evitaret, et omnem compositionem immutavit et fabulas non semel ad res publicas accommodasse videtur, quales vel tum erant, vel paullo ante acciderant. Tum tragici materiem ex cyclicis poëtis maxime repetere coeperant. Quos quidem Achaeus in Adrasto, Alphesiboea, Azanibus, Cycno, Oedipo, Pirithoo, Philocteta ob oculos habuit. Placere debebant, quae ad antiquitates Atheniensium celebrandas spectabant. Quare Theseum scripsit. In narratiunculis de Athamante deque Argonautis, quae tum plurimi ducebantur, res Phrixi locum habebant. Tres coryphaei Oedipum fecerunt. Argumentum Cycni Aeschylus et Sophocles exornarunt. Ut Achaeus Adrastum scripsit, ita cognominis tragoedia et Aeschyli et Euripidis fuit; Alcmaeonem, Theseum, Phrixum Sophocles et Euripides reliquerunt. Verumtamen hic primus et Pirithoum et Azanes docuit, in quibus neminem

vestigiis consequi poterat. Jam alibi fabulis aliter inscriptis aliam compositionem fuisse vidimus, quanquam argumentum habuerunt commune. Etsi enim una eademque fabula variis est identidem vocata nominibus, haec tamen diversitas a grammaticis ducenda, nec ipsis poëtis deberi videtur, cum illi dubitarent, cuinam personarum primas esse datas arbitrarentur. Welcker. Trilog. p. 340. Hinc Adrastum Achaei longe alias partes egisse sequitur, quam quas sustinet in Supplicibus Euripidis, si modo utraque tragoedia versata est in explicatione ejusdem materiae. Pari modo Alphesiboea a compositione Alcmaeonis nonnihil recessit. Addimus Theseum, illo rerum discrimine afflictum, quo Sophocles Phaedram, Euripides vero Hippolytum jacentem induxerunt. Quemadmodum Euripides, cum Supplices scriberet, rationem foederis habuit, inter Argivos et Athenienses Ol. 89, 4 facti, ut antiquissima ejus societatis indicia ostenderet populo, sic Achaeus in Adrasto eandem rem levissime attingere potuit. Pari modo obscuriorem Arcadum fabulam fortasse delegit, cum Athenienses cum nonnullis Arcadiae civitatibus Ol. 90 societatem iniissent. Haec Ulrichsius bene conjecit. Nihilominus Oedipum Regem eo tempore agere potuit, quo Athenienses Ol. 87, 3 gravi peste correpti erant. Nam ut scenica vel similis, vel ejusdem mali repraesentatio aliquod solatium afferret animis necesse fuit; ita Periclem fortasse agitavit hoc nomine, velut unicum miseriarum auctorem. Est enim certum atque illustre odii argumentum, quo hunc virum egregium insectatus videtur, in Omphalae, quam fecit, materie. De qua hoc e fabulis, post Homerum et Hesiodum natis, cognoscimus, quae de magnifica viri imagine plurimum detrahebant. Athen. XII. p. 513 E. F. Ajunt Herculem, ut in gratiam Omphalae veniret, quam vehementius amare coeperat, cum omni officiorum genere mulieri obsecutum, tum ne illud quidem detrectasse, quominus, cum illa leonis pelle induta manibus bacillum gereret, ipse crocota vestitus (*κροκωτοφόρος*, sive *ἐν κροκωτῷ καὶ πορφυρίδι*), aut verbera dominae exciperet, aut pensum carperet studiose, aut etiam capillos ancillis more mulierum ornandos committeret. Praeterea summae se dedit desidiae brevique patrimonium abligurivit. Lucian. de Conscrib. Hist. 10: *ἑωρακέναι γάρ πού σε εἰκὸς γεγραμμένον (τὸν ἐν Λυδίᾳ Ἡρακλέα), τῇ Ὀμ-*

φάλῃ δουλεύοντα, πάνυ ἀλλόκοτον σκευὴν ἐσκευασμένον, ἐκείνην μὲν, τὸν λέοντα αὐτοῦ περιβεβλημένην καὶ τὸ ξύλον ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσαν, ὡς Ἡρακλέα δῆθεν οὖσαν, αὐτὸν δὲ, ἐν κροκωτῷ καὶ πορφυρίδι, ἔρια ξαίνοντα καὶ παιόμενον ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης τῷ σανδάλῳ. Plutarch. ap. Toup. l. l. p. 98: ἢ καθάπερ ἔνιοι τὸν Ἡρακλέα παίζοντες οὐκ εὖ γράφουσιν ἐν Ὀμφάλης κροκωτοφόρον, ἐνδιδόντα Λυδαῖς θεραπαινίσι ῥιπίζειν καὶ παραπλέκειν ἑαυτόν. Quam quidem materiem, a poëtis haud dubie suppeditatam pictoribus, si vere tractavit Achaeus, Bentlej. Opusc. 499, Toup. l. l. p. 96, exemplo sententiam eorum comprobavit, qui ne fortissimum quidem hominem et honoris cupidissimum amori adeo obnoxium non esse, censerent, quin is, simul atque haec cupiditas inflammasset animum, virtutem aspernatus et desidia et turpi libidinum genere splendorem vitae maculare dubitaret. Quod etsi convenit in plurimos eorum, qui aetati hujus adjuncti erant, tamen inprimis Periclem tangeret necesse fuit, qui effeminatam mollitiem effrenatamque sequebatur libidinum cupidinem. Scilicet Herculem nemo aut vi superaverat, aut gloria virtutis, omnesque victi dicebantur, qui cum eo essent congressi. Pericles vero cum civitati Atheniensium praeesset, qui Graeciam sibi omnem subjecerant, longe princeps illius civitatis fuit [1]), ut rem totius Graeciae solus temperaret eosque facillime devinceret, qui paullisper ipsi resistere conabantur. Nam Cimonem, Leocratem, Myronidem, Thucydidem brevi oppressit. Itaque hunc, ut summam ejus potentiam significarent, modo Olympium, modo Herculem vocarunt. Sed alia quoque comparationis ratio fuit. Nam Aspasiam, meretricem famosam, mirum in modum fertur dilexisse. Bis enim quotidie domum ejus frequentavit et, cum esset impietatis accusata, adeo se lamentis muliebriter lacrimisque dedit, perinde ac si in summo omnium bonorum vitaeque discrimine versaretur. Athen. XII. p. 533 C. Et quemadmodum Hercules mulieris amore paterna bona profudit, sic Pericles, legitima uxore repudiata, Aspasiae gratia immensos sumptus fecit divitiasque consumpsit. Vide

1) Cic. de Rep. I, 16: „Pericles ille et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae." Id. de Off. II, 17: „Phalereus Demetrius Periclem, principem Graeciae, vituperat." [Cf. Roscher, Klio. Vol. I.]

Heraclid. Pontic. ap. Athen. l. l. Postremo meretrix in publicis rebus gerendis tantam vim in Periclem habuit, ut hic, morem illi gerens, bellum Peloponnesiacum inchoasse diceretur [1]. Itaque Pericles, ut ille heros amicae cuncta fortitudinis insignia dederat, quae ipsius propria erant, id ipsum, quod vel unicum, vel praecipuum ejus decus fuit, hoc est, procurationem civitatis gravissimis in rebus concessit mulierculae. Placet igitur inventum comicorum, qui, cum similitudinem principis cum Jove, vel Hercule animadvertissent, Aspasiam modo Junonem, modo Dejaniram, modo Omphalam dixerunt. Plutarch. Pericl. c. 24: *ἐν δὲ ταῖς κωμῳδίαις Ὀμφάλη τε νέα καὶ Δηϊάνειρα καὶ πάλιν Ἥρα.* Schol. ad Platon. Menexen. p. 391: *Περικλέα δημηγορεῖν παρεσκεύασεν, ὡς Αἰσχίνης ὁ Σωκρατικὸς ἐν διαλόγῳ Καλλίᾳ καὶ Πλάτων ὁμοίως Πεδηταῖς, Κρατῖνος δὲ Ὀμφάλην τύραννον αὐτὴν καλεῖ, χείρων Εὔπολις Φίλοις· ἐν δὲ Προσπαλτίοις Ἑλένην αὐτὴν καλεῖ· ὁ δὲ Κρατῖνος καὶ Ἥραν ἴσως, ὅτι καὶ Περικλῆς Ὀλύμπιος προσηγορεύετο.* Cf. Meinek. Fragm. Comoed. Gr. T. I. p. 148. Sed nos mendum, quod libri habent, ita tollamus: *Κρατῖνος δὲ Ὀμφάλην τύραννον αὐτὴν καλεῖ Χείρωσιν, Εὔπολις Φίλοις* [2]. Quocirca consuetudinem Periclis cum meretrice hac fabula Achaeus haud dubie explosit.

Sed quid fuit, quod Odofr. Müllerus, Hist. L. G. T. II. p. 182., Achaeum ex secretis fabulis multa petivisse contenderit, quae aliena essent communi vulgarique poëtarum usu? Spectavit, ni prorsus fallimur, obscura nomina, quibus fabulas vocavit, quae nec ceteris placuerunt tragicis, neque ita delecta sunt, ut ipsa quodammodo argumenta satis declarasse videan-

---

1) Athen. XIII. p. 569: *Καὶ Ἀσπασία δὲ ἡ Σωκρατικὴ ἐνεπορεύετο πλήθη καλῶν γυναικῶν καὶ ἐπλήθυνεν ἀπὸ τῶν ταύτης ἑταιρίδων ἡ Ἑλλάς, ὡς καὶ ὁ χαριεὶς Ἀριστοφάνης παρασημαίνεται, λέγων τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον, ὅτι Περικλῆς διὰ τὸν Ἀσπασίας ἔρωτα καὶ τὰς ἁρπασθείσας ἀπ᾽ αὐτῆς θεραπαίνας ὑπὸ Μεγαρέων ἀνεῤῥίπισεν.* Aristophanes rem lepidissime exponit Acharn. 524 etc. Idem, velut verum ac certum, Clearchus in primo de rebus amatoriis libro narraverat. Ibid. p. 589 E. Unde meretrix etiam altera Helena vocata est.

2) Idem poëta eadem fabula Periclem, qui uxoris loco habuit Aspasiam, tyrannum dixit. Plutarch. Pericl. 3. Tyranni indolem Omphalae quoque veteres tribuebant. Athen. XII. p. 515.

tur. Unde enim Azanes appellati sunt? Quale nomen Athlorum fuit? Quod Aethonis argumentum? Nec res in Haephaesto expositae a poëtis saepius tractatae reperiuntur. Porro quid de Iride, Lino, Moeris judicemus, non admodum liquet. His Phanaeum Apollinem addimus, a promontorio Chii nuncupatum, quem Hermannus Opusc. T. III. p. 289 a scriptore Rhesi solo nominari v. 355 existimat, locum Achaei ap. Hesych. s. v. *Φαναῖος Ἀπόλλων· Ἀχαιὸς Ὀμφάλῃ. παρὰ Χίοις οὕτω λέγεται*, plane praetermittens. Artemin appellavit Saronicam. Hesych. s. v. *Σαρωνία. Σαρωνία Ἄρτεμις· Ἀχαιὸς Θησεῖ ἀπὸ τοῦ ἐν Τροιζῆνι Σαρωνικοῦ κόλπου.* Ejusdem versus, quos Scholiasta Eurip. Orest. 373 habet, ad obscuriorem cultum Jovis Lycei pertinent. Müller. Dor. I. p. 305. Ex quo minus sedulum illud studium cognoscimus, quo imitationis ac similitudinis speciem effugit, quam ostentationem poëtae, reconditis doctrinae ornamentis opera distinguere conati. Sunt igitur alia generis ejusdem, quanquam ex rebus divinis ea non duxit. Commemoravit enim *Πελεόν*, ignobile oppidum, Hesych. s. v., nec nisi ab Homero Il. II. v. 594, 647 appellatum. Vide Wolf. Praelect. in Hom. l. l. [1]). Lapidem Cyprium atque unguentum Aegyptium, velut res pretiosissimas, laudat. Athen. XV. p. 689 B. Praedicat et vinum Biblinum, Athen. I. p. 31 A., et Tarentinos colores. Phot. l. l. Quae quidem exempla rarioris usus vereor ut quis fortuito nobis relicta existimet. His enim finitimum est alterum ornamentorum genus, quae ad splendorem poësis augendum operose congessit. Quemadmodum enim posteriores poëtae otiosa descriptione literarum nominumque inprimis delectati feruntur, quam iis tribuerunt, qui rudes atque illiterati fingerentur; sic Achaeus, Athen. XI. p. 466 E. F., Satyros nomen Dionysi per singulas literas pronuntiantes induxit. Qui ludus est admodum exilis et contra naturam scenicae poësis, quanquam facilius in satyrica potest, quam tragica admitti fabula, nec satyrorum indole feram agrestemque vitam degentium abhorret. Atque haec est caussa, cur ei ignoscamus, quod in Iride adhibuit aenigma. Nihilominus vocabulis lusit, quae

---

1) Homerus quidem urbem *Πτελεόν* dixit; Achaeus vero *Πελεόν*. Quae formae non sunt valde diversae.

vel origine cognata, vel sono erant similia. Ut in versu, quem Demetrius ap. Scholiast. ad Aristoph. Ran. 184 servavit:

χαῖρ', ὦ Χάρων, χαῖρ', ὦ Χάρων, χαῖρ', ὦ Χάρων

eam vim nomini Charonis subjectam haud dubie innuit, ut gaudium significet, inferis ex malorum oblivione ortum. In Moeris, satyrica fabula, Silenum amore Venerio flagrantem fecit, qui, Hesychio s. v. Νυμφόβας teste, exclamavit:

βαβαί, βαβαί· βήσομαι γυναῖκας [1]),

relinquens proprium usum vocis βαβαί, quae admirationem significat. Etymol. Gud. s. v. βάβεξ: βαβαί· ἐπίῤῥημα θαυμαστικόν. Bekker. Anecd. Gr. T. I. p. 178: βαβαί· θαυμαστικὴ φωνή. Sed tam pauca tamque minuta fragmenta restant, ut proprietates poësis, quam coluit Achaeus, accurate cognoscere non possimus. Quodsi vero, quae in paucis reliquiis invenimus, latius patuisse rati, in omnes fabulas nullo modo dubitamus transferre, constanter hic genus dicendi servavit, in quo, cum falso et brevis et concisus videretur, nec cincinnos, neque fucum adspernatus est. Itaque verum, quod Athenaeus X. p. 451 C.: Ἀχαιὸς ὁ Ἐρετριεὺς, γλαφυρὸς ὢν ποιητὴς περὶ τὴν σύνθεσιν, ἔσθ' ὅτε καὶ μελαίνει τὴν φράσιν καὶ πολλὰ αἰνιγματωδῶς ἐκφέρει, ὥσπερ ἐν Ἴριδι σατυρικῇ. Politum enim genus poësis dicit, quod artificiosum fuit. Adhibuit vero locutiones obscuras, quibus speciem brevitatis sibi favoremque eorum compararet, qui obscura verba et graviter ad aures accidentia libenter audire solent. Porro sermones descriptionibus epicorum more distinxit, quae magnum ornatum plurimasque dicendi figuras habent. Cujus artis ut quaedam exempla proponantur, primo locum afferamus ex Athlis, in quo pugiles copiose depingit. Athen. X. p. 414 C. D:

Γυμνοὶ γὰρ ὤθουν φαιδίμους βραχίονας,
ἥβῃ σφριγῶντες ἐμπορεύονται, νέῳ
στίλβοντες ἄνθει καρτερὰς ἐπωμίδας·
ἄδην δ' ἐλαίου στέρνα καὶ ποδῶν κύτος
χρίουσιν, ὡς ἔχοντες οἴκοθεν τρυφήν.

---

1) Quanquam libenter fatemur, ne tragicos quidem, qui tragoediam ad severiorem illam formam revocarunt, omni verborum interpretatione abstinuisse. Vide Aeschyl. Agam. 1535, Euripid. Licymn. ap. Valcken. Diatr. p. 17 D, 62 B.

Ubi ubertas fere, qua imaginem absolvit, nobis taedium excitat. Nam pugiles cum in eo sint, ut subeant contentionem, alacri quodam sensu perfusi, ita vires brachiorum periclitantur, ut celeriter ea moveant et quasi vibrare videantur. Eorundem membra, ut in robustis juvenibus, splendent. In quo significatio ferocis animi et robusti validique corporis nobis jam sufficit. At poëta res singulas evidentius expressit, non quo adderet aliquid novi, sed ut lineas omnes absolveret. Itaque eos similiter incessu prodere ait, quanta virtutum suarum conscientia cupide pugnam exspectent. Nimirum adjicere voluit, species humerorum quam bene cum brachiorum convenisset splendore, quamque ipsi juventutis flore valuissent. Quocirca copulatio locutionum *ἥβῃ σφριγῶντες, — νέῳ ἄνθει*, cum nec multum inter se differant et rem consignent, in tali contentione necessariam, otiosa videtur. Quid est demum, quod *κύτος ποδῶν* dicit. Quare *ὡς ἔχοντες οἴκοθεν τρυφήν* addidit? Item alibi praestantiam cujusdam ornamenti effert, quod is, credo, qui vicerit, praemium sit accepturus. Athen. XV. p. 689 B:

ἰσάργυρόν τ' εἰς χεῖρα Κυπρίου λίθου
δώσουσι κόσμον χριμάτων Αἰγυπτίων.

Primo igitur pretium comparatione declarat; est enim tanti, quanti solet argentum haberi (*ἰσάργυρος* Aeschyl. Agam. 968). Quod ei non satis est. Materiem igitur addit; e lapide Cyprio confectum est. Is vero lapis in pretiosis rebus numerabatur. Sed ne id quidem sufficit. Itaque vas exquisitissimo repletum dicit unguento, cum Aegyptium unguentum, Plin. Nat. Hist. XXXVII, 17, contineat. Quae quanta est, quaeso, verborum, quanta epithetorum copulatio! Postremo denique loco proponamus versus, quibus magnam piscium multitudinem describit. Athen. VII. p. 277 B:

πολὺς γὰρ ὅμιλος ποντίου κύκλου σοβῶν
ἐνάλιος θεωρία,
χραίνοντες οὐραίοισιν εὐδίαν ἁλός [1]).

---

1) Juvat forsitan, similes Ovidii Metam. III, 682 versus attulisse. Is enim ita:

Undique dant saltus multaque adspergine rorant
Emerguntque iterum redeuntque sub aequora rursus

Est igitur ingens eorum turba (πολὺς ὅμιλος). Agmen in undis undique clausum faciunt, qui πόντιος κύκλος dicitur. Petulanter sese ac celeriter movent (σαβοῦντες). Maritimum igitur spectaculum praebent. Et quo omnem rei imaginem cunctis lineis absolvat, tam tranquillitatem maris, quam modum motus commemorat, cum, superficiem aequoris leviter caudis radentes, malaciam undarum perturbare dicantur. Quae etsi veritatem imitantur animumque non male delectant, eam tamen poëtae proprietatem ostendunt, de qua diximus, cum in describendo copiosius, quam per artis liceat naturam, moratus sit easque partes religiosius perfecerit, quam ferre possumus.

Sed inepte Athenaeus VI. p. 270 E:

ἐν κενῇ γὰρ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως
οὐκ ἔστι· πεινῶσιν γὰρ ἡ Κύπρις πικρά.

Ἀχαιός φησιν ἐν Αἴθωνι Σατυρικῷ. παρ' οὗ ὁ σοφὸς Εὐριπίδης λαβὼν ἔφη·

ἐν πλησμονῇ σοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' οὔ.

Qui enim sententias scriptorum, quae aliquam similitudinem habeant, ab uno ad alterum pervenisse opinantur, iis in locis sine dubio errent necesse est, in quibus communitas sensus non ex imitatione, sed ex usu proverbii exstitit, omnium ore versati. Quid autem praecepto unquam fuit vulgatius, quo Venerem docet paupertatem non ferre? Nam ut nostrum loquendi usum praetermittam, in quo multa hujus generis inveniuntur, e Graecis Antiphanem ap. Athen. I. p. 28 F, Euripidem Bacch. 771, Ionem ap. Athen. II. p. 35, Lucianum Amor. 12, e Romanis vero Terentium Eunuch. IV, 5, 6, Ciceronem de Nat. Deor. II, 23, Horatium Carmin. III, 18, 6 laudem. Vide Ruhnken. Dictat. ad Terent. l. l. et Mitscherlich. ad Horat. l. l. Contra falso Ulrichsius censet Achaeum ab Euripide accepisse nonnulla. Nam cum pauca imitationis vestigia, quae iste sibi reperisse videtur, eaque communi ex fonte ducenda sint, quem uterque adhibuit, tum verisimile non est, ut senior poëta juniorem expresserit, qui tanta nominis gloria, quam postea adeptus est, illo tempore nondum excellere coeperat. Sunt vero duae res, quas fabulae Achaei cum

---

Inque chori ludunt speciem lascivaque jactant
Corpora.

Euripidis operibus nequaquam communes habuerunt. Nam si tot sententias, quae ad vitam hominum rerumque cognitionem pertinent, cumulatas habuisset, Stobaeum mirarer, qui ne unum quidem versum ex eo in medium affert. Et ornata omnibusque cincinnis abundans oratio, de qua diximus, illi sermonum subtilitati contraria est, quam a sophistis accepit Euripides.

Eretriensem poëtam, cum raris et exquisitis vocabulis Atticorum linguam augere conaretur, sive is novas invenit voces, sive peregrinas adhibuit, sive usitatis nominibus raram et obscuram vim attribuit, non modo displicere, sed ita quoque reprehendi necesse fuit, ut se non posset insinuare in populi favorem. Primum igitur proponemus specimina, de quibus ambigimus, utrum ab Achaeo novata, an Graecorum omnino propria et in linguam Atticorum admissa fuerint. Pollux X, 34: *ἀκτήρια δὲ τὴν βακτηρίαν.* Ubi nunc plerique *ἀκτηρίδα* legunt. *δίχολοι* pro *διάφοροι* dixit, Hesychio s. v. teste. Sed haec vocis potestas paullo usitatior fuit, quam vulgo videri solet. Nam et Zenobius III, 25: *δίχολοι γνῶμαι: παρὰ τὸ διχῆ ἰδιότροποι, κατὰ μετάληψιν· χόλος γὰρ ἡ ὀργή, ὀργὴ δὲ τρόπος* et alii proverbiorum scriptores, ut Diogenian. IV, 32. Apost. VII, 18, Arsenius 183, eam, velut proverbio notam, interpretati sunt. Vide Lobeck. ad Soph. Aj. 187. Porro Hesychius s. v. *ἐκλωτίζεται, ἐξανθίζεται. Ἀχαιὸς Οἰδίποδι.* Id enim omnes fere interpretes cum Salmasio scripserunt, cum alii *ἐκλωπίζεται* legerent. Qui rarior verbi usus ab Euripidis dictione paullo recedit. Is enim, ut lotum, mirabile herbarum genus apud Homerum pro flore dicitur, Il. XII, 683, sic nuntium Helena 1593:

> *τί μέλλετ', ὦ γῆς Ἑλλάδος λωτίσματα*
> *σφάζειν κ. τ. λ.*

facit loquentem. Unde explicari debet, quod Theseus Supplic. 447 de tyrannide disputans:

> *πῶς οὖν ἔτ' ἂν γένοιτ' ἂν ἰσχυρὰ πόλις,*
> *ὅταν τις, ὡς λειμῶνος ἠρινοῦ στάχυν,*
> *τόλμας ἀφαιρῇ κἀπολωτίζῃ νέους;*

vel chorus Iphigen. Aulid. 780:

> *τίς ἄρα μ' εὐπλοκάμους κόμας,*
> *ἔρυμα δακρυόεν ἀνύσας*
> *πατρίδος ὀλλυμένας, ἀπολωτιεῖ;*

interrogat. Sed hoc verbum est novum, etsi poëta non solum antiquam dicendi formam expressit, sed multa quoque exempla habuit, ad quorum similitudinem illud effingeret. Idem *μάλευρον* pro *ἄλευρον*, Phot. Lex. 180, *νίρνος* pro *φθείρ*, Hesych. s. v., scripsit. Sed alteri vocabulorum generi, cum essent usitata, novam quandam vim subjecit, quae non tam oculis animi conspici, quam mentis acie intelligi potest, ubi paullo accuratius considerantur. Quo quidem illa Hesychii s. v. *ἔναστρος, ὥστε Μαινάς· Ἀχαιὸς Ἀλφεσιβοίᾳ ἀντὶ τοῦ Θυάς* pertinent. Nam hoc nomen, quod res stellatas, vel sideribus expositas significat, Bacchis ea de caussa imposuit, ut furorem in iis oriri indicaret, quae stellis essent obnoxia. Nihilomagis auget claritatem orationis, quod, Hesychio s. v. teste, *ἁλίβαπτον* dixit *πορφυρᾶν ὄρνιν*, Alcmane praeeunte. Vide etiam Etym. Magn. s. v. Nam purpuream avem non praeclaro colore, sed aqua maritima tinctam ob oculos posuit, in qua purpura invenitur. Cf. Eustath. p. 1453. Itaque locum purpurae potius, quam colorem consignavit. Et *αἰόλη* pro *ταχεῖα* usurpavit, Bekker. Anecdot. T. I. p. 361: *αἰόλη ἡ ταχεῖα· οὕτως Ἀχαιός*, primario quidem sensu ac proprio, ut usus Homeri indicat. Porphyr. Quaest. Hom. 3. Buttmann. Lexilog. T. II. p. 73. Sed haec potestas in tragoedia omnique lingua recentiorum Atticorum aut inaudita duraque, aut rarissima fuit, ut unicum hoc Achaei exemplum habeamus. Qui enim locutionem Sophoclis Trachin. 94:

ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα
τίκτει κατευνάζει τε.

et 132:

μένει γὰρ οὔτ' αἰόλα
νὺξ βροτοῖσιν.

de versicolore nocte siderumque varietate capiunt, Bekker. Anecd. l. l. p. 359: *αἰόλη νύξ· ἤτοι μέλαινα, ἢ ποικίλη διὰ ἄστρα*, quae a Critia Pirith. (Fragm. 2 *νὺξ αἰολόχρως*) vocatur, melius aliis explicant, de celeritate noctis cogitantibus. Schol. ad Soph. l. l.: *μέλαινα, ὡς οἱ νεώτεροι, ἢ ποικίλη διὰ τὰ ἄστρα, ἢ ταχεῖα διὰ τὸ νυκτὶ θοῇ παρ' Ὁμήρῳ.* Sed aliis rarioris dictioris speciminibus minus offendimur. Est enim hujusmodi nomen, quod Eustathius p. 753 C, tanquam rarum hoc sensu notavit: *Ἀχαιὸς δὲ σκληρότερον ἔφη τὸ*

χάσκοντα λίμῳ μόσχον, ὡς χελιδόνος·

δέον ὂν εἰπεῖν νεοττὸν ἤγουν ἀλλὰ χελιδονῆ ab Aeliano Nat. Anim. VII, 47 observatum. Cf. Schneider. Lexic. s. v. *ἀμηνίτως* pro *ἀμέμπτος* dixit, Hesych. s. v., *θεωρός* pro *θεατής* usurpavit. Athen. X. p. 418 A. Quibus, ut cetera similia mittamus, unum *συγκοπῆς ἐλήλυμεν ἐλήλυτε* exemplum ex Hephaestione I, 3 adjicimus, quod in comicorum lingua frequentius, quam apud tragicos fuit. Item *ἔσαν* pro *ἦσαν* adhibuit, Artemidor. Oneirocr. II, 25.

Videtur metricam et rhythmicam indolem fabularum ad severiores leges veterum poëtarum non instituisse. Sed quot specimina habemus liberioris usus, ea cuncta in satyricis fabulis occurrunt, quae neque anapaestos omnino, nec solutos pedes adspernatae sunt. Athen. IX. p. 568 A, XI. p. 480 F, VII. p. 277 B, X. p. 418 A.

AGATHO.

Inter tragicos Graecorum poëtas Agatho propter egregiam indolem maximamque in arte excolenda vim praecipuum quendam et, si principes excipimus, primum locum tenuisse videtur. Cujus memoria cum in veterum scriptis multifariam occurrat, eruditi homines multas de eo luculentasque habuerunt quaestiones, quarum, prout alius aliud consilium secutus est, longe diversa est ratio atque utilitas. Quemadmodum enim nonnulli indagarunt, quid in arte poëta effecisset, ut Lil. Gyraldus De poët. dialog. p. 99, Meursius Opp. T. III. p. 1075 B; Vossius De poët. Gr. p. 39 et 50, Fabricius Bibl. Gr. T. II. p. 281, Baylius Lex. s. v., Barthelemius Voyage du jeune Anach. c. 69, Schlegelius Praelect. de Art. Scenic. T. II. p. 13., qui opportuna nobis praesidia comparassent, si res ex fontibus ipsi haurire maluissent, quam jejunam aliorum doctrinam repetere; sic Fr. Aug. Wolfius et Groen van Prinsterer nil aliud egerunt, quam ut effigiem Agathonis, a Platone expressam, aliquatenus adumbrarent. Nam de hoc ille in Praef. ad Platon. Sympos. VII, hic Prosopograph. Platon. p. 166—168 scripsit. Nuper duo Ritschelius De Agathonis Vita, Arte et Relig. Halae 1829 et Martinius De Agathone, poëta tragico, cum omnes Agathonis res illustrandas suscepissent, nil quaestionum praeter vitam in medium attulerunt. Latius disputatio Mülleri Hist. Lit. Gr. T. II. p. 182 et Welckeri Trag. Gr. T. I. p. 981 patet, eaque reliquis omnibus multo copiosior est.

Jam septem Agathones, ut tragicum omittam, in historia Graecorum commemorantur, unus Priami filius, Hom. Il. ω, 249, alter, quem Pindarus in deliciis habuit, Pindar. Frag. 27, tertius civis Pydnaeus, Diodor. XVII, 64, quartus filius Antipatri, Ibid. XIX, 75, quintus ἐλαιοπώλης, Demosth. contr. Aristogit. p. 487, sextus ille, cujus caussam Dinarchus egit, Dionys. Ha-

lic. De Dinarch. Jud. §. 12, septimus scriptor de geographia bene meritus, qui de fluviis scripsit, Stob. Serm. 242, et *περιπλοῦν Πόντου*, Schol. ad Apollon. Rhod. II, 1015, reliquit. Sed tragicum genere Atheniensem fuisse, ut alii contenderunt, sic ego dudum mihi persuaseram, quod Pausaniam Ceramicum a puero amicissimum habuit, nec usquam patria ejus memoratur. Hanc enim eo facilius addidissent scriptores, quo majorem adeptus est gloriam, cum plerique scenicorum poëtarum Athenienses essent idque poësis genus haec urbs, velut proprium decus, tenere videretur. Quod nunc certius e Scholiasta in Lucian. Rhet. 11 intelligi potest, quem nuper Cramerus Anecdot. Gr. IV, 269 edidit: *Ἀγάθων . . . ἦν δὲ Τισαμένου, τοῦ Ἀθηναίου, υἱός.* Aetatem hujus Praxiphanes ap. Marcellin. in Thucydidis Vit. §. 28 declarat: *συνεχρόνισε δ', ὥς φησι Πραξιφάνης, ἐν τῷ περὶ ἱστορίας, Πλάτωνι τῷ κωμικῷ, Ἀγάθωνι τραγικῷ, Νικηράτῳ ἐποποιῷ καὶ Χοιρίλῳ καὶ Μελανιππίδῃ.* Ubi cum Naekio, Poppone aliisque scribimus *Χοιρίλῳ.* Atqui Thucydides ab Ol. 77, 2 usque ad Ol. 97, 2 vixit, Haack. ad Thucydid. Praefat. p. IX; Plato, poëta comicus, inter Ol. 88 et Ol. 97, 3 viguit, Meinek. H. Cr. p. 160; aetas Choerili ab Ol. 77, 1 usque ad Ol. 94, 3 pertinuit, Naek. Choeril. p. 27 et 28; Niceratus autem et Antimachi fuit aequalis et Choerilo paullo postponendus est. Naek. l. l. Sed arctioribus etiam terminis vitam circumscribere licet. Est enim hoc Aeliani, Euripidem aliquando, cum in epulis Archelai, regis Macedonum, cum Agathone discubuisset, osculum illi, quadraginta prope annos nato, dedisse. Var. Hist. XIII, 4: *Ἀρχέλαος ὁ βασιλεὺς ἑστίασιν παρεσκεύασε πολυτελῆ τοῖς ἑταίροις. Προϊόντος δὲ τοῦ πότου, ζωρότερον πιὼν Εὐριπίδης ὑπήχθη πως κατ' ὀλίγον εἰς μέθην, εἶτα συγκλιθέντα αὐτῷ Ἀγάθωνα, τὸν τῆς τραγῳδίας ποιητήν, περιλαβὼν κατεφίλει, τεσσαρακόντα ἐτῶν που γεγονότα. τοῦ δὲ Ἀρχελάου πυθομένου, εἰ καὶ νῦν ἔτι ἐρώμενος αὐτῷ δοκεῖ εἶναι, ἀπεκρίνατο· Ναὶ μὰ Δία, οὐ γὰρ μόνον τὸ ἔαρ τῶν καλῶν κάλλιστον, ἀλλὰ καὶ τὸ μετόπωρον.*

Quae, etsi magnam similitudinem commenticiarum fabularum habent, quales olim complures ferebantur, adeo tamen in omnium ore versata videntur, ut egregiam corporis figuram, quae deflorescere coepisset, non raro iisdem vocabulis effer-

rent, quibus Euripides pulchritudinem aemuli laudaverat. Plutarch. Alcib. 1. Amator. 24. Philostr. Ep. 73. Quaerimus igitur, quando haec evenerint, aut facta ab Aeliano cogitentur. Quotquot de Archelai imperio disputarunt, in summa auctorum varietate ac discrepantia cuncti cum Diodoro Sicul. XIV, 37 faciunt, qui scribit, eum Ol. 95, 1 decessisse. Cf. Scaliger Animadv. in Euseb. p. 108 et p. 129, Casaubon. ad Athen. p. 385, Naek. Choeril. p. 25. Sed Diodorus egregie fallitur, cum regnum septem annorum Archelao tribuat; in quo nec sibi constat, quod Pydnam ab eo jam Ol. 92, 3 expugnatam refert, et aliis tam claris, quam illustribus argumentis refellitur. Probamus igitur, quod Dexippus in Graecis Eusebii ap. Scaliger. p. 57 eum quatuordecim annos regnasse narrat. Quod tempus imperii, a Syncello Chronogr. p. 482 confirmatum, eruditi post Petavium Ration. Temp. p. 160 omnes acceperunt. Itaque Archelaus ab Ol. 91, 3 usque ad Ol. 95, 1 imperium obtinuit. Sed Aristophanes Agathonem atque Euripidem Thesmophoriazusis cavillatus est. Ergo cum comicus eam fabulam dedit, id est Ol. 92, 1, neuter poëtarum reliquerat patriam. Et si orationem Antiphontis, qua capitalem caussam egregrie defendit, suis ipsius auribus, nec fando, aut legendo cognitam habuit; Agatho, Aristot. Eth. Eudem. III, 5, ne altero quidem anno ejusdem olympiadis Athenis profectus est, quo nobilissimus orator supplicio fertur affectus esse. Nec Euripides, antequam Orestem doceret, in Macedoniam perrexit. Schol. ad Eurip. Orest. 361: πρὸ γὰρ Διοκλέους, ἐφ' οὗ τὸν Ὀρέστην ἐδίδαξε. Cf. Id. ibid. 760, 891. Musgrav. Chronogr. Scenic. p. 9 ed. Lips. Quae cum ita sint, Euripides, sive Ol. 93, 2, Boeckh. Corp. Inscr. T. II. p. 342, obiit, sive Ol. 93, 3 decessit. Boeckh. Gr. Tr. Pr. p. 209, illud signum amoris Agathoni Ol. 93, 1, aut Ol. 93, 2 exhibuit. Ex quo cernitur, Agathonem Ol. 83, 1, aut Ol. 83, 2 natum esse. Quae cum meam rationem secutus eruissem, magno mihi gaudio fuit, quod ex Nov. Annal. Jahnii Vol. VI. p. 326. Ritschelium, virum illustrissimum, in Comment. de Agathon. c. 6 mecum ita sentire vidi, ut is primum annum octogesimae tertiae olympiadis non dubitanter significarit. Quod placuit etiam Krügero ad Clinton. Fast. p. XXXIII. Verum secus Martinius judicavit, qui „natales hujus circa mediam olympia-

dem octogesimam primam et Ol. 82 ponit". Qui, partim falsis argumentis deceptus, Agathonem sumpsit convitiis Thesmophoriazusarum vexatum Athenis statim excessisse, partim, illis temporum rationibus perturbatis, quas supra explicavimus, non satis reputavit, quamdiu Euripides, qui epulis cum illo dicitur adfuisse, gravissimis comoediae salibus obrutus, Athenis remansisset. Sed opponat fortasse quispiam, omne quaestionis fundamentum ab Aeliano temere repetitum esse, qui, cum levissimus omnino auctor videatur, aetatem Agathonis neque accurate definierit, nec voluerit unquam describere suis cancellis. Quemadmodum enim hoc agit, ut et quaestionem Archelai et responsum Euripidis explicet, sic particula πού majorem accurationem, quam quae necessaria sit, exspectandam non esse demonstrat. Nihilominus ea, quae computavimus, ad veritatem nobis persuadentur, cum aliis rebus optime possint confirmari. Ut Praxiphanes Aeliano suffragatur. Addimus, quod Euripides apud Aristophanem Thesmoph. 173:

παῦσαι βαΰζων· καὶ γὰρ ἐγὼ τοιοῦτος ἦ,
ὢν τηλικοῦτος, ἡνίκ' ἠρχόμην ποιεῖν.

Agathonem se ait juniorem esse; quem ex nostra ratione triginta fere annis huic praeponimus. Porro iisdem calculis subductis, convenit, cum uno et trigesimo aetatis anno primam fabulam docuisse putatur. Nec potest dubitari, quin puer sedecim annorum, quos eo tempore habuit, in quod sermones Platonici Protagorae incidunt, Stallbaum. Prolegom. in Protagor. p. 17, Ol. 87, 1, indulgere amoribus Pausaniae, aut Prodicum audire potuerit. In quo dialogo eum Socrates *μειράκιόν τι* appellat. Nunc ad aliam quaestionis partem pervenimus, quae in anno mortis indicando versatur. Dionysus igitur, Aristoph. Ran. 83, cum Hercules interrogat, ubinam terrarum Agatho vivat, facete admodum respondet:

ἀπολιπών μ' ἀποίχεται,
ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ ποθεινὸς τοῖς φίλοις.
. . . . *ἐς μακάρων εὐωχίαν.*

Sed haec ab aliis aliter explicantur. Sunt enim, qui de morte Agathonis cogitent; alii vero interpretes intelligunt iter Macedonicum. Utrique veterem Scholiastam sequuntur, qui *ἢ ὡς περὶ τετελευτηκότος λέγει, ὡσανεὶ περὶ τὰς μακάρων νήσους, ἢ ὅτι Ἀρχελάῳ τῷ βασιλεῖ μέχρι τελευτῆς μετὰ ἄλλων πολ-*

λῶν συνῆν ἐν Μακεδονίᾳ· καὶ μακάρων εὐωχίαν ἔφη τὴν ἐν βασιλείοις· τοῦτο δὲ παρ' ὑπονοίαν. Sed plurimi eruditorum hominum censent, tempus mortis, quam Agatho obierit, ex illis colligendum versibus esse, ut Henr. Stephanus Thesaur. Ling. Gr. T. II. p. 1257, Schlegelius Praelect. de Art. Scen. p. 308, Baylius Lex. s. v., Welckerus Trilog. p. 526, Martinius p. 10. Atqui Scholiasta, cum ea, quae ad interpretationem affert, ex ipso loco hausisse nec aliunde cognovisse videatur, vix aliquid nobis persuaserit, praesertim quoniam est dubius animi, utram praestare dicat sententiam. Et lusus comici perquam ambiguus est, ut dubitationem relinquere possit. Quemadmodum enim felices sunt dii iidemque proprie μάκαρες vocari possunt; sic homines in summa rerum abundantia maximisque voluptatibus affluentes et eodem nomine appellare et diis comparare licet. Et Archelaus unus omnium inter veteres gaudebat summae felicitatis nomine, ut interrogatio Poli ap. Platon. Gorg. p. 470. Cic. Tuscul. Quaest. V, 12 indicat. Qui vero decedit, sive is locum, sive vitam relinquit, ἀποίχεσθαι dicitur. H. Stephan. Thesaur. Ling. Gr. p. 1257 [1]. Jam et magnam acerbitatem in eo invenimus, quod ne post mortem quidem poëta non epulis deditus fingitur, et impietatem Aristophanis quandam agnoscimus, qui hunc, velut famosissimum helluonem, epulis deorum accumbentem fecerit, cum optimi quique tantum honorem, ut praemium virtutis, adepti ferantur. Enimvero homini, quamvis effeminato, ubi debitum reddidit naturae, mortem dare opprobrio, tanquam lautiores epulas ac mensas deorum adire voluerit, tantae acerbitatis est, ut non modo a teneris hominum sensibus, sed etiam ab antiquae natura comoediae abhorrere videatur. Accedit locutio ἀπολιπών μ' ἀποίχεται, quae non necessitatem mortis, sed voluntariam profectionem significat. Altera explicatio sententiam recludit, quae acutior et pulchrior et arte Aristophanis longe dignior est. Dionysus enim Agathoni exprobrat, quod sese more perfidorum servorum reliquerit, cum nuper, ut omnes poëtae tragici, sibi serviisset, quod studium poësis omiseserit, quodque epulas petierit, ut et otio et libidinibus indul-

1) Similiter de Thetide, quae maritum reliquit, Adicus Nub. 1068: κᾆτ' ἀπολιποῦσά γ' αὐτὸν ᾤχετο.

gens in artis jacturam emortuus videatur. Atque haec obscure loquendi caussa fuit: Agathonem haud ultra in poësi laborantem eique velut mortuum voluit significare. Quid enim facetius tali modò effingi potuit, cum, quae Hercules de morte capienda censuit, ea spectatores ad hospitium Archelai referrent? Postquam igitur illis, qui ex eo Ranarum loco tempus mortis sibi cognoscere visi sunt, ambiguitatem verborum opposuit Wolfius l. l. p. XXXVII, non solum Ritschelius c. 7 comicum judicavit Agathoni propter desidiam ac luxuriosum vitae genus irridere, sed Welckerus quoque Trag. Gr. p. 982, etsi contrariam is olim sententiam defenderat. Sed est aliud argumentum, quod praeterire non licet. Nam si ante Ol. 93, 3, quemadmodum isti volunt, decessisset, vix quatuor, aut quinque annos apud Archelaum vixisset, ad quem ante mortem Antiphontis nequaquam se contulit. Atqui Apollodorus, Glauconi respondens, colloquium, quod convivium Platonis continet, nuper habitum non esse idque sic asseverans, ut Agathonem multos jam annos abesse, sese vero consuetudine Socratis haud ultra triennium uti moneat, et de vivo absenteque poëta loquitur et hospitium Archelai aperto respicit. Platon. Conviv. p. 172 C: *οὐκ οἶσθ', ὅτι πολλῶν ἐτῶν Ἀγάθων ἐνθάδε οὐκ ἐπιδεδήμηκεν; ἐφ' οὗ δ' ἐγὼ Σωκράτει ξυνδιατρίβω καὶ ἐπιμελὲς πεποίημαι ἑκάστης ἡμέρας εἰδέναι, ὅτι ἂν λέγῃ καὶ πράττῃ, οὐδέπω τρία ἔτη ἐστίν.* Qui nec quatuor, nec quinque annos longum temporis spatium appellare, Platon. Gorg. p. 448 A. Schol. ad h. l.: *πολλῶν ἐτῶν· Ἀττικὸν τὸ σχῆμα· δηλοῖ δὲ τὸ ἐπὶ πολὺν χρόνον,* neque illi triennio opponere potuisset, si Aristophanes morti hujus acerbe illusisset. Quocirca argumentum eorum contemnendum non est, qui in illa contentione, quam principes tragicorum in Ranis apud inferos obeunt, nullas partes Agathoni datas animadvertunt, sed ex eo imbecillitatem corporis fortasse quispiam agnoscit, cum Eryximachus praeprimis Agathonem perconctatur, num vires ex hesterna commessatione satis receperit, quoniam hoc facilius valetudo non ita prospera infringi potuit, quo magis a puero effusis libidinibus sese dedisse fertur. Conviv. p. 176 B. Quam singularem salutis curam urbanus homo ostendit, quod eam communi praesentium hospiti debere videbatur. Et Euripidem audiamus venustatem amici laudantem, idque eo aetatis spatio,

quo in plurimis evanescere solet; quae tam diu non potuisset vigere, si corpus libidinibus debilitatum morbisque confectum habuisset. Nec certius quidquam e postremis Scholiastae verbis effeceris, cum additur: (Ἀγάθων) Ἀρχελάῳ τῷ βασιλεῖ μέχρι τελευτῆς μετὰ ἄλλων πολλῶν συνῆν ἐν Μακεδονίᾳ. Ex quo quominus Agathonem ante regis mortem obiisse censeas, qui Ol. 95, 1 decessit, vel ambigua fides Scholiastae prohibet; propterea quod de morte hujus adeo nihil rescivit, ut animo vacillaret, comicumne ad obitum, an mollitiem poëtae allusisse judicaret. Sed illa duplici modo intelligi possunt. Nam aut fidenter de morte hujus, tanquam re certa, vel explorata, loquitur, alteram explicandi rationem sequens, seu omisit alteram, seu falsam habuit, aut de hospitio Archelai negligenter refert, quae homines in extremo vitae cursu experiantur necesse est, cum Agathonem ex Macedonia rediisse nesciret ibique diem supremum obiisse putaret. Nimirum omnes morimur [1]).

Hic parentes obscuros, sed ditissimos habuit. Nam nisi maximas divitias habuisset, nec familiaritatem juvenum, quibus amicus fuit, contrahere, aut conservare, nec luxuria diffluere, nec disciplinam sophistarum tanto pretio emere potuisset, quantum hi doctores flagitare consueverant. Sed in eo praeter indolem egregiam et praeclaram, de qua mox dicemus, insignis formae dignitas, vel venustas apparebat. Nam Socrates Platonis Protagor. p. 315 D. cum de Agathone incidat sermo: μειράκιον, inquit, ὡς μὲν ἐγῷμαι, καλόν τε κἀγαθὸν τὴν φύσιν, τὴν δ' οὖν ἰδέαν πάνυ καλός. Ubi haud dubie pulchritudinem corporis significat, etsi Dorwillio ad Charit. p. 23 et Heindorfio ad Platon. Hipp. Maj. p. 281 concedendum est, verba καλός τε καὶ ἀγαθός apud Atticos omnino fuisse blandientium. Item Socrates, cum in eo sit, ut se conferat ad Agathonis convivium, de insolito vestium ornatu rogatus, Conviv. p. 174 A: ταῦτα δὴ ἐκαλλωπισάμην, ἵνα καλὸς παρὰ καλὸν ἴω respondet. Nimirum ita ne hospes sordidus parumque urbanus videatur, pulchritudinem corporis hoc veluti fuco habitus pigmentisque vel reficere, vel augere voluit, quod

---

1) Nescio, quare Müllerus H. L. G. T. II. p. 183 credat, Agathonem in Macedonia circa Ol. 94, 4 mortuum esse.

eam sibi denegasset natura, Agathoni vero mirum in modum concessisset. Sed quid de venusta hujus figura multis dicamus, quam omnis antiquitas in eo magnopere effert? Athen. V. p. 185, 211. X. p. 445. XV. p. 751. Plutarch. Symp. III, 1. Quo etiam illud Euripidis dictum pertinet, ex Aeliano supra prolatum. Eximia pulchritudo plurimos amasios adduxit, ut eum a tenera aetate omnibus pellectum illecebris ad libidinosum vitae genus trahere studerent. Quibus nimis est morigeratus. In hoc numero Plato, Pausanias, Euripides habentur. Sed quanquam illius, quem primo loco nominavimus, versiculi exstant, quibus Plato ardentiorem quendam incestumque ei amorem significasse dicatur:

τὴν ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον·
ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Diogen. Laërt. III, 23, 32, Aul. Gell. Noct. Att. XIX, 11 — nam quis sententiam loci Gellio l. l. et Macrobio Saturn. II, 2 vel rectius, vel suavius exponat? — tanta tamen castitas ac verecundia in summo philosopho fuit, ut epigramma potius spurium, quam candorem morum, quem divinus homo semper servavit, veneria cupidine maculatum esse arbitremur. Ac plurima eorum carminum, quae Diogenes Platoni tribuit, ad commenta scholasticorum ableganda sunt. Contra vereor, ut, qui paullo accuratius de amoribus Pausaniae inquisierit, aut infamiam hujus, aut turpitudinem poëtae satis defendere possit. Spectavit enim, ni prorsus fallor, spurcum consuetudinis genus, quod ipse sequebatur, cum exercitum amasiis puerisque delicatis constantem validissimum atque invictum fore contendit, quod verecundia sese relinquere dubitarent. Sed Socrates Xenophontis homines, qui vituperia negligere ac pudicitiam contemnere solerent, negavit unquam mali turpisque facinoris pudere, cum aliquid turpe commisissent. Xenoph. Conv. 8, 32, 33: *καί τοι Παυσανίας γε, ὁ Ἀγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἐραστής, ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ συγκυλινδουμένων εἴρηκεν, ὡς καὶ στράτευμα ἀλκιμώτατον ἂν γένοιτο ἐκ παιδικῶν τε καὶ ἐραστῶν.* Sed Plato eandem sententiam tribuit Phaedro. Conviv. p. 178 E. De qua dissensione agit Schneiderus Quaest. de Conviv. Xenoph. p. 147. Et ipsa Socratis verba audiamus, quibus adversus infamem amasium disputat. Xenoph. l. l. c. 8, 33: *τούτους γὰρ ἂν ἔφη οἴεσθαι μάλιστα*

αἰδεῖσθαι ἀλλήλους ἀπολείπειν· θαυμαστὰ λέγων, εἴγε οἱ ψόγου τε ἀφροντιστεῖν καὶ ἀναισχυντεῖν πρὸς ἀλλήλους ἐθιζόμενοι, οὗτοι μάλιστα αἰσχύνονται αἰσχρόν τι ποιεῖν. Ex quo cernitur, amoris, quem Pausanias defendit, cuique indulsisse videtur, naturam turpissimam, eumque ad *παιδεραστίαν* vere propensum fuisse. Quod Plato confirmat, ubicunque illud Agathonis et Pausaniae commercium tangit. Apud quem Agatho, etsi fusius vim Amoris sese laudaturum esse profitetur, Conviv. 195, omnis tamen oratio ad potentiam numinis, a quo puerorum ducit amorem, laudandam sensim delabitur. Et Pausanias voluptatem corporis quidem contemnit; sed illa minime aspernatur, quae tam corpus, quam animum suaviter afficiant. Quin veneream cupiditatem ac sincerum amorem animi adeo confundit, ut ne illud quidem genus, in quo tota amicitia consistit, a libidinosis secernat voluptatibus, quas Boeoti atque Elidenses in primis sequebantur. Plat. Symp. p. 182 B. C. Xenoph. Symp. c. VIII, 34, Cic. de Rep. IV init. Wolf. ad Platon. Symp. IX, 8. Addo, quod turpem mulierum amorem habet. Nam ab illis, qui alterum Amorem, comitem Veneris Uraniae, colant, cum haec dea non modo antiquior sit, sed etiam sincera, nonnisi viros in deliciis haberi, Sympos. p. 181 C., ait, contra mulierum amorem cum a deo infundi, cujus natura humilis atque abjecta sit, tum ipsum per se ignobilem contemptumque esse habendum. Quae cum ita sint, Pausanias pueros pro mulieribus amari voluit. Nam et alterum amoris genus alteri praestare, neque ab uno homine ambo genera conjungi posse existimat, nisi is deteriorem humilemque deum sequatur. Sympos. p. 181 B. Quare omnibus, qui ingenuam nobilemque amoris naturam comprobent, pueros pro puellis idque amore Venerio diligendos esse censet. Ex his jam facile intelligitur, qualis Pausaniae fuerit amor. Quod multo clarius etiam Aristophanes ea oratione indicat, qua laudes Amoris apud Platonem exsequitur. Nam ubi praedicavit felicitatem eorum, quibus, ut invenirent suum amasium, feliciter obtigisset, Conviv. p. 193 B: *καὶ μή μοι*, inquit, *ὑπολάβῃ Ἐρυξίμαχος κωμῳδῶν τὸν λόγον, ὡς Παυσανίαν καὶ Ἀγάθωνα λέγω· ἴσως μὲν γὰρ καὶ οὗτοι τούτων τυγχάνουσιν ὄντες καὶ εἰσὶν ἀμφότεροι τὴν φύσιν ἄῤῥενες.* Ubi Orellius ad Isocrat. p. 330: *ἄῤῥενος ἑνός* emendavit pro *ἄῤῥενες*. Quae

emendatio verborum necessaria non est, tametsi facilitate commendatur multoque clariorem ad intelligendum facit sententiam. Cavere igitur Aristophanes voluit, ne quis, quae dixerat, ad Agathonem et Pausaniam spectare crederet; qui quidem, cum mutuo amore non ita honesto inter se jungerentur, nec muliebre dimidium invenerant, aut quaesierant, neque erant ex numero eorum, a quibus summo quodam ac naturali desiderio dimidium frustra requiri confirmarat. His autem, ut facete dicta videantur, argumenta etiam magis ridicula subjicit. Nam et affirmat, fieri potuisse, ut illi dimidium pro se quisque jamjam repertum habeant, tam dubitanter loquens, quasi de rebus dubiis atque incertis dicat et ipsos viros, id est, ex toto virili corpore ortos esse concedit; quare eos non muliebrem partem desiderare, oblectatos incesto puerorum amore, Sympos. p. 192 A; cui qui indulgeant, eos vulgo impudicos haberi. Unde turpitudo consuetudinis intelligitur, quam Pausanias cum Agathone habuit. Sed hunc sedecim annos natum in deliciis ille coepit habere. Platon. Protagor. l. l. Ac tanta vis hujus amicitiae fuit, ut amator Agathonem sequeretur, in Macedoniam proficiscentem, sive invitatus est ab Archelao, qui amoribus, non minus, quam artium studiis delectatus fertur, Aelian. Var. Histor. II, 21: *ἦν δὲ ἄρα ὁ Ἀρχέλαος ἐρωτικὸς οὐχ ἧττον, ἢ καὶ φιλόμουσος*, sive amicum relinquere noluit, quocum tot annos Athenis aetatem egerat. Ibi vero hominum instar, in quibus cum virtute et animi et corporis robur elanguit, inter se semel atque iterum jurgarunt, quo saepius effeminatas voluptates percipere possent, quales ex gratiae reconciliationibus oriuntur. Aelian. Var. Hist. l. l. Muret. Schol. in Terent. Andr. in Op. Omn. T. II. p. 667. Quantam igitur mollitiem in his hominibus fuisse putemus? Simillima nota turpitudinis familiaritati inusta est, quam Euripides cum Agathone contraxit. Nam hoc cum ex eo satis apparet, quod Aelianus amores utriusque conjungit et comparat, ut ejusdem generis fuerint, tum ea de caussa nobis persuadetur, quod Euripidem in laudem memoriamque Agathonis Chrysippum ferunt scripsisse; qua quidem fabula praeter verecundiam interioremque ejus artis naturam incestum pueri desiderium expressit. Aelianus enim, ubi cupidinem rixarum memoravit, in quibus Pausanias cum Agathone versatus est, tenore sententiarum nihil intermisso, l. l.:

ἦρα δὲ, φασὶ, τοῦ αὐτοῦ Ἀγάθωνος τούτου καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς καὶ τὸν Χρύσιππον τὸ δρᾶμα αὐτῷ χαριζόμενος λέγεται διαφροντίσαι. Quocirca emendatio Crameri, apud Scholiastam ad Lucian. l. l. παιδικὰ γεγονὼς Παυσανίου, τοῦ τραγικοῦ, μεθ' οὗ κ. τ. λ. post nomen Pausaniae καὶ Εὐριπίδου inculcantis, ut necessaria esse omnino, sic ad veritatem proxime accedere videtur. Nam, quae Welckerus l. l. p. 985 contra disputat, nos parum movent, ut sententiam illius explodamus. Sed quid est de Chrysippo, quem, Aeliano teste, in gratiam Agathonis scripsit? In quo Euripides Lajum, cui nollet Chrysippus morem gerere, turpes desiderii igniculos declarare fecit. Cic. Tusculan. IV, 33: „*Quis aut de Ganymedi raptu dubitat, quid poëtae velint, aut non intelligit, quid apud Euripidem loquatur et cupiat Lajus?*" Unde sequitur, amorem Euripidis in Agathonem, si modo hac fabula similitudinem ejus expressit, venereum, nec valde honestum fuisse. Atqui haud scio, quid sit, quod Welckerus Trag. Graec. P. II. p. 536. III. p. 987 Not. 11 de hac narratione dubitaverit? Qui quidem illud, opinor, nec tradidit, nec voluit asseverare, ab Euripide, cum is admodum senex in Macedoniam venisset, septuagesimo aetatis anno stupratum fuisse Agathonem. At fieri potuit, ut tum hominem quodammodo diligere desineret, quem aliquando ardentius amaverat eumque inter epulas vini plenus oscularetur, memoria praeteritae caritatis in animum revocata. Neque ullum argumentum, extra dubitationem positum, invenio, quo illum Chrysippi finem fuisse negem, quem Aelianus commemorat. Nam etsi tali narrationum generi non majorem habemus fidem, quam natura earum admittit, vel postulat, ut rem, ab Aeliano narratam, a specie veritatis abesse judicemus, tamen valde dubitamus, num talia quisquam excogitare potuerit, nisi consuetudinem Agathonis cum Euripide fando cognoverit. Quo lepidissimum ludibrii genus accedit, quod Euripides in Thesmophoriazusis Agathonem loco mulieris habere conatur. Nunc autem, ut amorum ludos eo copiosius hactenus expositos mittamus, quo magis et mores hujus et indolem et poësin possunt illustrare, quaesiverit fortasse quispiam, num tot amicos secum habuerit, quot fertur epulis excepisse. Convivio enim per totam antiquitatem celebrato, si quidem vera tradit Athenaeus I. p. 4, duodetriginta homines adfuerunt. E quibus velut nobi-

lissimos Plato septem introducit, Alcibiadem, Apollodorum, Aristophanem, Eryximachum, Pausaniam, Phaedrum, Socratem. Sed quaestio, dubia multisque difficultatibus implicita est. Neque enim dubitamus, quin Pausaniam arcessiverit et Socratem! Verum etsi res ipsa hominem tantis animi et corporis dotibus conspicuum, poëtam in vulgus celeberrimum, eundemque et molliter et delicate viventem, in amicitiam ab omnibus facile admissum loquitur, qui vel ingenio praestarent, vel divitiis opibusque excellerent; Plato tamen vix ita sermonem instituit, ut cum summo ejus detrimento veritatem more historicorum sequi, quam ea componere maluerit, quae non modo verisimilia essent, sed etiam cum ratione totius operis convenirent. Itaque Wolfius Praefat. ad Platon. p. XL non temere ambigit, num Alcibiades illo tempore, quo incendium belli Peloponnesiaci maxime conflagravit, illi convivio interesse potuerit. At si de convivarum numero constaret, non item scires, quot qualesque amicos habuisset. Quare difficilis hic locus plane relinquendus est.

Sed quos mores quodque ingenium Agathonis in illa hominum consuetudine exsistere necesse fuit, qui tam nefarias libidinum contumelias, quique tantam turpitudinem subierunt. Et fuit quidem omnis illa aetas inquinata omnibus vitiis; huic vero qui delicatarum obscenarumque rerum cupidine, vel effeminata mollitie anteirent, aut pauci, aut nulli reperiebantur. Quocirca Euripides Thesmophoriazusis Mnesilocho ait, cum is ignotum Agathonem omnino sibi confirmet v. 35:

καὶ μὴν βεβίνηκας σύ γ᾽, ἀλλ᾽ οὐκ οἶσθ᾽ ἴσως,

perinde ac si hominibus sibi plane ignotis morem gerere consuevisset. Sed turpiora et acerbiora illa Mnesilochi videntur, qui, Agathonem foras prodeuntem conspicatus, Cyrenam meretricem omnium famosissimam esse opinatur, quae propter sexcentos concubitus modos δωδεκαμήχανος appellata est. Affirmat enim 98:

ἐγὼ γὰρ οὐχ ὁρῶ
ἄνδρ᾽ οὐδέν᾽ ἐνθάδ᾽ ὄντα, Κυρήνην δ᾽ ὁρῶ.

Ac turpitudinem Cyrenae Suidas s. v. δωδεκαμήχανος exponit. Omittimus illam conviciorum, quibus eum Mnesilochus deinde carpit, seriem, cum in eandem vitae infamiam concidant. Thesmoph. 200:

καὶ μὴν σύ γ', ὦ κατάπυγον, εὐρύπρωκτος εἶ
οὐ τοῖς λόγοισιν, ἀλλὰ τοῖς παθήμασιν.

Quapropter cum haec mollities ad teneram corporis venustatem accederet, de qua supra diximus, similitudinem speciemque mulieris gessit, ab Aristophane lepidissime depictam. Apud quem Euripides Agathonem amicum vehementer rogat, ut femineis vestibus indutus caussam ipsius in Thesmophoris contra mulieres suscipiat defendendam. Nimirum ei, ut mulieris formam habere possit, praeter vestitum nihil censet deesse. Erat enim formosus et candidus et derasus et muliebri voce praeditus et mollis et speciosus ad videndum, ut Euripides in Thesmoph. 191:

σὺ δ' εὐπρόσωπος, λευκὸς, ἐξυρημένος,
γυναικόφωνος, ἁπαλὸς, εὐπρεπὴς ἰδεῖν.

Sed in iis, quae ad quotidianum ejus vestitum pertinent, longe plura rationi poësis, quam veritati respondent. Nam officium in concione mulierum partes sustinendi deprecatus, muliebrem ornatum Euripidi, ut Mnesilochum ornaret, flagitanti dedit, ut crocotam Thesm. 253, strophium 255, reticulum, mitram 257, rotundam vestem 261, calceos 262. Et ille, his vestibus sumptis, simillimus feminae exstitit 266:

ἀνὴρ μὲν ἡμῖν οὑτοσὶ καὶ δὴ γυνὴ
τό γ' εἶδος.

Semper novaculam, velut homo delicatus, secum gessit 218:

Ἀγάθων, σὺ μέντοι ξυροφορεῖς ἑκάστοτε.

De intemperantia, quam in epulis ostendit, tametsi ab Aristophane in Ranis eum vehementer vituperatum vidimus, antiquitas nihil memoriae prodidit, ni Scholiasta ad Ran. quae habet, ex vetustis hausisse libris videtur: ἀγαθὸς τὸν τρόπον καὶ τὴν τράπεζαν λαμπρός. Sed latius comparatio Luciani patet, qui Rhetor. Praec. §. 11: ὀλίγας μὲν ἔτι, οὔλας τε καὶ ὑακινθίνας τὰς τρίχας εὐθετίζοντα, παναβρόν τινα Σαρδανάπαλον, ἢ Κινύραν, ἢ αὐτὸν Ἀγάθωνα, τὸν τῆς τραγῳδίας ἐπέραστον ἐκεῖνον ποιητήν, Agathonem Sardanapalo et Cinyrae comparat. Nam luxuries horum in ore vulgi et in communibus proverbiis olim versabatur. Ut Cinyras opulentiae, Diogenian. VIII, 53; Apost. XVIII, 93; Arsen. 441; Append. IV, 68; Heyn. ad Apollodor. III, 14, 4; Leutsch. ad Diogenian. l. l., parem conjunxit luxum. De libidinibus Sardanapali

famosis Suidas, Append. Prov. Bodlej. IV, 68: Σαρδαναπάλου τρυφηλότερος . . . . Σαρδανάπαλος δὲ, Ἀσσυρίων βασιλεὺς, ὃς ἐπ' ἀκολασίᾳ καὶ τρυφῇ κατέλυσε τὴν ἰδίαν ἀρχήν. Apost. XVII, 26; Schol. ad Aristoph. Av. 1021; Leutsch. ad Append. l. l.; Naek. Choeril. p. 240; Schneidewin. Fragm. Poët. Gr. e Pap. Paris. p. 13. Quapropter hunc et epulis et ceteris voluptatibus indulsisse, suspicamur.

Cum illis artibus ac studiis imbutus esset, in quibus ingenui Atheniensium juvenes illo tempore versari consueverant, cumque paullulum adolevisset, ut natura ad ostentationem propensus externique splendoris cupidus erat, in scholas sophistarum pervenit, qui partim mirabili doctrinae ac vitae ornatu animos hominum pellicere, partim liberiora vitae praecepta tradentes, effeminatis moribus ampliorem locum dare coeperant. Itaque Prodicum Ceum audiit, virum non uno nomine laudatum, qui saepe Athenas pervenit. Plat. Men. p. 91 E. Protagor. p. 311. Et Gorgias Leontinus, Athenas missus, ut societatem Atheniensium cum Leontinis jungeret, Diodor. XII, 52, cum oculos omnium in se convertisset idque effecisset, ut dies, per quos Athenis commoratus est, quasi deorum immortalium festos atque sollennes celebrarent, inter multos auditores, quorum stipatus erat corona, habuit Agathonem. A quibus quam multa sumpserit, dici non potest. Inde enim splendorem sapientiae duxerim, quem Socrates Conv. p. 175 tangit, si modo sapientia per laneum filum possit ex alio in alium traduci, in Agathone, cujus sapientia et splendida sit et magna incrementa capiat, tali modo se aliquid experturum esse asseverans. Pari modo sicut Gorgias nimio vestitui indulsit, Aelian. Var. Hist. XII, 32; Plat. Maj. p. 282. Plin. Nat. Hist. XXXIV, 4, sic Agatho quoque exquisitissimis modis corpus ornare consueverat. Thesmoph. 130; Plato Conv. p. 174 A.

Prima, quam dedit, fabula victoriam reportavit; nam convivium a Platone descriptum instituit, ὅτε τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ ἐνίκησεν Ἀγάθων, Conviv. p. 173 A. Quod Euphemo archonte, Ol. 90, 4. Calvis. Op. Chron. p. 142, 3, idque Lenaeis celebratum est, ut et Athenaeus V. p. 216 memoriae tradit, et Anonymus Descript. Olymp. ad Ol. XC, 4: Ἀγάθων ὁ τραγῳδοποιὸς στεφανοῦται Ληναίοις. Et cum Sophocles propter exilitatem vocis omnes fabulas histrionibus omnino

egendas tradidisset, hic nonnullas tragoediarum partes in scena ipse suscepit. In quo magnam ostendit superbiam. Plat. Symp. p. 194 A: *ἐπιλήσμων μέντ' ἂν εἴην, ὦ Ἀγάθων . . . . εἰ, ἰδὼν τὴν σὴν ἀνδρείαν καὶ μεγαλοφροσύνην ἀναβαίνοντος ἐπὶ τὸν ὀκρίβαντα μετὰ τῶν ὑποκριτῶν καὶ βλέψαντος ἐναντίον τοσούτῳ θεάτρῳ, μέλλοντος ἐπιδείξασθαι σαυτοῦ λόγους, καὶ οὐδ' ὁπωστιοῦν ἐκπλαγέντος* . . . Suid. s. v. *μυρμήκων ἀτράπους . . ὁ δὲ Ἀγάθων ὑποκριτικὰ μέλη ἐποίει καὶ αὐτὸς ὑπεκρίνετο.* Idem s. v. *χορικός, ὁ τοῦ χοροῦ ἐξάρχων. τοιοῦτος ἦν Ἀγάθων, ὃς ὑποκριτικὰ μέλη ἐποίει καὶ αὐτὸς ὑπεκρίνετο. διὸ καὶ χορικὰ λέγεται.* Nihilominus ceteris quoque tragoediis insignem consecutus est favorem spectantium. Nam Aristoteles Excidium Ilii unicam ejus fabulam fuisse narrat, quae explosa fuerit. Poët. 18. Hunc igitur, velut gravissimum poëtam, Aristophanes saepenumero vexavit et Archelaus arcessivit, cum insignem nobilissimorum hominum numerum ad se vocaret. Sed de anno, quo in Macedoniam perrexit, nequidquam accurate quaesieris; hoc enim Martinius vereor cuiquam persuadere ut possit, eum minus honorificae hospitis invitationi cessisse, quam salibus comici. Abiit cum Pausania; nam inter eos tantum amicitiae vinculum erat. Verum in illo hominum numero, quos secum Archelaus habuit, Agatho, dum Euripides vivus atque superstes fuit, et summis ille honoribus et maximis praemiis ornatus, Solin. 9, etsi non primum, insignem tamen locum certe obtinuit. Post Mnesarchidae obitum haud facile cuiquam aut ingenii, aut nominis magnitudine cessit. Quaeri potest, artemne in Macedonia cupidine libidinum neglexerit. Ferunt, Euripidem, ut memoriam munificentissimi regis coleret, Archelaum fabulam scripsisse! Vit. Eurip. Nihilominus Agatho, si humanitatem et comitatem principibus in tragoedia illo loco commendavit, quem Stobaeus Serm. 24 nec trimetris adstrictum, neque ita compositum servavit, ut metrum quodammodo refingi queat, et si Archelao regi ea praecipere voluit, quemadmodum Barthelemius existimat, Voyage du jeune Anach. c. 69; dubium non est, quin tragoedias, cum non desineret scribere, tanquam acceptissima dona, pro maximis beneficiis hospiti obtulerit [1]). Nam hae in

1) Simillimum est, quod Euripides, Dicaearcho judice, in Archelao

theatro Pellae doceri poterant. Sed quidquid in Macedonia scripsit, Athenas non esse perlatum, ex iis, quae Dionysus Herculi respondet, satis cognoscitur.

Hinc singulas Agathonis tragoedias deinceps nominabimus. Primum igitur Aristoteles Poët. 15 Achillem commemorare videtur: *οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καὶ ῥαθύμους καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν, ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα ἢ σκληρότητος δεῖ, οἷον Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος.* Aeropam scripsit, cujus mentionem Etym. Magn. s. v. *εἰσῆμεν καὶ εἰσῆσαν ἀντὶ τοῦ εἰσήεσαν σὺν τῷ ε. Ἀγάθων Ἀερόπῃ* servavit. — Alcmaeonem ejus grammaticus ap. Bekkerum in Anecd. Graec. Vol. I. p. 353: *Ἀθέμιστα καὶ ἀνόσια δρᾶν Δείναρχος εἶπε καὶ Σοφοκλῆς. καὶ ἀθεμιστότεροι Ξενοφῶν καὶ ἀθέμιστοι μοῦσαι εἶπεν Ἀγάθων ἐν Ἀλκμαίωνι* citat. Porro fabulam fecit, *Ἄνθος* nominatam, de qua Aristoteles Poët. 9: *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ἐνίαις μὲν ἓν ἢ δύο τῶν γνωρίμων ἐστὶν ὀνομάτων, τὰ δὲ ἄλλα πεποιημένα, ἐν ἐνίαις δὲ οὐδὲν, οἷον ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει· ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται καὶ οὐδὲν ἧττον εὐφραίνει.* Itaque non modo argumentum ejus, sed etiam nomina personarum ad suum arbitrium finxit. Quare ipse contextus lectioni codicis Lugdun. A, refragatur, in quo *Ἄτθει* pro *Ἄνθει* invenimus. Atqui philosophus haudquaquam nomen inveniri, sed cum illis rebus, quas Agatho hac tragoedia explicavit, in fabulis negat conjunctum esse. Nam Anthum quendam, Autonoi et Hippódamiae filium, Antonin. Liberal. 7 commemorat [1]). Alius tragoediae mentionem Aristoteles in Poët. 18 reliquit. Nam, *χρὴ δὲ*, inquit, *ὅπερ εἴρηται πολλάκις, μεμνῆσθαι καὶ μὴ ποιεῖν ἐποποιικὸν σύστημα τραγῳδίαν. ἐποποιικὸν δὲ λέγω τὸ πολύμυθον, οἷον εἴ τις τὸν τῆς Ἰλιάδος ὅλον ποιοῖ μῦθον. ἐκεῖ μὲν γὰρ διὰ τὸ μῆκος λαμβάνει τὰ μέρη τὸ πρέπον μέγεθος, ἐν δὲ τοῖς δράμασι πολὺ παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἀποβαίνει. σημεῖον δὲ, ὅσοι πέρσιν Ἰλίου*

---

protulit, ut, cum a veteri persona dicerentur, tamen in vivum praesentemque regem convenirent. Plutarch. de *ει* Delph. 1.

1) Quod contra Gruppium monemus, qui Ariadn. p. 747 fabulam censet non ab homine, sed a re nominatam esse.

ἐποίησαν καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥσπερ Εὐριπίδης Νιόβην καὶ μὴ ὥσπερ Αἰσχύλος, ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται, ἐπεὶ καὶ Ἀγάθων ἐξέπεσεν ἐν τούτῳ μόνῳ. Unde fabulam Agathonis, quam *Ἰλίου Πέρσιν* vocaverit, aliquando exstitisse censent. Hermann. ad h. l. Sed Ritterus Commentar. ad Aristot. Poët. p. 216, etsi totam excidii urbis Trojae historiam ab Agathone fabulae subjectam esse concedit, tamen dubitandum esse existimat, num ea *Ἰλίου Πέρσις* vocata sit, propterea quod hoc nomen neque ex hoc Aristotelis loco, neque alio indicio constet. Caussam dubitationis ita explicat ibid. p. 214: „*Carmen illud epicum Arctini et Leschis non Πέρσις Ἰλίου, sed Ἰλίου πέρσις vocatur, eodemque modo tragoedia appellanda erit, si unquam eo titulo tragoedia exstitit.*" Atque haec quidem iste sagaciter monet ac vere, ut Aristoteles non tam nomen, quam argumentum tragoediae significasse videatur. Nam Graeci carmina, quibus excidium urbis decantabant, ita inscripserunt, ut nomen urbis collocarent ante vocabulum, quo eversionem, aut occupationem ejus consignabant [1]). Cujus usus non unum est illud exemplum, quod Ritterus affert. Pari modo tragoedia Phrynichi, quae excidium Mileti continebat, constanter *Μιλήτου Ἅλωσις*, nec vero, inverso verborum ordine, *Ἅλωσις Μιλήτου* vocatur. Herod. VI, 20. Dionys. Longin. de Subl. 22. Aelian. Var. XIII, 17. Dithyrambus Stesichori quidam *Ἰλίου Πέρσις* dicitur. Similiter de imagine, quae lugubrem Trojae exitum repraesentabat, Petronius Satyr. 89: „*Sed video, te totum in illa haerere tabula, quae Trojae halosin ostendit.*" Quotiescunque vero argumentum poëmatis potius, quam nomen voluerunt significare, non mutatis vocibus, ordinem inverterunt. Indicat Dio Chrysost. II. Orat. de reg. p. 25, cum de Stesichoro dicat: *μιμητὴς Ὁμήρου γενέσθαι δοκεῖ καὶ τὴν ἅλωσιν οὐκ ἀναξίως ἐποίησε τῆς Τροίας*; itemque Suidas s. v. *Φρύνιχος .... Φρύνιχον οἱ Πέρσαι χιλίαις ἐζημίωσαν, ἅλωσιν τραγῳδήσαντα Μιλησίων*, et Suetonius Ner. 38: „*Hoc in-*

---

1) Quae ratio adeo vulgaris fuit, ut duo nomina hoc modo collocata in unum vocabulum sensim coirent, quod, uno instructum accentu, alium declinationis modum admitteret. Ut ap. Pausan. X, 26, 241 *Ἰλιουπέρσιδι* et Athen. XIII, p. 610 C. aut *Ἰλιουπέρσιδος*, aut *Ἰλιοπέρσιδος* scribendum esse, Lobeckius Parerg. ad Phrynich. c. 3. §. 8 vidit. Harpocratio s. v. *καθελὼν Ἰλίου Πέρσει* habet.

cendium e turri Maecenatiana prospectans laetusque flammae, ut ajebat, pulchritudine ἅλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit." Itaque Ritterus cum hunc linguae usum observavisset, tragoediam apud Aristotelem eo nomine vocari negavit. Sed philosophus argumentum indicat; quemadmodum et iste fatetur. Nos autem ex argumento nomen *Ἰλίου Πέρσις*, quod Hermanno ceterisque placuit, eliciendum arbitramur. Quem enim tragoediae, qua fabulas, ad dirutionem Trojae spectantes, universas ab Agathone narratas concedit, titulum fuisse statuit? Aut quare argumentum ejus, et non item nomen a carmine epico ductum esse existimat, quod Arctinus et Lesches scripserunt? Philosophus enim, ut illos reprehendat, qui tragoedias ad similitudinem epicorum carminum componant, quemadmodum argumentum ex Iliade in tragoediam cogendum non esse censet; ita exemplum Agathonis adhibet, quippe qui omnem rem epici carminis, quod *Ἰλίου Πέρσις* inscribebatur, tragoediae subjecerit. Et alii poëtae tragici tragoedias eodem nomine appellasse dicuntur. Nam *Ἰλίου Πέρσις* Iophonti a Suida et Eudocia tribuitur (v. supr. p. 76.), quanquam in textu hujus Villoisonius *Ἴλιος Πέρσις* scripsit; *Πέρσιν ἢ Πολυξένην* Nicomachi Suidas s. v. et Eudocia p. 310 memorant; addimus denique tragoediam Cleophontis *Πέρσιν* vocatam, de qua Suidas s. v. Ex quo cernitur, Agathonem, cum multi hoc argumentum tractavissent poëtae, ab Aristotele, velut exemplum, nominatum esse. Sed nos infra cum argumentis, tum rationibus et certis et illustribus demonstrare conabimur, hoc praeceptum philosophi latius patuisse ad aliosque pertinuisse poëtas, qui alia quoque argumenta ex epicorum carminum fabulis repetere coeperant. Neque sententia Ritteri a Welckero Tr. Gr. P. III. p. 993 nuper probata est. *Μυσοὺς* ejus Plutarchus Symp. III, 1 commemorat. — Fragmentum Thyestae apud Athenaeum XII. p. 528 D. et Eustath. ad Hom. Iliad. p. 1292 invenimus. Locum Telephi Athenaeus X. p. 554 D. habet. Praeterea idem multis locis laudatur, cf. Athen. V. p. 185 A. B, p. 211 E, X. p. 445 C, XIII. p. 584; Stob. Serm. ap. Wech. 28, 117, 123, 139, 152, 169, 171, 198. Stob. Eclog. Ph. I, 11 ed. Cant. (I, 9, 17. ed. Heer.); id. ibid., Anton. et Maxim. ap. Wech. Serm. 140, ibid., Aristot. Rhet. II, 19. (Cf. Porson. ad Eurip. Hecub. 1090); ibid. 24; Aristot.

Eth. Nicom. VI, 2; id. Eth. Eudem. III, 1, 5, Clem. Alexandr. Strom. V. p. 614 (ed. Col.). Dubitari potest, Agatho, cujus mentionem Scholiasta ad Soph. Trachin. v. 645 fecit (ed. Cantabr.): ὅπου συνάγονται οἱ Ἀμφικτύονες εἰς τὴν λεγομένην Πυλαίαν, περὶ ἧς Ἀγάθων φησί, Πυλάδην τὸν Στροφίου πρῶτον κριθῆναι ἐν τῇ Φωκίδι, καθαιρόμενον τὸ ἐπὶ Κλυταιμνήστρᾳ μύσος, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν σύνοδον Πυλαίαν φησὶ προσαγορεύεσθαι, ἢ ὅτι ὁ τόπος πύλαι τῆς Ἑλλάδος, tragicusne poëta, an ille geographus fuerit, de quo supra (p. 142.) diximus. Sed haec Antonin. τῶν εἰς ἑαυτ. IV. §. 18: ὅσην ἀσχολίαν κερδαίνει ὁ μὴ βλέπων τί ὁ πλησίον εἶπεν ἢ ἔπραξεν ἢ διενοήθη, ἀλλὰ μόνον τί αὐτὸς ποιεῖ, ἵνα αὐτὸ τοῦτο δίκαιον ᾖ καὶ ὅσιον ἢ κατὰ τὸν ἀγαθὸν μὴ μέλαν ἦθος περιβλέπεσθαι, ἀλλ' ἐπὶ τῆς γραμμῆς τρέχειν ὀρθὸν μὴ διεῤῥιμμένον. Haec est vulgata lectio. Sed Xylander nomen Agathonis reficiendum scribendumque κατὰ τὸν Ἀγάθωνα pro κατὰ τὸν ἀγαθὸν censuit, cum ob poëticam verborum indolem, tum ut nomen esset, quo articulus τὸν commode posset referri. Cf. Xyland. Annotat. p. 333. Hanc emendationem Gatakerus probavit. Agathonem Hesychius s. v. Ναύσων laudat, corrupto loco, quem alii aliter tentarunt. Sed non satis liquet, verum esse, quod Porson. ad Euripid. Med. 139, 140 censet, duo versus in Phalarid. Ep. 87 huic tribui oportere. Nam si rationem, quam hac in re sequitur, omnino probaremus, nescirem, quot fragmenta eidem essent vindicanda.

Nunc, omnibus reliquiis deinceps enumeratis, exponemus, quale poësis genus coluisse videatur. Apparet igitur, si cuncta, quae huc pertinent, accuratius examinamus, in Agathone tantam indolem tantamque ingenii vim fuisse, ut si neque effeminatis dissolutisque voluptatibus indulsisset et alia vixisset aetate, praestantissimis fabularum virtutibus nobilissimos poëtas vel aequiparare, vel vincere potuisset. Jam vero, cum mollis ac mollitiei vitae deditus esset cumque venustatem muliebrem moribus pariter atque vestitu effingeret, non facere potuit, quin tragoediam pariter molliorem tenerioremque redderet, quam ipsa hujus generis natura admittebat. Itaque sibi venusto ait ac velut muliebri vestitu utendum, ut interna poëtae poësisque indoles cum externo habitu conveniat. Nam propter nimia corporis ornamenta vituperatus in Thesmoph. 148 ait:

ἐγὼ δὲ τὴν ἐσθῆθ' ἅμα γνώμῃ φορῶ.
χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα,
ἃ δεῖ ποιεῖν, πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν.
αὐτίκ' γυναικεῖ' ἢν ποιῇ τις δράματα,
μετουσίαν δεῖ τῶν τρόπων τὸ σῶμ' ἔχειν [1]).

Nec verecundiae, quoniam vir erat libidinosus, valde pepercit. Quemadmodum superbum vitae genus secutus est, utque decus formae pluris, quam animae virtutem aestimavit, ita oculis in res externas conjectis ac plane defixis, cum vix tantum virium sibi reservavisset, ut posset interiorem rerum naturam intueri, cum multa in tragoediam ornamenta, tum ea potissimum intulit, quae extrinsecus conquisita et adventicia viderentur, quaeque gravitatem et dignitatem ejus minuerent. Hoc enim fabulis magnum splendorem conciliandi studium tametsi haec disputatio omnino declarabit, ex illo Socratis lepore, quem supra attigimus, optime intelligi potest. Nam splendida sapientia, quam philosophus Conviv. p. 175 E. carpit, quamque magnam et splendidam et pulchram Agathoni esse contendit, in fabulis et scena comparuit. Cf. Sydenham. ad h. l. His autem vitiis in summam artis perniciem videtur hoc ampliorem locum dedisse, quo cupidius spectatoribus, laxiore mollioreque poësis genere praecipue delectatis, obsecutus est. Quis enim fidem poëtae habet, apud Platonem et judicium et favorem publicum contemnenti? Qui cum verecundiam simulet ac timorem quendam, qui obstet, quominus, Socrate praesente ceterisque audientibus, libere ingrediatur dicere, cumque philosophus de tanta ejus prudentia propter virtutem magnumque animum dubitet, quem nuper in scena praestiterit, respondet quidem p. 194 B: *Τί δαί; ὦ Σώκρατες, τὸν Ἀγάθωνα φάναι, οὐ δήπου με οὕτω θεάτρου μεστὸν ἡγεῖ, ὥστε καὶ ἀγνοεῖν, ὅτι νοῦν ἔχοντι ὀλίγοι ἔμφρονες πολλῶν ἀφρόνων φοβερώτεροι;* Sed omnis illa, quae tum sequitur, oratio Socratis magno argumento est, Agathonem haec sapientissimo homini parum per-

---

1) Sed nescio, qui Gruppius Ariadn. p. 551 Scholiastam censeat notissimis verbis *ἐπὶ γὰρ μαλακίᾳ* indolem poësis descripsisse, cum ea potius ad ingenium ac mores spectent. Sed idem haec disserit: „Man warf dem Agathon zuweilen seine Zierlichkeit, das Blumige und Weichliche seiner Poesie vor."

suadere potuisse, qui non minus ostentationem hujus, quae in illis verbis conspicua est, carpens interrogat ibid. C: *Τοὺς δὲ πολλοὺς οὐκ ἂν αἰσχύνοιο, εἴ τι οἴοιο αἰσχρὸν ποιεῖν.* Quo quidem illam fiduciam ac securitatem multo magis ex despicientia, quam contemplatione scenici consessus exortam esse significat. Quapropter etsi cuncta, quae sub Euripidis aetatem in hac arte peccata fuisse videbimus, in hunc quoque concidant, copiose tamen singulas proprietates ita persequemur, ut caussas, quibus illae continentur, quod lâtius patent alibique satis expositae sunt, silentio praetermittamus.

In tribus igitur fabulis, quae libidinum et lacrimarum plenae essent, id spectavisse videtur, ut eam animi commotionem, quam haec ars commovere debet, partim atrocitate rerum, quae agebantur, augeret, partim amoribus repraesentandis variaret. Narrabant enim, Alcmaeonem matricidam, cum gravissimum scelus expiare cuperet, et adulterium commisisse, cum Callirrhoen, repudiata Alphesiboea, in matrimonium duceret, et tantam relictae conjugis suscepisse iracundiam, ut haec ei mortem accelerarot. Sed gravius etiam Aeropae scelus fuit. Quae partim ob spurcum amorem, quo Thyestem, fratrem uxoris, dilexit, partim mirabilem illum agnum, velut pignus imperii, Atreo furata, cum justitiam e mundo tollere videretur, iram Jovis adeo suscitavit, ut, sive jus omnino, seu caussam Atrei defensurus et cursum solis inhiberet et conversionem stellarum. Cf. Welcker. Tr. Gr. T. I. p. 358. Addimus Telephum, qui, miserrime afflictus in Mysia, praeter jus fasque uxorem duxit. Nec verisimile non est, poëtam in amoribus, quos habebat ipsa materies, explicandis cupide versatum esse. Alterum est, quod Ilii Excidio cunctas res, quae in epico carmine narratae erant, unius tragoediae finibus comprehendit. Huic igitur accidit, quod nostris hominibus saepenumero usuvenire solet, qui animos legentium, aut spectantium, cum rectis idoneisque artibus pellicere nequeant, multitudine rerum satiare conantur. Atque hoc ipsum vulgus ubique terrarum expetit, ut, quia alii aliis rebus tenentur aliique contemnunt, quod alii in deliciis ponunt, multa proponantur, e quibus unusquisque, quod ipsi placeat, deligere possit. Ut apposite Goethius, cum praesidem theatri haec loquentem introducit:

Besonders aber lasst genug geschehn;

Man kommt zu schaun, man will am liebsten sehn.
Wird vieles vor den Augen abgesponnen,
So dass die Menge staunend gaffen kann,
Da habt ihr in der Breite gleich gewonnen;
Ihr seid ein vielgeliebter Mann.
Die Masse könnt ihr nur durch Masse zwingen,
Ein jeder sucht sich endlich selbst was aus u. s. w.

Sed tertium, quod Agathonis proprium ac singulare fuit, in compositione illius fabulae apparuit, quam Ἄνθος inscripsit. In qua, cum ceteri poëtae hunc morem servavissent, ut argumenta ex vetustis tantum fabulis haurirent, hic et totum argumentum et nomina finxit, quibus personae appellabantur. Neque olim hoc unicum hujus generis specimen exstitit; sed multae ejusmodi fabulae fuerunt, e quibus Aristoteles tragoediam Agathonis, tanquam insigne placidumque exemplum delibat, ex quo possit cognosci, ne talia quidem argumenta a tragoediis abhorrere. Sed non est duplex hoc loco error praetereundus, unus Heerenii (Disputat. de Scient. Rer. Publ. Adm., Commerc. etc. T. III. P. I. Sect. 15: „Rein erdichtete Gegenstände, wie bei den Neuern, kennt man nicht"), alter W. Schlegelii, quod in Praelect. de Art. et Liter. Scen. T. II. p. 13. Agathonem et primum hoc genus instituisse et plures fabulas hujusmodi condidisse et principem fuisse materiem non ex mythis hauriendi affirmat. Miror, quod illa contenderit, quae neque argumentis, neque rationibus probantur. Sed cum primum fuisse censet Agathonem, qui res, quae erant in fabulis, contempserit, egregie errat, propterea quod multo ante ipsum tam Phrynicho constat, quam Aeschylo placuisse, historicas res tragoediis exornare.

Sunt autem in oratione, quam Agathoni tribuit Plato, nonnulla, e quibus intelligitur, quam de natura deorum iisque rebus, quae in fabulis enarrantur, sententiam probaverit. Quae quidem gravissima sunt, ut ratio cognoscatur, qua rem aliter, atque in mythis narrata erat, compositam tragoediae subjecerit. Multi igitur exstiterant, qui mythos, quia non res veras, quae antiquissimis temporibus vel fuissent, vel accidissent, sed verisimiles, quemadmodum fingantur oportet, perhibere viderentur, non temere comprobandos, sed in disputationem potius vocandos esse censerent, ut et verum a ficto discernere et alia

probare, alia explodere possent. Nimirum in illis, sicut poëta modo veritatem sequitur, modo libere fingendi studio indulget, ita non tam oculis atque auribus veterrimorum hominum, quam ingeniis poëtarum plurima deberi voluerunt, qui haec in deorum honorem sibi excogitavissent. Hos enim Plato in Phaedr. p. 229 D. leviter reprehendit, dum populari atque communi hominum opinioni sese obtemperare potius, quam temerariis conjecturis operam perdere asseverat. In horum igitur numero Agatho fuit. Nam adversus Phaedrum, qui, antiquissimis fabulis fretus, cf. Brandis Hist. Philos. T. I. p. 62, Amorem primum deorum fuisse contendit, speciosis rationibus demonstrat, eum contra natu minimum videri. Conviv. p. 195 B: *Ἐγὼ δὲ Φαίδρῳ πολλὰ ἄλλα ὁμολογῶν τοῦτο οὐχ ὁμολογῶ, ὡς Ἔρως Κρόνου καὶ Ἰαπετοῦ ἀρχαιότερός ἐστιν, ἀλλὰ φημὶ νεώτατον αὐτὸν εἶναι θεῶν καὶ ἀεὶ νέον.* Et dubitat, num inter deos olim acciderint, quae accidisse ferantur. Ibid. p. 195 C: *τὰ δὲ παλαιὰ πράγματα περὶ θεούς, ἃ Ἡσίοδος καὶ Παρμενίδης λέγουσιν, Ἀνάγκῃ καὶ οὐκ Ἔρωτι γεγονέναι, εἰ ἐκεῖνοι ἀληθῆ ἔλεγον.* Nam partes, quae in prima rerum descriptione, vel administratione Amori vulgo concedantur, Necessitatis fuisse videri. In quo multum plerosque interpretes movit, quod Hesiodum cum Parmenide temere conjungit, eodemque loco poëtas diversi generis, tanquam auctores fabularum, habet, cum alter quidem fabulas antiquitatis aut nihil, aut parum immutatas exposuerit, alter vero philosophica de rerum origine placita eaque mythico sermone ornata in libro de physiologia, seu natura, Sext. Empir. ad Mathem. VII, 111, explicaverit. Heyn. ad Apollodor. p. 919. Praeprimis jam suspicio Astii displicet, nullius libri fide *Ἐπιμενίδης* pro *Παρμενίδης* inculcantis. Prudentius alii egerunt, ut Sydenhamius et Schleiermacherus, ostentationem poëtae, quam Plato carpere voluerit, in hoc ipso apparere suspicantes. Sed non ita est. Nam Hesiodus tametsi narrationes de primordio rerum, quales in antiquissimis erant fabulis, animisque omnium infixae, secutus est, tamen multa ex philosophica rerum contemplatione habet, in quibus magis studium sapientiae, quam religionis interpretationem mireris. Goettling. Praefat. ad Hesiod. p. XXIII. Quas quidem res utrum ipse primus invenerit, an aliunde cognita congesserit, hic dicere non attinet.

Hanc autem operis rationem non ignoravit Herodotus II, 53, cum deos Graecis ab Homero atque Hesiodo inventos esse contenderit. Nimirum in notionibus coelestium multa inesse vidit, quae a nobilissimis poëtis ad perfectionem artis inventa essent, in hoc nobiscum consentiens, esse nonnulla, quae Hesiodus aliter accepisse, aliter memoriae reddidisse videretur. Nec vero indicia quaedam sapientiae, seu philosophiae antiquos homines plane latuerunt. Nam Aristoteles quoque, acutissimus rerum judex, Hesiodum modo cum Empedocle, modo cum Parmenide, modo cum Hermotimo (Metaph. p. 13, 24, 53 (ed. Brand.) Ph. IV, 1) laudat. Et Diogenes Laërtius de poësi Parmenidis IX, 3, 3: *καὶ αὐτὸς δὲ διὰ ποιημάτων φιλοσοφεῖ, καθάπερ Ἡσίοδός τε καὶ Ξενοφάνης καὶ Ἐμπεδοκλῆς.* Quodsi igitur Plato ineptam eam auctorum copulationem habuisset eaque superbum ac temerarium poëtam irrideri voluisset, non modo Diogenes, aut auctor, quem hac in re sequitur, sed Aristoteles etiam ejusdem temeritatis esset vel inscitiae insimulandus. Inde sequitur et Hesiodum et ceteros poëtas, qui Hesiodi similes fuerunt, res, quascumque exornarunt carminibus, ex inveteratis fixisque hominum opinionibus, quae religiose colendae essent, Agathoni nequaquam sumpsisse visos, sed ipsos per se finxisse et instituisse, ut, quantum illis licuisset, tantum sibi quoque licere ratus, in fabulis mutaret, quae vel rationibus mentis repugnarent, vel cum fabularum compositione minus commode conciliari posse viderentur. Quaeritur igitur, quam amplum huic mutandi, vel liberius fingendi licentiae locum dederit. Est unum hujus rei exemplum apud Athenaeum XII. p. 528 D: *Ἀγάθων δ' ἐν τῷ Θυέστῃ τοὺς τὴν Πρώνακτος θυγατέρα μνηστεύοντας τοῖς τε λοιποῖς πᾶσιν ἐξησκημένους ἐλθεῖν καὶ κομῶντας τὰς κεφαλάς, ἐπεὶ δ' ἀπέτυχον τοῦ γάμου·*

κόμας ἐκειράμεσθα μάρτυρας τρυφῆς,
ἦ που ποθεινὸν χρῆμα παιζούσῃ φρενί·
ἐπώνυμιον γοῦν εὐθὺς ἔσχομεν κλέος,
κουρῆτες εἶναι, κουρίμου χάριν τριχός.

Notissimus est ille Graecorum lusus, quo, ut originem vocabulorum illustrarent, commenticias saepe narratiunculas excogitarunt. Itaque duplici modo nomen Curetum derivarunt, cum alii eam gentem a capillis, quos prima resecuisset, alii a mu-

liebri ornatu ac puellarum similitudine nominatam esse censerent. Nam Archemachus ap. Strabon. X, 3, rerum Euboicarum scriptor, Curetes, Chalcidem tenentes, cum de agris Lalantiis bellum gererent, ab hostibus, qui crines eorum arripuerunt, humum prostratos esse, post vero, ne eandem, aut similem fortunam experirentur, priorem comarum partem resecuisse, posteriorem aluisse nomenque Curetum duxisse, ὄπισθεν κομῶντας γενέσθαι, τὰ δ' ἔμπροσθεν κείρεσθαι, διὸ καὶ Κουρῆτας ἀπὸ τῆς κουρᾶς κληθῆναι, retulit. Alteram interpretationem idem ibid. p. 356 (ed. Tauch.) tangit: θηλυστολοῦντας γὰρ, ὡς αἱ κόραι, τοὔνομα σχεῖν τοῦτο τοὺς περὶ τὴν Αἰτωλίαν· φασίν· εἶναι γάρ καί τινα τοιοῦτον ζῆλον ἐν τοῖς Ἕλλησι· καὶ Ἰάονας ἑλκεχίτωνας εἰρῆσθαι καὶ τοὺς περὶ Λεωνίδαν κτενιζομένους, ὅτ' ἐξῄεσαν εἰς τὴν μάχην, καταφρονηθῆναι λέγουσιν ὑπὸ τῶν Περσῶν, ἐν δὲ τῇ μάχῃ θαυμασθῆναι. Ἁπλῶς δ' ἡ περὶ τὰς κόμας φιλοτεχνία συνέστηκε περί τε θρέψιν καὶ κουρὰν τριχός. Unde lucem accipiunt, quae Aeschylus in tragoedia lusit. Athen. XII. p. 528 C:

χλιδῶν τε πλόκαμος ὥστε παρθένοις ἁβραῖς·
ὅθεν καλεῖν Κουρῆτα λαὸν ἤνεσαν.

Atqui de ratione quaerimus, qua Agatho haec vel adhibuisse, vel mutavisse, vel conjunxisse videatur. Qui ut aliquam procorum, quales tum erant, imaginem fingeret mollissimam, utrumque interpretationis genus, cum alterutrum sequi deberet, artificiose in fabulam contulit, Curetesque, cum filiam Pronactis peterent, et alio vestium ornatu et exquisito capillorum ornamento utentes, tum, ubi repudiationem mulieris acceperunt, crines in summa moestitia fecit resecantes. In quo quot quantaque audacia res novavit! Nimirum nutritos capillos, quos, tanquam egregium belli decus, antiquissimi Graeci omnino aluerant, Wolf. Praelect. in Hom. Il. T. II. p. 4, Curetes pro indicio luxuriae,

κόμας ἐκειράμεσθα μάρτυρας τρυφῆς,

habuerunt, propterea quod Athenienses post, ubi comam resecare consueverunt, promissos crines hominum luxuriantium atque se ostentantium esse censebant. Nam Strepsiadès quidem, ubi de luxuria filii queritur in Nub. 14:

ὁ δὲ κόμην ἔχων,
ἱππάζεταί τε καὶ ξυνωρικεύεται.

Quam rem, cum vis potestasque vocabuli κομᾶν, qualis apud Aristophanem multifariam occurrit, ut Av. 1282. Nub. 545. Plut. 170, 572. Vesp. 1308, tum Scholiasta Aristoph. ad Eq. 577 illustrat: κομῶσι, τρυφῶσι, πλουτοῦσι. τὸ γὰρ κομᾶν ἐπὶ τοῦ τρυφᾶν λέγεται καὶ γαυροῦσθαι καὶ μέγα φρονεῖν. Itaque res antiquas ad alium vitae usum, quem recentiores secuti sunt, relatas judicari fecit. Severa quidem Archemachi eademque ferocissimo Curetum populo digna narratio fuit, cum propter ipsum belli usum dicantur capillos resecuisse. Multo mollius, quod Agatho fingit. Nam Curetes propter repulsam mulierculae in maximos luctus incidunt abjiciuntque longos capillos, Wyttenbach. ad Plat. Phaed. p. 235, quos antiquissimi milites insigne decus habuerant. Verum imaginem delicati proci ita perfecit, omnibusque lineis absolvit. Itaque in personis imaginem Atheniensium, quales tum erant, magnamque mollitiem ingenii ac morum expressit, quam et ipse plurimi faciebat et spectatores cupide expetebant [1]).

Nihilominus ostendit quendam amorem publicae libertatis, bonaque vitae praecepta fragmentis commendavit, quae nobis servata sunt. Est enim leve illius indicium apud Aristoph. Thesmoph. 101, qui hunc talia canentem in scenam inducit:

ἱερὰν χθονίαις δεξάμεναι
λαμπάδα κοῦραι ξὺν ἐλευθέρᾳ
πατρίδι χορεύσασθαι βοάν.

Quanquam vix illud ex his videtur colligi posse, quod Gruppius Ariad. p. 746 effecit, tragoedias ejus in laudibus libertatis efferendis maxime esse versatas.

In sententiis habuit aliquam Euripidis similitudinem, propterea quod eas non ita proposuit, quemadmodum ex communi vitae usu hauriri proverbiisque commendari coeptae erant, sed

---

1) Inter animi perturbationes, vel affectus, quos recentiores poëtae movere studebant, insignem locum habuit miratio. Quam cum vellent excitare, res ita instituerunt, ut multa praeter verisimilitudinem atque exspectationem omnium acciderent. Quod haud dubie Agatho consectatus est; nam ap. Aristot. Rhet. II, 24 docet:

τάχ' ἄν τις εἰκὸς αὐτὸ τοῦτ' εἶναι λέγοι,
βροτοῖσι πολλὰ τυγχάνειν οὐκ εἰκότα.

In quo potuit Euripidem imitari. Vide ejus Alcest. 1170, Androm. 1261, Bacch. 1341, Helen. 1690, Med. 1406.

ex schola philosophorum eaque Socratis, ni fallimur, in poësin transtulit, ut multus et definitionum et divisionum usus arguit, utque nonnulla argumentationis exempla nobis illustrant. Quocirca prudentiam, cum Plato principem omnium virtutum perhibeat, Diogen. Laërt. III, 57, magnam esse deam Agatho dicit, Stob. Serm. ap. Wech. 28:

Ἀλλ' ἡ φρόνησις ἡ ἀγαθὴ θεὸς μέγας.

Itaque sapientiam prae divitiis esse expetendam docet, Stob. l. l. 139:

σοφίας φθονῆσαι μᾶλλον, ἢ πλούτου καλόν.

Hanc enim Plato ait ap. Diogen. III, 38: εἶναι τὴν τῶν νοητῶν καὶ ὄντως ὄντων ἐπιστήμην, ἥν φησι περὶ θεὸν καὶ ψυχὴν σώματος κεχωρισμένην. Qua quid praestantius quidque optabilius fingi poterat? Quapropter philosophum non solum in eo secutus est, quod haec animi bona plurimi aestimavit, sed aliam quoque sapientiam ex sententia ejus, aliam prudentiam esse voluit. Nihilominus multa ex parte philosophiae de moribus hausisse videtur, cum, quae hominibus accidant, ea seu prospera, seu minus secunda sint, partim arti, partim fortunae, partim necessitati deberi contendat. Eodem alia pertinent, quae mox copiosius exponentur. Quodsi autem versus, quos Stobaeus Serm. 139, quosque Anton. et Maxim. ap. Wech. Serm. 140 servarunt, tenore contextus interrupto, eodem ex loco desumpti sunt, naturam ac turpitudinem invidiae philosophorum more luculenter declaravit. Hoc enim vitium, quod ex inaequabili bonorum possessione inter homines oriatur, efficere ait, ut ex adversis rebus, quae aliis accidant, gaudium percipiant, dolorem vero, si quos favore fortunae utentes animadvertant. In quo hoc turpissimum summaeque dementiae esse, quod bona, quae invidi appetant, vilia ac fragilia habenda sint, Stob. Serm. ap. Wech. 139:

σοφίας φθονῆσαι μᾶλλον, ἢ πλούτου καλόν.

Velut minus insanum visum iri, si de sapientia obtrectaretur. Placet igitur concisa argumentorum series. Namque duabus ex caussis invidi vituperantur, primum quia non vero tenentur bonorum, quae alii tenent, desiderio, dein quod bona non sunt, quae caussam invidiae continent. A deo omnia confici posse censet, etsi is factum infectum reddere nequeat. Aristot. Eth. Nicom. VI, 2:

μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται,
ἀγένητα ποιεῖν ἅττ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Quodsi hoc placitum in tragoedia plane secutus est, cum id sibi persuasisset, neque nimium necessitati tribueret libertatique hominum relinqueret locum necesse fuit. Verum homines, quidquid agunt, non solum gubernatione consilii reguntur, modo necessitati parentes, modo eventum actionis videntes, quem fortunae debent tribuere. Aristot. Rhetor. II, 19: ὅθεν καὶ Ἀγάθωνι εἴρηται·

Καὶ μὴν τὰ μέν γε τῇ τέχνῃ πράσσειν, τὰ δὲ
ἡμῖν ἀνάγκῃ καὶ τύχῃ προσγίγνεται [1]).

Itaque multa praeter spem accidunt. Aristot. Rhet. l. l. 24:

τάχ' ἄν τις εἰκὸς αὐτὸ τοῦτ' εἶναι λέγοι,
βροτοῖσι πολλὰ τυγχάνειν οὐκ εἰκότα.

Neque homines satis sciunt, quid res leves ac graves inter se differant, Athen. V. p. 185 A:

τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Qui vera loquuntur, plerumque offendunt. Ibid. p. 211 E:

εἰ μὲν φράσω τἀληθὲς, οὐχί σ' εὐφρανῶ,
εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τἀληθὲς φράσω [2]).

Non magna mulieris prudentia, id. XIII. p. 584 A, est:

γυνὴ τὸ σῶμα . . . δι' ἀργίαν
ψυχῆς φρόνησιν ἐντὸς οὐκ ἀργὸν φορεῖ.

Multum animi juvenum inflectuntur, Stob. Serm. 169:

νέων γὰρ ἀνδρῶν πολλὰ κάμπτονται φρένες.

Pulchra parentum, quibus liberi obsequuntur, conditio, Stob. 198:

ὡς ἡδὺ τῷ φύσαντι πείθεσθαι τέκνα.

Optime naturam diligentiae ac desidiae exponit. Talem enim ejus esse naturam ait, ut illi, qui sint laborum cupidi, Stob. Serm. ap. Wech. 117, peculiares sibi vias quaerere dicantur:

ἰδίας ὁδοὺς ζητοῦσι φιλόπονοι φύσεις,

cum alii odio eorum mortem sibi exoptent. Aristot. Eth. Eudem. III, 1, 5:

φαῦλοι βροτῶν γὰρ τοῦ πονεῖν ἡσσώμενοι
θανεῖν ἐρῶσιν.

---

1) Cf. Porson. ad Eurip. Med. 1090, Hermann. ad Oedip. Col. 28.
2) Est similis versus Terentii Andr. I, 1, 41.

Sententias quidem a Socrate habuit; sed totum dicendi genus idque acutum, speciosum, exile a Gorgia mutuatus est. Schol. ad Plat. Conviv.: *ἐμιμεῖτο δὲ τὴν κομψότητα τῆς λέξεως Γοργίου τοῦ ῥήτορος*. Similiter Philostratus in Vit. Soph. I, 9, quanquam eam Sophistae imitationem in dialogum tragoediae maxime cadere refert: *'Αγάθων δὲ, ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητὴς, ὃν ἡ κωμῳδία σοφόν τε καὶ καλλιεπῆ οἶδε, πολλαχοῦ τῶν ἰαμβείων γοργιάζει*. Haec est lectio vulgata, nec magna diversitas, quam Spanhemius ad Aristoph. Ran. 84 expressit: *σοφὸν καὶ καλλιεπῆ*. Unde quid demum Gyraldus effecit, qui de Poët. Hist. p. 100: „*Scribit vero*, inquit, *Philostratus in Gorgiae vita, Agathonem, qui versuum elegantia plurimum aestimatus fuit, in iambicis carminibus Gorgiam ipsum imitatum fuisse.*" Scilicet Philostratus iambos tragoediae dialogum dixit. Sed ineptius Seyboldius Philostrati verba interpretatur: „Ja Agathon, dessen Lustspiele einen ebenso weisen Mann verrathen, als sie zierlich geschrieben sind, hat in vielen seiner Iamben den Gorgias nachgeahmt." Quemadmodum igitur sophista pulchritudinem orationis plurimi fecit eamque praeprimis consectatus est, sic Agatho ornatissimo dicendi generi magnopere studuit. Itaque puer in domino nescit, quid prae pulchra dictione debeat laudari. Thesmoph. 49: *μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς 'Αγάθων*. Nam sophistae artem suam vocabulis *καλλιεπής, καλλιέπεια, καλλιεπεῖν* consignasse videntur, ut sermones (*κεκαλλιεπημένοι λόγοι*), quos Plato Apolog. p. 17 B. C. appellat, tales intelligamus, qui sophisticis ornamentis fuerint distincti. Quocirca pulcherrima est famuli descriptio, qua herum in compositione carminum occupatum, laborantem, anhelantem sudantemque depingit, ut forma ipsa concinnitasque verborum suum orbem pulcherrime conficiat, Thesm. 52:

δρυόχους τιθέναι δράματος ἀρχάς,
κάμπτει δὲ νέας ἁψῖδας ἐπῶν,
τὰ δὲ τορνεύει, τὰ δὲ καλλομελεῖ
καὶ γνωμοτυπεῖ κἀντονομάζει
καὶ κηροχυτεῖ καὶ γογγύλει
καὶ χοανεύει [1]).

---

1) Accuratior explicatio loci haud dubie utilissima est. Quid sit

Atque sunt in fragmentis plurima, quae memoriam Gorgiae necessario nobis commovent, cum contraria contrariis opposita, aut paria paribus relata et similiter conclusa, aut ludis verborum distincta sint. Et oppositionum quidem exempla Athenaeus V. p. 211 ibid. p. 185 et Aristot. Eth. Nicom. VI, 4 habent. Aliquando rogatus, ut hoc luminum, seu figurarum decus ex poësi tolleret, respondisse fertur, ne quis oblivisceretur, fore, ut, cum hoc experiri vellet, se ipsum omnino perderet, Aelian. Var. Hist. XIV, 13.

Itaque hoc artificium, ut infra demonstrabimus, non solum Plato V. p. 187, sed etiam Aristophanes, cf. Bekker. An. Gr. T. I. p. 410, 14, in eo derisit. Neque in iisdem versiculis specimina aliarum artium desunt. Nam *πάρισον* habet locus

τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα,

propter vocabula *ποιούμεθα* — — — *ἐκπονούμεθα*, itemque alter

εἰ μὲν φράσω τἀληθὲς, οὐχί σ' εὐφρανῶ,
εἰ δ' εὐφρανῶ τί σ', οὐχὶ τἀληθὲς φράσω,

quanquam voces *εὐφρανῶ* et *φράσω* una tantum litera diffe-

δρύοχος, optime grammatici interpretantur. Hesych. s. v., Eustath. ad Hom. p. 1878, Suidas s. v. *δρύοχοι πάτταλοι οἱ ἐντιθέμενοι ναυπηγουμένης νεὼς, καταχρηστικῶς δὲ τὰ παροιμία.* Qua voce fortasse Agatho exordia fabularum gloriabundus nominavit exemplo Pindari Ol. VI, 1. — *κάμπτει δὲ νέας κ. τ. λ.* Figura ab iis ducta est, qui rotas fabricantur. Itaque novas sophistarum artes significat, qui rotundum verborum tenorem facere coeperant, *κάμπτει*. Unde *καμπαί* eo sensu appellantur, quem Ernestius Clav. Cic. Ind. Gr. Lat. s. v. *περίοδοι* exponit. — *ἀψῖδας*. Vide Scholiast. ad h. l., ad Acharn. 79. Hesych. s. v. — *νέας*, quales quidem sophistae nuper invenerunt. — *τορνεύει*. Itaque ubi cuncta sententiarum membra in rotundam formam redacta sunt, tum quasi tornantur sententiae, ut nihil rotundius effici possit. Horat. Art. Poët. 441. — *καλλομελεῖ*. Vide Schol. — *γνωμοτυπεῖ*. Oratio sophistarum abundabat sententiis, quae parum haberent veritatis. Jam homines, qui tales cumulant, *γνωμοτύποι* vocantur, aut *γνωμοτυπικοί* Aristoph. Ran. 878. Equit. 1379. — *κηροχυτεῖ*. Itaque dictione utitur adeo molli, ut verba cerae instar primum liquescere, tum concrescere videantur. — *γογγύλλει*. Schol. ad h. l., Suidas s. v., Zonaras p. 449 *μεταστρέφειν* interpretantur. — *χοανεύει*. Explicant: *καταχεῖ, εἰς χῶνον ἐμβάλλει*. Excitat locum aliter scriptum Reisigius Conject. p. 28. [Cf. Scheffer. de mil. nav. I, VI. A. L.]

runt, ut recte tot artificiorum genera hoc uno loco cumulata esse mireris. Neque enim verborum lusus, velut *ἔργον — πάρεργον*, desideras. Hujus autem figurae specimen frequentissimum ei fuisse videtur *τύχη — τέχνη*, quod in fragmento apud Aristot. Rhet. II, 19:

καὶ μὴν τὰ μέν γε τῇ τύχῃ πράσσειν, τὰ δὲ
ἡμῖν ἀνάγκῃ καὶ τέχνῃ προσγίνεται.

alioque apud eund. Eth. Nicom. II, 4:

τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχη τέχνην.

invenimus, a sophistis procul dubio sumptum, Schol. ad Platon. Gorg. p. 338: *Σκόπει τὰ πάρισα τοῦ Πώλου ἐμπειρία, ἀπειρία, τέχνη, τύχη, ἄλλοι, ἄλλων, ἄλλως.* Jam vero mirari licet, quanta vel veritate, vel accuratione Plato sophistam in Agathone expresserit, qualem in convivio inducit, seu argumentum, seu locus orationis, seu genus dicendi denique spectatur. Quo quidem nihil est verius, nihil accuratius, nihil, quod ingenium ac mores magis imitetur. Debemus Roetschero, quod tenorem disputationis, quam convivium Platonis continet, nequaquam singularum orationum terminis conclusum atque interruptum, sed omnem sermonem ita compositum esse vidit, ut unusquisque disputantium pro sua doctrina suaque ratione naturam Amoris explicet, idque eo ordine servato, quem nostra mens in quacunque disputatione philosophica videtur postulare. Roetscher de Platon. Conviv. in programm. gymnasii Bromberg. ann. 1832. p. 16 etc. Animadvertit igitur, Agathoni partes sophistae datas esse. Nam sophistae, cum multa spinosiora peperissent, alia, quae certa atque illustria viderentur, addubitantes, alia vero lubricis confirmantes vel argumentis, vel rationibus, cum ea maxime dubia atque angustiarum plena essent, philosophos, qui rectius meliusque scientiae genus sequebantur, ad quaestiones excitarunt, ut viderent, quasnam leges in cogitando, aut in dicendo homines natura duce sequerentur necesse esset. Brandis. Hist. Philos. P. I. p. 47 et 516. Itaque Agatho, ubi Phaedrus, Eryximachus, Pausanias, Aristophanes docuerunt, quae vis potestasque Amoris ex fabulis posset cognosci, inani ratiocinandi dicendique studio Socratem adduxit, ut is, mente a fabulis sevocata, mirabilem dei naturam exponat. Initio igitur orationis monet dicendum esse, quomodo oratio instituenda sit, Conviv. p. 194 E. Tum ipsam

amoris notionem a se declaratum iri professus, in quo temeritatem Menonis, Platon. Men. p. 71, imitatur, ad eam disputationem facile aggreditur, qua ostendit, quid sit Amor p. 195. Sed cum expositio notionis, quod quidem Socrates Menoni objicit, res perquam difficilis sit, nec Meno virtutis, neque Agatho Amoris potest naturam illustrare. Quocirca ille quidem res leviter tangit, quae non tam ad definitionem, quam ad partitionem virtutis pertineant; hic vero tantum abest, ut naturam Amoris sapienter adumbret, ut externas enumeret virtutes, e quibus, qui sit ille deus, omnino intelligi nequeat. Laudatur enim tanquam natu minimus (*νεώτατος*) p. 195 A, tenerrimus ibid. C, justissimus p. 196 B, prudentissimus ibid. C, sapientissimus omnium deorum, qui res deorum atque hominum temperet. Hae vero virtutes neque alia ex alia deductae, neque ita propositae sunt, ut una notione involvantur; neque vero apparet, quare singulae earum Amori tribuantur. Praeprimis levitatem oratoris miramur, cum ratiocinari videtur. Roetscher l. l. p. 18. Nam neque principia extra dubitationem posita sunt, nec ceterae sententiae, quibus in orationis conclusione utitur, sic sibi plane respondent, ut finis in initium redeat omniaque optime concidant. Ut Amorem omnium deorum temperantissimum esse ait, his argumentis utens: Qui cupidines coërcet, est temperans. Atqui Amor vehementissima cupidinum. Ergo Amor temperantissimus. p. 196 C: *πρὸς δὲ τῇ δικαιοσύνῃ σωφροσύνης πλείστης μετέχει. εἶναι γὰρ ὁμολογεῖται σωφροσύνη τὸ κρατεῖν ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν. Ἔρωτος δὲ μηδεμίαν ἡδονὴν κρείττω εἶναι . . . . κρατῶν δὲ ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ὁ Ἔρως διαφερόντως ἂν σωφρονοῖ.* In quo, quaeso, quis est, quin impudentiam hominis insaniae finitimam videat? Accedunt quaedam indicia ridiculae ostentationis. Ut teneritatem Amoris cum teneritate Atae comparat, etsi haec praeter virtutem cum illo nihil commune habet et ne ullum quidem teneritatis, id quod maximam movet admirationem, indicium in ea reperiri fatetur. Nam ex eo, quod in capitibus ambulat, quanquam teneritatem Atae conatur colligere, p. 195 D: *Ὅμηρος γὰρ Ἄτην θεόν τέ φησιν εἶναι καὶ ἁπαλήν. τοὺς γοῦν πόδας αὐτῆς ἁπαλοὺς εἶναι, λέγων·*

τῆς μένθ᾽ ἁπαλοὶ πόδες· οὐ γὰρ ἐπ᾽ οὔδει
πίλναται, ἀλλ᾽ ἄρα ἥ γε κατ᾽ ἀνδρῶν κράατα βαίνει,

tamen teneritatem Amoris confici negat. Ibid. καλῷ οὖν δοκεῖ μοι τεκμηρίῳ τὴν ἁπαλότητα ἀποφαίνειν, ὅτι οὐκ ἐπὶ σκληροῦ βαίνει, ἀλλ' ἐπὶ μαλθακοῦ. τῷ αὐτῷ δὴ καὶ ἡμεῖς χρησώμεθα τεκμηρίῳ περὶ Ἔρωτα ὅτι ἁπαλός. οὐ γὰρ ἐπὶ γῆς βαίνει, οὐδ' ἐπὶ κρανίων, ἅ ἐστιν οὐ πάνυ μαλακά, ἀλλ' ἐν τοῖς μαλακωτάτοις τῶν ὄντων καὶ βαίνει καὶ οἰκεῖ. Quae quam inepta, quam insulsa quamque nugatoria sint, dici vix potest. Nimirum tota conclusionis vis in eo versatur, ut teneritatem rei ex loci, quem teneat, natura cognosci posse demonstret. Quod ut satis nobis persuaserit, quare locum Homeri Il. τ, 92 attulit, praesertim cum epicus poëta de Atae teneritate non recte ei disputasse videretur? Scilicet doctrinam voluit ostentare. Sed eodem auctoritas Hesiodi ac Parmenidis, quos laudat, eodemque sententia p. 196 E: πᾶς γοῦν ποιητὴς γίγνεται κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν, οὗ ἂν Ἔρως ἅψηται, redit, quam e Melanippa habet Euripidis, Valcken. Diatrib. p. 207 A. Nec praetermittamus ea, quae in dicendi genere propria habuit, ut conjunctionem similium verborum p. 195 B: φεύγων φυγῇ τὸ γῆρας .... μετὰ δὲ νέων ἀεὶ ξύνεστί τε καί ἐστιν, p. 196 B: ποιῶν ποιεῖ, p. 197 B: Μοῦσαι μουσικῆς, quae aures artificio soni delectant, ut oppositiones, in orationis fine cumulatas p. 197 D. E, ut multa disjunctionis specimina, quibus sophistae vim orationis augere voluerunt, p. 196 A, B, E. Philosophus autem non modo indolem sophistae descripsit, sed adjunxit quoque nonnulla, in quibus vestigia poëticae artis cognoscuntur, nisi haec ipsa e schola Gorgiae duxit, quem etiam cincinnos poësis atque colores aucupatum ferunt. Dionys. Halic. de Lys. Jud. 3: ἥψατο δὲ καὶ τῶν Ἀθήνησι ῥητόρων ἡ ποιητική τε καὶ τροπικὴ φράσις, ὡς μὲν Τίμαιός φησι, Γοργίου ἄρξαντος, ἡνίκα Ἀθήναζε πρεσβεύων κατεπλήξατο τοὺς ἀκούοντας ἐν τῇ δημηγορίᾳ. Philostrat. Vit. Soph. I, 9. Aristot. Rhet. III, 3, 18. Nam ad modum poëtae incessum ac domicilium dei descripsit, versusque adjecit, quibus potentiam dei collaudat, p. 197 D. Sed haec ipsa, cum per se non admodum pulchra sint, exiles frigidaeque sententiae sequuntur, ut non par sit color orationis. Ac veram orationis indolem Socrates vere significat, cum se talia audientem in memoriam Gorgiae redire confirmet. Conv. p. 198 C. Poëta, quo magis philosophicis imbutus stu-

diis notiones fingit, eo minus perficit imagines rerum, cum acies ingenii jejunum faciat ac frigidum dicendi genus. Quod cadit in descriptionem Agathonis, qua animi caussa literae illustrantur, quae nomen Thesei efficiant. Athen. X. p. 454 D. Quae cum simillimis versibus Euripidis comparatur, breviorem atque concisiorem Agathonem esse apparet, cum ratio Euripidis poëticae indoli magis respondeat.

Quaeri potest, quale chori genus coluerit Agatho. Hoc Aristoteles docet, cum haec carmina tradat cum ipsa actione partibusque chori non satis fuisse conjuncta. Poët. 18: καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ Εὐριπίδης, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλῆς. τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ ᾀδόμενα οὐ μᾶλλον τοῦ μύθου ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστί. δι' ὃ ἐμβόλιμα ᾄδουσι, πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοιούτου. καίτοι τί διαφέρει ἢ ἐμβόλιμα ᾄδειν ἢ εἰ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἁρμόττοι, ἢ ἐπεισόδιον ὅλον; Peccavit igitur contra praeceptum Horatii Art. Poët. v. 193:

Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat, neu quid medios intercinat cantus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.

Nec dubitare licet, quin ea, quae Agatho comici, in scenam egressus, confestim canere incipit, magnam choricorum carminum similitudinem habeant, quanquam laudes Apollinis continent ab omnique tragoediarum argumento procul recedunt. Postquam igitur in aedibus primordium fabulae fecit aliasque partes dialogi condidit, foris carmina facere ingreditur, quae radiis solis expositus majori furore, seu afflatu possit perfundere. Sed quale ipsum est carmen? De hoc ita Mnesilochus Thesmoph. 130:

ὡς ἡδὺ τὸ μέλος, ὦ πότνιαι γενετυλλίδες,
καὶ θηλυδριῶδες, καὶ κατεγλωττισμένον,
καὶ μανδαλωτὸν, ὥστ' ἐμοῦ γ' ἀκροωμένου
ὑπὸ τὴν ἕδραν αὐτὴν ὑπῆλθε γάργαλος.

Itaque mollem atque effeminatam poësin dicit, quanquam afferat aliquid voluptatis. Quare eam vim in animum fere exercet; Suid. s. v. γαργαλίζει, quam Persius Sat. I, 20 carmini libidinum plenissimo tribuit. Duobus autem verbis foedam turpemque cantus indolem significat, eaque a vetustis interpre-

tibus perperam accepta sunt. Suid. s. v. κατεγλωττισμένον. Est enim κατεγλωττισμένος, aut μανδαλωτός homo, qui turpibus osculis delectatur, id est, voluptuosus, libidinosus. Unde nomen in rem libidinibus inservientem translatum est. Animadvertamus porro, quod Mnesilochus Euripidi, cum is Agathonem in scenam prodeuntem conspicatus ita hortetur:

σίγα· μελῳδεῖν αὖ παρασκευάζεται,

facete respondet:

μύρμηκος ἀτραπούς, ἢ τί διαμινύρεται.

Quod Suidas s. v. μυρμήκων ἀτραπούς tali modo explanat: περὶ Ἀγάθωνός φησι, τοῦ ποιητοῦ, ὡς λεπτὰ καὶ ἀγκύλα ἀνακρουομένου μέλη. τοιαῦται γὰρ αἱ τῶν μυρμήκων ὁδοί. Est igitur cantus incredibili sonorum varietate distinctus, qui formicarum discurrentium instar celerrime ultro citroque fertur, quique vario ornamentorum genere inhiberi magis et a fine deflecti, quam ad id, quo directus est, pervenire videtur. Quemadmodum Aelianus Hist. Anim. VI, 43: μυρμήκων ἐν γεωρυχίᾳ ποικίλας τε ἀτραποὺς καὶ ἑλιγμοὺς καὶ περιόδους. Ac simillimum est, quod Pherecrates ap. Plutarch. de Music. c. 30 Timotheo dedit opprobrio:

οὗτος ἅπαντας, οὓς λέγω
παρελήλυθ' ἄγων ἐκτραπέλους μυρμηκίας.

Quem locum Meinekius Fragm. Com. Gr. P. I. p. 327 egregie, ut solet, ac docte interpretatus est.

Idem chromaticum musicae genus, in tragoediis nusquam admissum, Plutarch. de Music. 20: τῷ γὰρ χρωματικῷ γένει καὶ τῷ ῥυθμῷ τραγῳδία μὲν οὐδέπω καὶ τήμερον κέχρηται, κίθαρα δὲ, πολλαῖς γενεαῖς πρεσβυτέρα τραγῳδίας οὖσα, ἐξ ἀρχῆς ἐχρήσατο, cum natura ad mollitiem esset propensus, primus adhibuit. Plutarch. Sympos. III, 1: Ἀγάθωνος, ὃν πρῶτον εἰς τραγῳδίαν φασὶν ἐμβαλεῖν καὶ ὑπομίξαι τὸ χρωματικόν, ὅτε τοὺς Μύσους ἐδίδασκεν. Nam is modus tametsi a genere, quod eodem nomine vocamus, multum recessit, Sulzer. Scient. Pulch. Art. P. I. p. 473, tamen et mollissimus fuit et magnam libidinem excitavit, utpote qui Plutarcho Sympos. III, 1 non modo τρυφὴν, sed etiam ἡδυπάθειαν habere visus fuerit. Quapropter Agatho non tantum imitatores in eo nactus non est, quoniam Plutarchus id musicae genus cum tragoedia semper alienum, tum ne sua quidem aetate usitatum

fuisse tradit, sed admirationem atque indignationem commovit in hominum animis, ut ab eo mollissimam nominarint tibiarum cantilenam. Nam in proverbiis locutio *Ἀγαθώνειος αὔλησις* fuit, quod alii aliter intelligunt, cum omnes ingenium poëtae moresque ab Aristophane castigatos magis, quam id ipsum haberent cognitum, quod in cantu ejus proprium ac singulare fuerat. Hesych. s. v. *Ἀγαθώνιον αὔλησιν· τὴν μαλακήν. Ἀγάθων γὰρ ὁ τραγικὸς ἐπὶ μαλακίᾳ διεβάλλετο.* Quod is optime, quia verbum nominatim ad nostrum poëtam refert. Copiosius vero Suidas s. v. interpretatur: *Ἀγαθώνειος αὔλησις ἡ μαλακὴ καὶ ἐκλελυμένη, ἢ ἡ μήτε χαλαρὰ, μήτε πικρὰ, ἀλλ' εὔκρατος καὶ ἡδίστη.* Eadem Zenobius Cent. I, 2 refert, perperam adjiciens: *Εἴρηται δὲ ἀπὸ Ἀγάθωνος αὐλήτου, ὃς ἐπὶ μαλακίᾳ ἐκωμῳδεῖτο.* Nec alia Diogenianus I, 7 habet. Apponimus postremo locum, quem Schneidewinus Praefat. ad Corp. Paroemiogr. p. XXXIV nuper e schedis Schubartianis edidit: *Ἀγαθώνιος αὔλησις: ἀγαθὴ καὶ μέση καὶ καλή. Ἀγάθων γάρ τις δόκιμος εἰς αὐλητικήν.* Sed haec quicunque scripsit, etsi a ceterorum via paullo deflexit, illis tamen neque ad doctrinam, neque ad sagacitatem praeferendus est, quippe qui de Agathonis persona haud videatur quidquam certi cognovisse.

Io.

Cum Bentlejus omnia poësis Graecae fragmenta secum edere atque interpretari statuisset, idque opus non posset conficere, reliquias Ionis poëticas et soluta oratione conscriptas collegit, velut specimen ejus laboris, emendavit, illustravit, sagacissime praefatus, quidquid de vita hujus ex monumentis videre, aut computando efficere potuerat. Bentlej. Opusc. p. 494 etc. Huic Johannes Toupius, ejus popularis, successit. Qui ut locutionem Suidae explicaret, quae de dithyrambico poëtarum est genere, ex hoc numero delibavit Ionem ejusque reliquias multifariam emendatas nobiscum communicavit. Epist. Crit. in Opusc. Crit. P. II. p. 84 etc. Nostra autem memoria duo viri eodem anno susceperunt eandem quaestionem, unus Carolus Nieberdingius, alter Sigofredus Koepkius. Quocirca nec probamus, neque excusamus brevitatem, aut negligentiam, qua ceteri omnes de eo disputarunt, alii doctrinam aliorum mutuati. Nam ad artem ejus illustrandam accesserunt deinceps multi, in his Lil. Gyraldus p. 254, Vossius p. 27, Fabricius Biblioth. Gr. T. II. p. 307 (ed. Harless.), Barthelemius Voyage du jeune Anach. c. 69, Gruppius Ariadn. p. 754, Urlichsius Achaei Fragm. p. 7, Odofredus Müllerus Hist. Lit. Gr. T. II. p. 184, Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 938.

Io genere Chius fuit. Praeterquam enim, quod Strabo in tribus viris hunc numerat clarissimis, qui Chium habuerint patriam, XIV. p. 645: *ἄνδρες δὲ Χῖοι γεγόνασιν ἐλλόγιμοι Ἴων τε ὁ τραγικὸς καὶ Θεόπομπος ὁ συγγραφεὺς καὶ Θεόκριτος ὁ σοφιστής.* In cunctis veterum scriptis, quotiescunque commemoratur, perpetuo nomine *Χῖος* appellatur. Athen. pl. ll. Diogen. Laërt. I, 11, 7, II, 5, 7, VIII, 1, 5. Clem. Alexand. Strom. I. p. 333. Suid. s. v. *Ἴων*. Eudoc. Viol. ap.

Villoison. Anecdot. T. I. p. 248. Harpocrat. s. v. Phot. p. 119 ed. Pors. Patre usus est Orthomene quodam, cui comici haud dubie cognomen Xuthi dederunt, quod alter Io, a quo genus ducebant Iones, Xutho natus dicebatur, Suid. s. v. Harpocrat. s. v.: υἱὸς δὲ Ὀρθομένους, ἐπίκλησιν δὲ Ξούθου. Aetatem hujus Suidas bene definit, octogesimam alteram olympiadem, ut tempus significans, quo primam tragoediam docuerit: ἤρξατο δὲ τὰς τραγῳδίας διδάσκειν ἐπὶ τῆς πβ΄ ὀλυμπιάδος. Nam recte Bentlejus Opusc. p. 495 Aemilium Portum confutavit, qui notas numeri, quibus aetas apud Suidam indicatur, Latine ita expressit, quasi Ol. 72 in scenam primum prodiisset. Quanquam is praeter Jonsium, Menagium, Vossium, quos una notat Bentlejus, Lilium Gyraldum ac Meinersium Histor. Art. Orig. in Graec. T. I. p. 291 in eundem errorem deduxit. Objecerit fortasse quispiam, longe alium numerum in Suidae libro ob oculos Aemilio Porto fuisse, alium vulgo legi; sed si fuit, haec lectionis varietas ea de caussa rejici debet, quod Scholiasta comici eundem, quem plurimi Suidae libri tuentur, numerum diserte verbis consignavit ad Aristoph. Pac. 835: ἐπὶ ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας ὀλυμπιάδος. Quare vehementer Tiedemannus de Princip. Phil. Gr. p. 343 errat, qui Ionem censet aequalem Pythagorae, aut aetate proximum fuisse. Quarto anno octogesimae octavae olympiadis, cum quidem Amino archon esset Athenis, in scena cum Euripide atque Iophonte contendit. Argument. ad Eurip. Hippol.: ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἀμείνονος ἄρχοντος Ὀλυμπιάδι πζ΄, ἔτει δ΄. πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων. Ex his vero testimoniis accurate tempus conficitur, in quod conveniunt, quae historicis libris attigisse, vel copiose narrasse dicitur. Quemadmodum in Epidemiis, sese cum Sophocle convenisse, scripserat, cum is in expeditione, contra Lesbios suscepta, Chium appulisset. Athen. XIII. p. 603 E: Σοφοκλεῖ τῷ ποιητῇ ἐν Χίῳ συνήντησα, ὅτε ἔπλει εἰς Λέσβον στρατηγός. Ubi quanquam iter nobilissimi poëtae in Lesbum commemoratur, tamen de bello cogitamus, quod Athenienses, Pericle ac Sophocle ducibus, Samiis Ol. 84, 4 intulerunt. Boeckh. Gr. Trag. Pr. p. 107. Porro narraverat, Periclem gloriatum fuisse, quod, cum Agamemno vix decem annis Trojam, urbem barbarorum expugnare potuisset, opulentissimum maximumque Ionum op-

pidum ipse novem mensibus devicisset, Plutarch. Pericl. c. 28; id autem bellum in Ol. 84, 4 incidit. Et memoriae prodiderat, orationem, qua Cimo Atheniensibus persuasit, ut Lacedaemoniis adversus Helotes auxilium mitterent. Id. Cim. 16. Mortuus est, antequam Aristophanes docuit Pacem, id est, ante Ol. 90, 2. In hac enim fabula interroganti cuidam, verene locum inter stellas teneant mortui, Voss. ad Virg. Georg. T. I. p. 58, vulgarem opinionem probat Trygaeus, cumque argumentum adversarius postulet ac porro interroget, quis hominum occupaverit eam sedem, Ionem Chium exempli gratia nominat 835:

Ἴων ὁ Χῖος, ὅσπερ ἐποίησεν πάλαι
ἐνθάδε τὸν Ἀοῖόν ποθ', ὡς δ' ἦλθ', εὐθέως
Ἀοῖον αὐτὸν πάντες ἐκάλουν ἀστέρα.

Nam is fecerat dithyrambum, Scholiasta teste, ita exorsus:

Ἀοῖον ἀεροφοίταν ἀστέρα κ. τ. λ.

Qui cum nimia sublimitate atque verborum tumore excelleret, quoniam antiqui libros a primo eorum verbo nominabant, Jons. de Script. Hist. Ph. II, 5, 7. Passow. ad Pers. Sat. I, 96, accidit, ut aequales facete poëtam Ἀοῖον vocarent. Itaque Aristophanes hoc nomine utitur, ut Ionem inter stellas relatum esse confirmet, non quo vivum hominem in numerum coelestium corporum probet abiisse, sed id tantum argumentandi ratione ludens, ut nomen, quod a carmine vivus acceperat, id propter mutationem, quam sit post mortem expertus, poëta habere videatur. Quocirca recte Scholiasta: φαίνεται δὲ τετελευτηκὼς ἐκ τούτων. Atque hoc Bentlejo Opusc. p. 496 et Welckero Trag. Gr. P. III. p. 940 probavit. Nam epigramma, quo Io mortem Euripidis deploravisse fertur, Antholog. Gr. III, 26, haud dubie spurium est atque homini debetur nequaquam annorum gnaro, quibus vitam hujus assignamus. Attamen haec temporis computatio, quamvis illustribus testimoniis atque rationibus firmata, omnino refelleretur necesse esset, si esset id verum, quod plurimi asseverant, huic partes a Platone datas esse, quas Io Socraticus in eo dialogo habet, quo de rhapsodorum munere disputatur. Est enim haec sententia Lil. Gyraldi, Jul. Scaligeri Poët. I, 46, Delrii, Menagii, Flor. Christiani Commentar. ad Aristoph. Pac. 835. Miramur vero Leonem Allatium, exprobrantem Gyraldo, quod talia nullo argumento sibi persuasisset. Nam verba Suidae

s. v. διθυραμβοδιδάσκαλος . . . καὶ Σωκράτους τοῦ φιλοσόφου ἐστὶ λόγος εἰς αὐτόν· de hoc ipso sermone debent intelligi. Nec multum ratio Jonsii de Script. Hist. Ph. II, 13, 4 valet, tragicum poëtam multo antiquiorem Socrate fuisse putantis, quod Io, cum primam fabulam docuerit, viginti annis ante Socratem natum in scenam prodierit, Ol. 72. Scilicet is falso annorum numero nititur, ut supra docuimus. At opposuit longe alia Bentlejus, quae nullum dubitationi locum relinquunt, ut rhapsodum Platonis a tragico poëta patria, genere, fortunis, ingenio, studiis moribusque diversum fuisse demonstraret. Nam Io, tragoediarum scriptor, Chius, rhapsodus Ephesius fuit, ut Socrates initio sermonis, illum interrogans: *Πόθεν*, inquit, *τὰ νῦν ἡμῖν ἐπιδεδήμηκας; ἢ οἴκοθεν, ἢ ἐξ Ἐφέσου;* Ille loco honesto natus, patrem habuit, cujus nomen non erat obscurum; sed Ephesius, si non fuisset ignobilis, nec sordidum quaestum fecisset, neque artem in contemptionem omnium adductam exercuisset. Nitsch. Prolegom. ad Plat. Ion. c. 2. p. 4. Groen van Prinsterer Prosopograph. Platon. p. 168. Sunt indicia, e quibus divitias Chii cognoscimus; at pauper rhapsodus fingitur. Hic nihil se nisi carmina Homeri callere fatetur; ille vero magnis amplisque poësis studiis clarus et philosophiae et historiae multum operae navavit.

Hunc tam nobilitate generis, quam opibus excelluisse contendimus. Nam in eo quaedam gloria familiae comparet, quod, quanquam ipse peregrinus fuit, tamen patrem et nomine et cognomine notum habuit, qui honestissimorum hospitio civium utebatur. Nisi vero ditissimus fuisset, non potuisset unicuique Atheniensium singulos cados Chii vini ad victoriam tragoediae celebrandam donare. Cum admodum juvenis esset, Athenas pervenit, ibique in aedibus Laomedontis Cimonem et vidit et admiratus est. Plut. Cim. 9: *συνδειπνῆσαι δὲ τῷ Κίμωνί φησιν ὁ Ἴων, παντάπασιν μειράκιον ἥκων εἰς Ἀθήνας ἐκ Χίου, παρὰ Λαομέδοντι.* Nihilominus post in consuetudinem ejus, quem plurimi fecit, si modo potuit, sese cupidius dedisse videtur, quippe cujus urbanitatem, comitatem, politissimos mores magnopere laudaret. Plut. Pericl. 5: *Ἴων . . . . ἐπαινεῖ δὲ τὸ Κίμωνος ἐμμελὲς καὶ ὑγρὸν καὶ μεμουσωμένον ἐν ταῖς περιφοραῖς.* At superbia atque insolentia Periclis magnopere ei displicuit. Plut. Pericl. l. l.: *Ἴων μοθωνικήν φησι τὴν*

ὁμιλίαν καὶ ὑπότυφον εἶναι τοῦ Περικλέους καὶ ταῖς μεγαλαυχίαις αὐτοῦ πολλὴν ὑπεροψίαν ἀναμεμῖχθαι καὶ περιφρόνησιν τῶν ἄλλων. Quocirca cum alterum odisset alterumque diligeret, fieri potuit, ut in acerrima eorum contentione partes Cimonis defenderet. Nam ita facilius caussa explicatur, quam nimis argute Plutarchus in hominis arte positam fuisse existimat. In patriam aut Ol. 84, 4, aut Ol. 85, 1 redierat. Quam nisi semel atque iterum vel civium amore repetiit, vel administrationem rei familiaris inspecturus, in mentem cujuspiam venire cogitatio posset, eum post mortem Cimonis Athenas reliquisse neque ante rediisse, quam Pericles decessit Ol. 88, 1, quoniam tragoediam Ol. 88, 4 denuo docuisse fertur. Sed in eo magna vis ingenii atque fecunditas fuit, ut, quamvis studium in magna scientiarum artiumque copia collocasset, plus tamen, quam mediocritatem assecutus, insigne nomen haberet. Schol. ad Aristoph. Pac. 835: περιβόητος δὲ ἐγένετο. Ac tragoediis quidem cum praestantissimis contendens aemulis aut vicit, aut praecipuum locum obtinuit. Cum victoriam aliquando tragoedia reportasset, aut uno eodemque die tam hoc genere scenico, quam dithyrambo vicisset, in sollemnibus, quibus victores inter Graecos celebrare diem consueverant, cunctis civibus ad epulas advocatis, cadum Chii vini, quod praestantissimum habebatur, proposuisse fertur ejusque regalis munificentiae memoria diutissime tenuit. Nam Athenaeus I. p. 3: ὁ δὲ Χῖος Ἴων, τραγῳδίαν νικήσας Ἀθήνησιν, ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων ἔδωκε Χῖον κεράμιον. Ac similiter Suidas s. v. Ἀθήναιος... Καὶ ὁ Χῖος Ἴων, τραγῳδίαν νικήσας Ἀθήνησιν, ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων ἔδωκε Χῖον κεράμιον; nam is Athenaeum aperte ob oculos habuit. Sed Scholiasta Aristophanis l. l.: φασὶ δὲ, αὐτὸν ὁμοῦ διθύραμβον καὶ τραγῳδίαν ἀγωνισάμενον Ἀθήνησι καὶ νικήσαντα ἑκάστῳ τῶν Ἀθηναίων δοῦναι Χῖον κεράμιον. Ubi codex Venetus: εὐνοίας χάριν προῖκα Χῖον οἶνον πέμψαι Ἀθηναίοις. Quae narrationes ut discrepant inter se de victoriarum numero, sic facilius possunt componi, cum rem plenius a Scholiasta narratam esse censemus, idque hoc verisimilius est, propterea quod duplicem victoriam Atheniensibus tanta liberalitate facilius poterat remunerari, quam si vulgare tragicorum praemium acceperat. At mirabile sane donum esset largitus, si cuilibet civium dulcem potum dedis-

set, aut e patria misisset Athenas, quemadmodum apud Scholiastam in libro Veneto legimus. Ergo de ἐπινικίοις cogitemus. Wolf. ad Plat. Symp. I, 6. Illud autem recte Bentlejus, quod Χῖον κεράμιον cadum Chii vini fuisse arbitratur. Opuscul. p. 494. Contra Barthelemio Voyage du jeune Anach. Chap. 69 placuit, de raro quodam ac praestante genere cadorum cogitare, quod, ut egregium artificii specimen, a Chiis vulgo fabricatum Atheniensibus donavisset. Sed vereor, ut incolae ejus insulae insignem unquam vasa fictilia faciendi habuerint artem; et si eam habuerunt, quamvis magnum pulchritudinis artisque sensum tribuerim Atheniensibus, eos tamen dulcedine egregii potus certius capi potuisse, unusquisque consentiet, quam vasorum miraculo, utcunque haec ornata cogitantur. Sed ut refutentur ista, longiore oratione non eget. Amicum huic Aeschylum fuisse e Plutarcho de Prof. Virt. Sent. 8 apparet. Et vino et amoribus admodum deditus fuit. Athen. X. p. 436 F. Ostendit vero, ne multis quidem annis post mortem ejus fabulas in oblivionem venisse, quod chorus in Aristophanis Ranis toto ex Ionis Phoenice versiculo utitur. Ran. 1472. Neque ab Alexandrinis contemptus ac plane despectus est; nam ut praestantissimo poëtarum generi eum adscripserunt, quod canonem effecit, sic multum operae in vita operibusque ejus illustrandis collocarunt. Apud Athenaeum XIV. p. 634 C. explicatio Aristarchi proponitur, qua locutionem in satyrica Ionis fabula interpretatus est. Quodsi jam verum est, quod Stoeckerus Disput. de Soph. et Aristoph. interpret. p. 7 conjicit, commentarios Didymi, ἀντεξηγήσεις (τὰς πρὸς Ἴωνα) Athen. XIV. p. 634 C. vocatos, adversus illum criticorum principem scriptos fuisse, Aristarchus tragoedias Ionis commentariis illustraverat eosque haud dubie ἐξηγήσεις πρὸς Ἴωνα vocaverat. Simili autem libro Didymi fuit nomen, quod diximus, ἀντεξηγήσεις πρὸς Ἴωνα; nam alibi cum Athenaeus eundem laudet, Athen. XI. p. 468 D: φησὶν ὁ Δίδυμος ἐν τῷ τοῦ δράματος ἐξηγητικῷ, aperte non tam titulum, quam argumentum operis significat. Explicatio denique vocabuli ex Ionis fabula servati Epigeni cuidam tribuitur. Athen. l. l. Qui quidem si fuit interpres, quem carmina Orphei explicavisse dicunt, vide Clem. Alexand. ap. Bentlej. Opusc. p. 509, dubium non est, quin commentarium in Ionis opera scripserit,

ex quo sua hauserit Athenaeus. Hoc autem Bentlejus Opusc. l. l., Urlichsius Fragm. Achaei p. 6, Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 941 pro certo affirmarunt. Nihilominus Bato Sinopensis, Jons. de Script. Hist. Ph. II, 13, 4, de poëtae gloria optime meritus est, peculiari libello vitam ejus exponens. Athen. X. p. 436 F.

Etiamsi aetas hujus nullis veterum testimoniis esset declarata, tamen ex magna operum, quae scripsit, multitudine ac varietate quispiam eum non procul ab illo tempore abfuisse suspicaretur, quo singuli apud Graecos homines, non singulas artes tractare, sed doctrinam, quantacunque tum vel seclusa vel aperta fuit, comprehendere ac mentibus informare coeperunt. Nam alia versibus panxit, alia verbis solutis scripsit, eaque fecunditas praeter summam ingenii indolem verasque operum virtutes magnam laudem nominisque celebritatem videtur ipsi attulisse. Callimachus quidem in choliambis, ut rem aut Ionis aetate, aut per omne antiquitatis spatium memorabilem extulerat: ὅτι πολλὰ ἔγραψε. Suid. s. v. διθυραμβοδιδάσκαλος. Et Scholiasta comici l. l. nomen ejus illustre perhibet: περιβόητός δὲ ἐγένετο. Harpocratio autem, antiquam operum divisionem, a grammaticis profectam, qui vel fabulas ejus, vel vitam illustraverant, secutus, ei melica carmina, tragoedias philosophicumque opus attribuit: ἔγραψε δὲ μέλη πολλὰ καὶ τραγῳδίας καὶ φιλόσοφόν τι σύγγραμμα. Ex eadem divisione apud Suidam s. v. λυρικὸς, τραγικὸς καὶ φιλόσοφος appellatur. Jam ut tragoedias silentio praetermittamus, Scholiasta Pacis 835 ed. Kust. hunc non modo scriptorem dithyramborum dicit, sed etiam singula melicorum carminum genera, quae confecit, bene dinumerat: ἔγραψε δὲ καὶ ἐπιγράμματα καὶ παιᾶνας καὶ ὕμνους καὶ σκόλια καὶ ἐλεγεῖα. Harpocratio ex illis operibus, quae versibus non erant adstricta, philosophicum scriptum nominatim commemorat, cujus titulus aliis in libris aliter legitur. Ut ap. Clem. Alexand. Strom. I. p. 333 ed. Sylb.: Ἴων δὲ ὁ Χῖος ἐν τοῖς τριγράμμοις. Corruptior est forma, quam Diogenes L. VIII, 1, 5: Ἴων δὲ ὁ Χῖος ἐν τοῖς τριαγίνοις habet. Tertium diversitatis genus neque Eudocia p. 318, neque Suidas s. v. τριασμ. depulit, cum in plurimis libris τριασμοὺς inveniamus. Sed Casaubonus scripturam Diogenis recte emendavit, medicina ab Harpocratione pe-

tita, cum is et duas nominis formas paullum discrepantes memoret et alteram illam τριαγμοὶ a Demetrio Scepsio atque Apollonide Nicaeo probatam esse confirmet: *καὶ φιλόσοφόν τι σύγγραμμα, τὸν Τριαγμὸν ἐπιγραφόμενον .... ἐν ἐνίοις δὲ καὶ πληθυντικῶς ἐπιγράφεται Τριαγμοὶ, καθὰ Δημήτριος ὁ Σκήψιος καὶ Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεύς.* Hic vero, cum liber Vratislaviensis τὸ τραγικὸν pro τὸν τριαγμὸν habeat, ipse tenor sententiae, veram emendationem in novissima editione propositam esse, suadet. Pari modo de scriptore hujus libri inter veteres magna dissensio fuit. Nam etsi plerique eum Ioni videntur adscripsisse, ut omnia testimonia satis declarant, tamen non defuerunt, qui de Epigene cogitarent, Callimach. ap. Harpocrat. s. v. *σύγγραμα .... ὅπερ Καλλίμαχος ἀντιλέγεσθαί φησιν, ὡς Ἐπιγένους,* aut Orpheo. Suid. s. v. Eudoc. l. l. Nos igitur Bentlejum Opusc. p. 509 facile sequimur, hoc opus Ionis fuisse arbitratum, confirmati eo, quod in hac sententia omnis antiquitas fuit, neque alii nisi critici homines iique pauci dissenserunt. Erat autem hoc libro, quemadmodum pars exordii ap. Harpocrationem ostendit, naturam rerum e conjunctione trium principiorum deducere conatus, quorum primum mentem, alterum robur, tertium fortunam esse existimavit. Pervenimus nunc ad historicos libros, ab Harpocratione mirabiliter omissos, cum is cetera, quae scripsit, diligenter atque copiose recenseat. Scholiasta l. l., nominatis carminibus: *καὶ καταλογάδην τὸν πρεσβευτικὸν λεγόμενον, ὃν νόθον ἀξιοῦσί τινες καὶ οὐχὶ αὐτοῦ. φαίνεται δὲ αὐτοῦ καὶ κτίσις καὶ κοσμολογικὸς καὶ ὑπομνήματα καὶ ἄλλα τινά.* Pro *φαίνεται* liber Venetus *φέρεται* habet. Quae ubi diutius consideraverimus, de scriptis, quae nomen Ionis ferebant, inter veteres magnam discrepantiam fuisse apparebit; idque nihilominus tam silentium Harpocrationis, quam indicia disceptationis ab iis institutae ostendunt, qui Triagmorum scriptorem nomenque varie perhibuerunt. Sed ex titulo *Κοσμολογικός* a Scholiasta librum vocari concludimus, qui alias *Τριαγμοί* appellatus est; nam illud nomen argumentum indicat, hoc vero interiorem operis rationem. Origines Chiorum explicavit eumque librum *κτίσιν Χίου* appellavit. Schol. ad l. l. Bene igitur Bentlejus ap. Etym. Magn. s. v. *λόγχας μερίδας Ἴωνες λέγουσιν. Ἴων ἐν Κίου κτήσει* restituit. Fragmentum, quod inde Pausanias

VII, 4, 6 habet, declarat, eum res patriae inde ab antiquissimis temporibus enarrantem ne mythis quidem abstinuisse. Porro multa ex hujus scriptis narrantur, quae, si memoriae prodidit, cum fierent, suis oculis auribusque cognoverat. Cf. Plutarch. Pericl. 5, 28; Cim. 9, 16. Diogen. L. II, 5, 7. Quae in ὑπομνήμασιν certe perscripserat. Athenaeus III. p. 93 A, 107 A, XIII. p. 603 ἐπιδημίας laudat. Qui liber aut nomen a Julio Polluc. II, 88 laudatum, de quo supra diximus, aut partem ita inscriptam habuit. Praeprimis nunc nobis explorandum est, utrum in solo tragico, an utroque genere scenico operam collocarit. Comoedias enim ab Ione scriptas fuisse, Scholiasta l. l. ἔγραψε δὲ κωμῳδίας, et Suidas s. v. διθυραμβοδιδάσκ. . . ἔγραψε δὲ κωμῳδίαν scribunt. Quemadmodum vero cuncta, in quibus cum Suida facit Scholiasta, ex mente hujus profecta videntur, ut non duorum testium, sed unius testimonio vel narratio, vel etiam judicium qualecunque nitatur; sic omnia, quae Suidas l. l. habet, haud dubie ex scholiis fluxerunt, cum ad locum Aristophanis plane pertineant. Sed qualem doctrinam tandem grammaticus professus est? Scilicet is locus, quo ludibrium comici a Scholiasta ad Pacem exponitur, unius vetusti interpretis non debet videri; sed alius verba Ἴων ὁ Χῖος . . . . . ἐγένετο subjecit, alius opera hujus dinumeravit, alius denique, Athenaeum secutus, de victoria ac numero tragoediarum retulit, ut, qui fragmentum dithyrambi laudavit, antiquus ille ac fide dignus Scholiasta, idem Ionem haudquaquam comicum numerasse videatur. Quam diversam loci originem, quum duplex illa de gloria hujus sententia περιβόητος δὲ ἐγένετο . . . . καὶ πάνυ δόκιμος ἦν, tum ipsa verborum series ostendit, propterea quod antiquus interpres, quae in usum hujus loci cadunt, ad rectioris explicationis regulas comprehendit, cetera autem non modo suum locum non obtinent, sed ne idoneo quidem vinculo inter se conjunguntur. Satis habuit primus Scholiasta, dinumerare genera poësis, quibus Io excelluit; hoc singulas ejus species commemorat. At si id recte facere voluit, quomodo tragoedias, praeclarissimum illud genus, omittere potuit? Nam plenum carminum numerum proponere, neque eum ita instituere voluit, ut superiora luculentius illustraret. Quare dubitamus, num comoedias scripserit, partim quod Graecis id moris fuit, ut singuli poëtae non laborarent in utroque poësis

genere, partim quod ceteri scriptores, qui mentionem fecerunt Ionis, e scenico genere tragoedias tantum memorarunt ipsumque poëtam tragicum dixerunt, partim quoniam in antiquis libris saepenumero similiter erratum est. Namque hoc nomine apud Suid. s. v. Ἴων τραγικός, Athen. VII. p. 318, Schol. ad Aristoph. Pac. 835: τραγῳδίας ποιητής, Pausan. VII, 4, 6: Ἴωνι δὲ, τῷ ποιήσαντι τραγῳδίαν, Sext. Empir. adv. Mathem. II, 24 ed. Fabr. τραγικός, Strabo XIV. p. 645: Ἴων τε ὁ τραγικός, Harpocrat. s. v. Ἴων .... Ἴωνος, τοῦ τῆς τραγῳδίας ποιητοῦ, Eustath. ad Hom. Od. p. 1479: Ἴων δὲ ὁ τραγικὸς laudatur.

Sed jam de ipsis dicetur hujus tragoediis. Mirum est, quod tribus locis legitur, ab aliis duodecim, aliis triginta, aliis quadraginta denique fabulas ei tributas esse, idque ea de caussa mirum, quod dissensio videtur vetusta fuisse eademque ex veterum scriptis de Ione ad nostram memoriam pervenisse. Schol. Pac. l. l. δράματα δὲ αὐτοῦ δώδεκα, οἱ δὲ τριάκοντα, ἄλλοι δὲ τεσσάρακοντά φασιν. Suid. s. v. Eudoc. p. 248. Unde quod in tanta fontium multitudine non potuerunt veteres dispicere, id sequitur a nobis nequidquam exploratum iri. Sed undecim sunt fabulae, quarum nomina, vel reliquias cognovimus. Nam primo loco Agamemnonem nominemus, ab Athen. XI. p. 468 C, Eustath. ad Hom. p. 1301, Stob. Serm. Tit. 120, 16, Hesych. s. vv. ἱππικὸν χλῖδος, πεδανῷ ὕπνῳ, Scholiast. ad Aristoph. Av. 1110 citatum. — Alcmena. Hesych. s. v. καταφράκτοις ψυχαῖς. Altero loco, ubi idem grammaticus eandem fabulam laudat s. v. αὐτάγετοι, ἀγάμεναι ἑαυτὰς καὶ θαυμαστικῶς ἔχουσαι ἑαυτῶν. Ἴων Ἀλκμήνῃ, Albertius, plurimis assentientibus, nomen Ἀλκμήνῃ restituit, cum in libris Ἀλκαρημήνῃ perperam legeretur. Jul. Polluc. X, 23: ἐν δὲ τῇ Ἴωνος Ἀλκμήνῃ, ὃ εἰς τὴν τῆς τροφῆς παρασκευὴν ἦν, θυλακίσκη ὠνόμασται. — Argivi. Fragmentum, quod inde Hesychius s. v. σαρόν habet, egregie Hemsterhusius ad Lucian. Timon. p. 145 correxit. — Eurytidae. Quod nomen cum esset rarissimum, quanquam plurimis in libris mirifice depravatum est, tamen emendatio, qua id ubique editores refecerunt, in dubitationem nequit vocari. In codd. Hesych. s. v. ἰήϊος Ἐρυτίδαι legitur. Postquam Schraderus Ἐρωτίδαις scripsit, quod nescio num possit omnino probari, Isaacus

Vossius *Εὐρυτίδαι* emendandum existimavit, eamque lectionem Bentlejo Opusc. p. 502 probatam Albertius bene recepit. Forma *Εὐρύτιδες* ap. Hesych. s. v. inde nata est, quod vocales *αι* et *ε* magnam soni similitudinem habent. Est autem ex Bentleji, Opusc. p. 503, atque Albertii l. l. sententia *Εὐρυτίδαις* legendum et *οἷον* in *Ἴων* mutandum, ut locus ita emendatus exsistat: *ἀθίκτορας, ἀνεπάφους παρθένους, ἀνάνδρους. Ἴων Εὐρύτιδες.* Pari modo Bentlejus Hesychio s. v. *κυδρός*, cum locus perquam corruptus esset, verum poëtae fabulaeque nomen vindicavit. Item Casaubonus apud Athenaeum XI. p. 495 B. *Εὐρυτίδαις* pro *Εὐρυτίδῃ* edidit. — Laertem Athenaeus VI. p. 267 D. laudat. — *Μέγα δρᾶμα* Hesych. s. vv. *μελάγχετον, ὀνοταζομένῃ*; Phot. Lex. p. 339; Jul. Poll. X, 46. — Omphalam, satyricam fabulam, citant Athen. VI. p. 258 F, X. p. 411 B, p. 498 E, p. 501 F, XIV. p. 634 C, XV. p. 690 B; Strabo I, 3. (Valcken. Diatr. p. 144. b); Schol. ad Aristoph. Av. 1681; Jul. Poll. V, 16; Harpocrat. s. v. *θίασος*, Phot. p. 10, Hesych. s. vv. *ἐῤῥωπίζομεν, μαγάδεις, μεσομφάλους, σπίλον*. Phot. Lex. p. 34. Etym. Magn. s. v. *πῖθι*. — Phoenix. Jul. Poll. IX. p. 473: *Ἴων δὲ ἐν Φοίνικι*. Sed Athenaeus III. p. 91 D. (Zenob. Cent. V, 68, Plut. de Sollert. Anim. 16, Grot. Exc. p. 449, Valcken. ad Eurip. Phoeniss. 1185), IV. p. 184 F. (Eustath. p. 1479), X. p. 451 *Φοῖνιξ ἢ Καινεύς* habet. Unde ap. Schol. ad Aristoph. Ran. 716, ubi olim *τοῦτο Ἴωνός ἐστιν ἐκ Φοινίκης ἢ καὶ Οἰνέως* vulgatum erat, Bentlejus *Φοίνικος ἢ καὶ Καινέως* scripsit. At simpliciter Athenaeus VII. p. 318, 106, cum eandem tragoediam haud dubie vellet significare: *ὁ τραγικὸς ἐν Φοίνικι λέγων.* Sed *Φοῖνιξ δεύτερος*, opinor, non tam alia diversaque argumento fabula, sed altera ejusdem fabulae editio fuit, Athen. IV. p. 185 A, Hesych. s. v. *τιμαλφῆς*. — *Φρουροί.* Schol. ad Aristoph. Av. 1472, Schol. ad Platon. de Rep. VIII. p. 553, Hesych. s. vv. *κληϊτῆρα, νιφόεσσα Ἑλένῃ*. Phot. Lex. p. 301. Valde dubiam habemus Sopingii conjecturam, qui ap. Hesych. s. v. *Νυμφαῖον ὄχθον* pro *Ἴων ὁ πάρος* emendare voluit *Ἴων Φρουροῖς.* — Teucrum Hesychius s. vv. *ἄϊδροι* et *ἀμφιβώτης* bis laudat. — Idem citatur, quanquam non additis fabularum nominibus apud Athen. I. p. 21. Plutarch. de tranq. an. 3. Conviv. III, 2, de fac. in orb. lun. 16; Sext.

Empir. adv. Math. II, 24 (Hug. Grot. p. 449). Strab. VIII, 3, Eustath. p. 295, Jul. Poll. VII, 13, Schol. ad Eurip. Phoeniss. p. 219, 1166. Sunt alii loci apud Grot. l. l., quos vereor ut quis audaciam ingeniosi hominis secutus vindicare Ioni audeat.

Quemadmodum Aeschylus in delectu atque compositione fabularum, ratione superiorum poëtarum relicta, cyclia carmina maxime ob oculos habuit, utque propter similem artis naturam, aut fontem Sophocles Ὁμηρικὸς vocatus est, Athen. VII. p. 277 E: ἔχαιρε δὲ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, sic Ionem praecipue eas res subjecisse tragoediis animadvertimus, quas Homerus Iliade, aut Odyssea illustraverat, quaeque aliis celebratae erant carminibus, quae vulgo Homeri esse putabantur. Quod ea de caussa forsitan instituit, ut nomen Homeri, clarissimi civis, illustrius redderet, quem sive secta quaedam, sive gens Chiorum habebat gentilem, utque materiem aut integram novamque, aut a superioribus saltem non nimis tractatam nancisceretur. In Agamemnone enim, si res, quae Iliade continetur, explicata fuit, hoc insigne poëma respexit, sin is rixas, ante Iphigeniae devotionem Aulide ortas, adumbravit, ob oculos habuit Cypria. Argumentum Laërtis ex vigesimo quarto Odysseae libro desumpsit. Infortunium Phoenicis, quod tragoediae convenit, apud Hom. Iliad. IX, 434 enarratum est. Pari modo materiem Φρουρῶν, seu Graeci exercitus, seu Trojanae fuerunt vigiliae, ex nostra, aut parva Iliade petiit. Miserrimam Eurytidarum stragem, ab Homero Od. VIII, 224. XXI, 13. 38 commemoratam, Creophylus Homerico carmine exposuerat. Quod Teucro acciderat, parva Iliade narratum est.

Ubi Plutarchus judicium commemoravit, quod hic de moribus atque ingenio Cimonis et Periclis habuit, illumque ob comitatem ab eo plurimi ductum, hunc autem superbiae caussa contemptum esse narravit: ἀλλ' Ἴωνα μὲν, ὥσπερ τραγικὴν διδασκαλίαν ἀξιοῦντα τὴν ἀρετὴν ἔχειν τι πάντως καὶ σατυρικὸν μέρος ἐῶμεν. Plut. Pericl. 5. Unde, dummodo scriptor historicam veritatem in argumento servare voluerit, plurimi recte concluserunt, quod per se veri simillimum est, ab hoc ternas uno die fabulas in scenam esse delatas, quibus satyricum drama conjunctum esset. Welcker. Trag. Gr. p. 942. Sed neque ex verbis Plutarchi cognosco, nec propter temporis rationem persuaserim mihi, quod Müllerus Hist. Lit. Gr.

T. II. p. 181 asseverat, tragoedias ejus copulatas fuisse trilogiae, qualem Aeschylus coluit, vinculo. Nec constat, quod idem censet, Ionem in scena Aeschylo succedere voluisse. Sed dithyrambo narraverat, Antigonam atque Ismenam a Laomedonte, Eteoclis filio, in templo Junonis combustas esse. Aristoph. in Argument. Soph. Antig. Quod cum a vulgata Graecorum fabula recedat, non dubito, quin mythos pro necessitate poësis similiter in tragoediis etiam mutaverit. Welcker. l. l. p. 975.

Quanquam in tanta reliquiarum paucitate ac brevitate vix dicere licet, quomodo poëta res exornarit, tamen altam uberrimamque ejus indolem agnoscimus, quae nobili quodam forti pressoque dicendi genere conspicua fuit quaeque, cum dissolutam Euripidis loquacitatem fugiens Sophoclem quodammodo imitaretur, temperatam grandidatem ac majestatem vel iis in locis servavit, ubi propter ipsam rerum, de quibus dicitur, naturam simplicior oratio admitti poterat. Nam quae echini effigies naturae similior, aut ea praestantior potest cogitari, quam ap. Athen. III. p. 91 D. adumbrat:

ἀλλ' ἔν τε χέρσῳ τὰς λέοντος ᾔνεσα
ἢ τὰς ἐχίνου μᾶλλον οἰζυρὰς τέχνας,
ὃς εὖτ' ἂν ἄλλων κρεισσόνων ὁρμὴν μάθῃ,
στρόβιλος γὰρ ἀμφ' ἄκανθαν εἱλίξας δέμας
κεῖται δακεῖν τε καὶ θιγεῖν ἀμήχανος.

Num virtus viri vere prudentis prae consilii atque orationis sollertia, quae et per se consistit et ab omni virtute sejuncta, vel plane nudata est, laudari pulchrius potest, quam laudat eam poëta? Sext. Empir. adv. Mathem. II, 24:

οὐ γὰρ λόγοις Λάκαινα πυργοῦται πόλις,
ἀλλ' εὖτ' ἂν Ἄρης νεοχμὸς ἐμπέσῃ στρατῷ,
βουλὴ μὲν ἄρχει, χεὶρ δ' ἐπεξεργάζεται.

Et nescio quis ita praecipit servo, ut januam celerrime occludat, Athen. II. p. 267 D:

Οἴμοι δόμον, οἰκέτα, κλεῖσον ὑπόπτερος, μή τις
ἔλθῃ βροτῶν.

Alia pulcherrimae, vel magnificae orationis exempla, quae animum suaviter afficiant, hoc loco proponere omittimus. Quod in dithyrambis ei Aristophanes exprobrat, altum tumidumque dicendi genus longiorumque illum vocabulorum usum, in tragoediis quoque haud dubie adhibuit. Contra Longinus ille tam perspicax, quam eruditus literarum existimator, cum de vitiis agit, quibus optimi scriptores, magniloquentiam illi sectantes, plerumque scripta perdere soleant, de Sublim. 30: *τί δ' ἐν μέλεσι μᾶλλον ἂν εἶναι Βακχυλίδης ἕλοιο, ἢ Πίνδαρος; καὶ ἐν τραγῳδίᾳ Ἴων ὁ Χῖος ἢ νὴ Δία Σοφοκλῆς; ἐπειδὴ οἱ μὲν ἀδιάπτωτοι καὶ ἐν τῷ γλαφυρῷ πάντῃ κεκαλλιγραφημένοι, ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ Σοφοκλῆς, ὅτε μὲν πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ, σβέννυνται δ' ἀλόγως πολλάκις καὶ πίπτουσιν ἀτυ-*

χέστατα, ἢ οὐδεὶς ἂν εὖ φρονῶν ἑνὸς δράματος τοῦ Οἰδίποδος εἰς ταὐτὸ συνθεὶς τὰ Ἴωνος ἀντιμήσαιτο ἑξῆς; Quocirca in fabulis Ionis quanquam polita, artificiosa aequabilisque plerumque oratio fuit, tamen poëticus ille succus desiderabatur, ex quo ingeniosum artificem cognoscimus. Sed quo facilius eam ornatu gracili atque jucundo distingueret, neque audaces figuras admittere, neque novas voces effingere, neque eas, quae epicis carminibus propriae erant, in tragoediam recipere dubitavit. Sunt autem haec rarioris specimina usus, quae ob novitatem reliquit antiquitas. Animum hebetem κατάφρακτον dixit; quod nomen proprie de armorum tegumento Thucydid. I, 10, vel inclusione Soph. Antig. 958 adhibebatur. Hesych. s. v. καταφράκτοις ψυχαῖς, ταῖς ἐπεσκοτισμέναις καὶ μὴ τὸ μέλλον εἰδυίαις. Ἴων Ἀλκμήνῃ Juvenem μελαγχαίτην appellavit, tanquam is color capillorum juventutis omnino proprius esset. Nam vera mihi videtur lectio, quam Bentlejus Hesychio s. v. μελάγχετον: μεγάλῳ δράματι ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων· οἷον ἀκμάζουσαν restituit μελαγχαίταν· Ἴων Μεγάλῳ δράματι. Opusc. p. 497. Item ὀνοτάζεσθαι ad dirutionem transtulit, cum de conviciis vulgo diceretur. Hesych. s. v. ὀνοταζομένη, πορθουμένη· Ἴων Μεγάλῳ δράματι. Phot. Lex. p. 339. Levem somnum, qui gravi, vel alto opponitur, πεδανόν vocavit. Hesych. s. v. πεδανῷ ὕπνῳ, ἠπεδανῷ, κούφῳ. Ἴων Ἀγαμέμνονι. Gravius voce πυργοῦσθαι offendimur, quam de omni confirmationis genere usurpavit. Sext. Empir. adv. Mathem. II, 24. Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 125. Neque solum in conformatione novorum, sed etiam in mutatione vulgarium vocabulorum non omnes depulit proprietates Ionicae dialecti. Nam nominis αὐτάγητοι, quod pro αὐτάρεσκος, vel αὐθάδης adhibuit, nisi apud Anacreontem, alterum exemplum non exstat. Hesych. s. v. Pari modo πουλύπουν in dialogo, Athen. VII. p. 318; in aliqua chori parte, Schol. ad Aristoph. Ran. 706, πολιῆται dixit. Non facile multos scriptores Graecos melioris notae inveneris, qui cum Ione χλῖδος pro χλιδή, ἄϊδροι pro ἄϊδρεις, χελιδών masculino genere, ἀμφιβώτης pro περιβόητος, τιμαλφής pro ἔντιμος dixerint, qui virginem vocarint ἀθίκτορα, quique verbo ἐπεξεργάζεσθαι usi sint, quanquam hoc etiam Sophocles Antig. 1288 habet. Quae epicorum carminum propria fuerant, in tragoediam latiore usu recepit. Quemadmodum Homerus terras ζαθέους vocat, Hom. Il. I, 38; II, 520; Io vero hoc nomine pocula appellat. Athen. XI. p. 495 D. Procos et cyclopas, magna illos insolentia famosos, ὑπερφιάλους ille nuncupat; hic eandem proprietatem, ut fonti superbiae, vino tribuit. Athen. l. l. Item formam κυδρός habet a epicis.

DE

ACESTORE, ACHAEO II., ALCESTIDE

ALIISQUE POETIS.

Acestor. Ut plerosque tragicorum poëtarum saepenumero comoediis majorem infamiam, quam laudem suis operibus assecutos animadvertimus; sic ea, quae de aetate, vita, poësi Acestoris memoriae sunt prodita, cuncta vel comoediis vel fragmentis comicorum continentur. Is enim quinque poëtis ludibrio fuit, Aristophani Av. 31, Vesp. 1219, Calliae, Cratino, Eupolidi, Athen. VI. p. 237 A, Theopompo. Schol. ad Av. et Vesp. ll. ll. Jam Cratinus in eum ita invectus est, ut tragoedias ejus prius cogitatas habuisse videatur, quam ipse ultimam fabulam Ol. 89, 1, Lucian. Macrob. 25, dedit; Callias cum ab Ol. 89 usque ad Ol. 94, 3 floruit, Meinek. Hist. Crit. p. 213, tum *Πεδήταις*, quibus Acestorem agitavit, ante Ol. 92, 4, id est, ante illud tempus docuit, quod Euripides, eadem irrisus fabula, fertur apud Archelaum, regem Macedonum, in otio atque epularum dulcedine trivisse; Theopompus, aetati Aristophanis suppar, ut Suidas s. v. docet, ultra centesimam olympiadem vixisse atque in scena floruisse videtur, Meinek. l. l. p. 238; Aristophanes denique eundem primo Vespis Ol. 89, 2, dein Avibus Ol. 91, 2 perstrinxit. Quae cum ita sint, Acestorem ante Ol. 89, 1 Athenis tragoedias fecisse sequitur ibique usque ad Ol. 91, 2 esse commoratum.

Hunc natione Mysum fuisse, ex eo intelligitur, quod Theopompus tam ipsum Acestorem, quam patrem ejus Mysum appellavit. Nam Scholiasta cum eum Aristophanis locum Vesp. l. l., ubi hospes (*ξένος τις*) dicitur, tali modo explicet, ut nos quidem emendavimus: *ἐπεὶ καὶ αὐτὸν τὸν Ἀκέστορα* (*Ἀκέστερον*) *ξένον κωμῳδοῦσι, τὸν τραγικὸν* (*τῶν τραγικῶν*), *ὃς ἐκαλεῖτο Σάκας* (*Σάκος*). *Θεόπομπος Τισαμένῳ οὐ κοινῶς ξένον, ἀλλὰ Μυσόν*, ipsos Theopompi versiculos affert, quos numeris suis adstringere omittimus: *ὦ πολῖται, δεῖνα πάσχω! τίς πολίτης δ' ἐστὶ πλὴν ἄρ Σάκας* (*Ἀρσάκας*) *ὁ Μυσὸς καὶ τὸ Καλλίου νόθον.* Ac vetus Avium interpres l. l. *Θεόπομ-*

πος δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Σάκαν (Σάκα) προσηγόρευσε Τισαμένῳ. ὁ δὲ αὐτὸς καὶ Μυσὸν ἐκάλεσεν. Quare Aristophanes hunc appellavit, ut barbarum hospitem. Vesp. l. l. Illi autem, qui nomen Sacae eidem dederunt, ut Aristophanes, Callias, Theopompus, Aristoph. c. Schol. l. l., aut eam significationem vocabulo tribuerunt, ex qua Thraces, ad quos Mysi pertinebant, Strabo VII, 3: καὶ οἱ Μυσοὶ Θρᾷκες ὄντες καὶ αὐτοί, Sacae vocabantur, qui quidem laxior loquendi usus testimoniis grammaticorum constat, Schol. ad Av. l. l.: Σάκαι γὰρ Θρᾷκές εἰσιν. Suid. s. v. Σάκας . . καὶ Σάκαι ἔθνος Θρακικόν, aut Sacas, cum Bactrianam et fertilissimas Armeniae regiones tenuissent, deinde vero in Cappadociam ac Pontum transiissent, Strabo IX, 8, fines usque ad Aegaeum mare protulisse censuerunt [1]). Ubi vero pater seu literarum artiumque, seu humanitatis studio pervenit Athenas ibique mox oculos omnium in se convertit adeo, ut ludibria comoediae experiretur, ni forte cavillatio Theopompi maxime filium spectavit, Acestor, omni ope nequidquam contendens, ut jus civitatis sibi compararet, non tam favorem civium assecutus est, quam irrisionem comicorum acerbissimam. Nam Euelpides Aristophanis Av. l. l. longe aliud sibi, ait, aliud Acestori esse consilium, qui se, cum civis non esset, intruderet in civitatem, quam ipsi cives relinquerent. Porro ille, qui exclamanti cuidam civesque obtestanti apud Theopompum praeter Sacam Mysium et adulterinam Calliae progeniem nullum civem reperiri respondet, aut spem hujus deceptam, aut ipsum hominem deludere videtur indignum civitate, quam vere adeptus erat. Est illa denique vel vanitas, vel impudentia irrisionibus omnium subjecta, qui hospitem, ut vidimus, aut Mysum, aut Sacam nuncuparunt.

Cum vero maximam juvenum ac virorum multitudinem spectaret vitae genus valde dissolutum sequentem, sive innato bibendi furore, quem Thraces habuisse feruntur, Athen. X.

---

1) Apud Strabonem sunt versus Choerili, quos Naekius p. 121 excitat:

Μηλονόμοι τε Σάκαι, γενεῇ Σκύθαι· αὐτὰρ ἔναιον
Ἀσίδα· πυροφόρον· νομάδων γε μὲν ἦσαν ἄποικοι
ἀνθρώπων νομίμων.

Et Naekius p. 122 haec de Choerili usu: „Igitur Scythis proprie dictis, Europaeis, Choerilus opponit Sacas, Scythicum genus, sed Asianos."

p. 442 F. 447 E. XI. p. 481 D. Corn. Nep. Alcib. 11, abreptus, sive nobilissimos quosque Atheniensium in civitatis petitione hoc facilius amicos sibi redditum iri speravit, quo saepius ipse conviviis eorum interesset, et epulis commessationibusque vehementius serviit et consuetudine nequissimorum helluonum usus est. Nam Bdelycleo Vesp. 1219:

οἱ δὲ συμπόται
εἰσὶν Θέωρος, Αἰσχίνης, Φανὸς, Κλέων,
ξένος τις ἕτερος πρὸς κεφαλῆς, ἁ'κέστορος.

Ita recte Dindorfius emendavit locum, in quo nomen Ἀκέστερος, quoniam vetus quoque interpres legit, Schol. ad h. l. ἐπεὶ καὶ αὐτὸν Ἀκέστερον κ. τ. λ., exemplaria Canteri atque Kusteri, Christiano probante, retinuerant. Not. ad h. l. Hoc enim quid a voce ἀκέστωρ differt, qua medicum vulgo significant? Annon nomen Ἀκεστορίδης inde derivatum est, quod olim duo homines habuerunt, unus archon Atheniensis, Diodor. XI, 51, alter Corinthius quidam, ibid. XIX, 5, itemque Argivi gentiles Ἀκεστορίδαι appellati sunt? Et Acestorem, Ephippi filium, ab Achille necatum ferunt. Plut. Probl. 37. Id ipsum vero nomen huic fuisse, partim versus Eupolidis ap. Athen. VI. p. 236 E. relicti, in quos illa scriptura ne potest quidem propter indolem metrorum recipi, partim Scholiastae aliique grammatici ostendunt, quibus interpres, haud ita antiquus auctor, apud quem mendum invenimus, sine dubio longe postponendus est. Nam Schol. Av. οὗτός ἐστιν Ἀκέστωρ; eique Suidas et Photius l. l. assentiuntur. Sed neminem indoles hominum fugit, quibuscum eo loco Acestor comparatus est. Nam ingenium moresque Theori Scholiasta ad Aristoph. Vesp. 42 declarat; Aeschines autem quis fuerit, ex Vesp. 457, Av. 824 apparet. Ubi cum alia ad levitatem, licentiam, improbitatem eorum pertineant, alia ebriositatis indicia habeant, qua conjuncti hoc loco simul memorantur. Acestor autem non solum immoderati ad edendum bibendumque, sed etiam inepti ac parum urbani hominis famam subiit; qui cum epulis accumberet haberetque vel convivas, quibus cultissimi et omni humanitate perpoliti mores erant, vel morosiorem hospitem, aliquando barbaris facetiis adeo stomachum praesentium movit, ut et foras extruderetur et gravissimis afficeretur contumeliis. Eupol. Colac. ap. Athen. VI. p. 236 E:

εἶτ' ἐπὶ δεῖπνον ἐρχόμεσθ' ἄλλυδις ἄλλος ἡμῶν
μᾶζαν ἐπ' ἀλλόφυλον, οὗ δεῖ χαρίεντα πολλὰ
τὸν κόλακ' εὐθέως λέγειν, ἢ φέρεται θύραζε.
οἶδα δ' Ἀκέστορ' αὐτό, τὸν στιγματίαν παθόντα·
σκῶμμα γὰρ εἶπ' ἀσελγές, εἶτ' αὐτὸν ὁ παῖς θύραζε
ἐξαγαγὼν ἔχοντα κλοιὸν παρέδωκεν Οἰνεῖ.

Meinek. Fragm. Com. T. I. p. 484. Poëta, cui nil potius fuit, quam ut foedam, vel turpem poenae imaginem omnibus lineis absolveret, quam talis ganeonum turba mereretur, etsi totam narrationem sibi non finxit, nonnulla tamen videtur praeter veritatem adspersisse. Ut in eum, cum stigmatiam vocavit, notam fugitivi servi, non quod vere servus esset fugamque luisset, sed ea de caussa contulit, quia invidiam barbari generis susceperat, cum barbari vulgo in servitium assererentur illique in pessimo genere puerorum haberentur, qui fugientes domino perfidiam ostenderant [1]). Quis vero Acestorem fuisse collario vinctum, ut canes agrestes, sibi persuadebit? Vide Christian. ad Aristoph. Vesp. 892. Quem Oeneum habemus, qui Casaubono Not. ad Athen. l. l. aut commentariensis, aut publicus puer notae saevitiae visus est?

Sed haec Cratinus in Cleobulinis de poësi Acestoris:

Ἀκέστορα γὰρ ὅμως εἰκὸς λαβεῖν
πληγάς, ἐὰν μὴ συστρέφῃ τὰ πράγματα.

Schol. ad Av. 31: εἰς δὲ τὴν ποίησιν αὐτὸν κεχλευάκασι . . *Κρατῖνος ἐν Κλεοβούλοις.* Ubi quemadmodum nomen *Κλεοβουλίναις* pro *Κλεοβούλοις* recte Kusterus restituit; sic conjectura Meinekii συστρέψῃ scribentis Fragm. Com. Gr. T. I. p. 68 et laudabilis per se, et vitiosa lectione, quae est in libro Kusteri, σύστρεψε, valde commendari videtur. Sed expositio loci admodum obscuri propter ipsam ejus obscuritatem a Theodoro Bergkio Commentat. p. 119 perperam instituta est. Nam vocem πρᾶγμα unusquisque in scenica poësi ad argumentum fabulae retulerit; συστρέφεσθαι vero res dicuntur, quae spe-

1) Ipsi Thraces consueverant servos ac satellites notis compungere. Cic. de Offic. II, 7. Athen. XII. p. 524 D. Quare mihi non satis liquet, utrum hunc barbarorum morem, an illud, quod diximus, respexerit. Fortasse utrumque significavit. Nimirum tales notas Acestor habet, ut barbarus, itaque servis barbarorum ea re simillimus videtur.

ciem gyri sumentes arctioribus cancellis coarctantur. Ast. et Stallbaum. ad Plat. Remp. I. p. 336 B. Est igitur πρᾶγμα ἀναστρέφειν argumentum fabulae circumscribere suis limitibus. Acestor forsitan unus ex iis fuit, a quibus, quo facilius certiusque satiarent homines, in tragoedias aut alienissimas res translatas, aut longam mythorum seriem conjunctam esse demonstravimus. Sed quid fuit, quod eidem Callias objiceret, dicens:

Καὶ Σάκαν οἱ χοροὶ μισοῦσι.

Schol. ad Av. l. l.? Dubitari potest, utrum choro partes ab argumento atque compositione sejunctas dederit, an melica carmina vilissimam indolem totius poësis maxime declaraverint. An infelices demum conatus ita perstrinxit, quibus Acestor ab archonte nequidquam chorum publicum flagitaverat?

Achaeus II. De hoc Suidas s. v.: Ἀχαιός, Συρακούσιος τραγικός, νεώτερος· ἔγραψε τραγῳδίας ι'.

Alcestis. Quanquam literae artesque optimae eo magis vigent, ut in proverbiis est, quo majorem vel principum, vel totius populi favorem consecutae, iis, a quibus excoluntur, et honores et divitias suppeditant, eas tamen haud diu summum perfectionis gradum hac ipsa de caussa tenere dixerim, quod tantum commodis earum plurimi adducuntur, ut, cum mediocrem ingenii vim habeant, aut gloriae, aut rei quaerendae, quam veritatis studiosiores atque pulchritudinis multa proponere opera, neque ea, quae scripserint, perfecta relinquere studeant. Exsistit fere tum illud scriptorum genus, a quibus satirae Romanorum corruptas esse literas queruntur, cum incredibili audacia, vel negligentia regulas generi suo praescriptas violare conati sint. Quare narratio Valerii Maximi III, 7 de Alcestide tragico poëta, cum talem literaturae statum apud Graecos declaret, in summa brevitate frugifera est, etiamsi neque ingenium, neque poësin hominis depingit: „*Itaque etiam quod Alcestidi, tragico poëtae, respondit (Euripides), probabile. Apud quem cum quereretur, quod eo triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur: Sed hoc, inquit, interest, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient. Alterius enim secundi cursus scripta inter primas memoriae metas corruerunt, alterius cunctante stilo elucubratum opus per omne aevi tempus plenis gloriae velis feretur.*" Est autem haec festinatio, quam Horatius,

ut fontem vitiorum, in Lucilio reprehendit, quamque facile concedit Crispino aemulo. Sat. I, 4, 8. Neque vero Brodaeum audiamus, qui Miscell. IX, 23 pro Alcestidis nomine Alexidis putat legendum esse. Qui neque Alexidem duodecim fere annis post mortem Euripidis natum et vivum mortuumque in magno honore fuisse, neque opera adeo praeclara reliquisse, ut sero a Romanis legerentur, Gell. Noct. Attic. II, 23; neque Alcestidem, qui aequalis Euripidis fuit, tragoedias humillimas atque contemptas condidisse animadvertit, quae brevi periturae viderentur.

Antiphon. Rhamnusius, orator inprimis nobilis, cum Lacedaemonios adducere voluisset, ut pacem quibuscunque conditionibus facerent, proditionis accusatus et capitis damnatus et interfectus est. Nam quemadmodum Thucydides, quem auctorem unum pro multis habemus, tam crimen ejus, quam accusationem exponit et orationem, qua se defendere voluit, summis laudibus effert, VIII, 68, sic psephismatis, quo tantum hominem necari populus jussit, exemplar, a Thucydide omissum, ne memoria infamiae magistro diu superstes esset, ex historia Caecilii Pseudo-Plutarchus Vit. X Orat. habet, nec testes aut pauci, aut leves inveniuntur, qui tum eum vere interfectum fuisse tradant. Pseudo-Plut.: ἄταφος ἐῤῥίφη καὶ σὺν τοῖς ἐκγόνοις ἄτιμος ἐνεγράφη. Marcellin. Vit. Thucyd. Quae cum ita sint, duplex scriptorum genus errare constat, unum eorum, qui triginta tyrannos, alios, qui Dionysium seniorem, regem Syracusarum, supplicium de eo sumpsisse narrant. Caussa vero hujus erroris, ut solet, in similitudine nominum posita est. Nam fuit Antiphon, Lysidonidae filius, quem triginta viri interfecerunt. Xenoph. Hellen. II, 3. Quod cum Lysias in Oratione de Antiphontis filia et Theopompus quinto decimo Philippicarum historiarum libro narrassent, Pseudo-Plutarchus, quae de filio Lysidonidae legerat, de Rhamnusio scripsit itaque confirmavit testimoniis quasi auctores illi antiqui pariter ac graves de Rhamnusio, cujus mortem suis oculis conspexerant, tam falsam ipsi narrationem reliquissent. Pari modo illi, a quibus mors Antiphontis ad Dionysium tyrannum refertur, oratorem Atheniensem cum Syracusano poëta commutarunt. Scilicet ille dicitur legatus, cum dominatio tyranni maxime floreret, Syracusas venisse; ibi, quaestione inter epulas orta, quodnam aes

optimum esse videretur, illud dixisse, ex quo statuas Aristogitonis et Harmodii conflatas posuissent. Tum Dionysius, ne cives, simili libertatis laude in posterum excitati, imperium sibi eriperent, eum capitis fertur damnavisse. Alii hoc ei datum crimini voluerunt, quod importuna irrisione poëmatum superbiam tyranni laesisset. Pseudo-Plut.: *ἔστι δὲ καὶ ἄλλος λόγος περὶ τῆς τελευτῆς αὐτοῦ. πρεσβευτὴν γὰρ ὄντα αὐτὸν εἰς Συρακούσας πλεῦσαι, ἡνίκα ἤκμαζεν ἡ τοῦ προτέρου Διονυσίου τυραννίς. γενομένης δὲ παρὰ πότον ζητήσεως, τίς ἄριστός ἐστι χαλκὸς, καὶ τῶν πολλῶν διαφερομένων, αὐτὸν εἰπεῖν, ἄριστον εἶναι, ἐξ οὗ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων πεποίηνται. ταῦτο δ' ἀκούσαντα τὸν Διονύσιον καὶ ὑπονοήσαντα προτροπὴν εἰς ἐπίθεσιν εἶναι τὸ ῥηθὲν προστάξαι, ἀναιρεθῆναι αὐτόν. οἱ δὲ, ὅτι τὰς τραγῳδίας αὐτοῦ διέσυρε, χαλεπήναντα . . . . λέγεται δὲ τραγῳδίας συνθεῖναι καὶ ἰδίᾳ καὶ σὺν Διονυσίῳ, τῷ τυράννῳ*[1]. Eadem ab aliis scriptoribus memoriae sunt tradita. Quorum qui primus est, Philostratus, Vit. Soph. I, 15, Pseudo-Plutarchum sequitur; nam etsi de hac Rhamnusii morte, tanquam re certissima, loquitur veramque illam, quam probare poterat, narrationem omittit, omnibus tamen argumentis, quibus poëtam sibi ipsum perniciem parasse demonstrat, expositio Pseudo-Plutarchi accurate respondet. Porro Eudociam Violar. p. 59, eadem commemorantem, habuisse fidem Philostrato, Naek. Choeril. p. 185, 187, mihi admodum verisimile est, propterea quod de importuno pervicaciae usu, quo timorem et odium tyranni movit, similiter, ut auctor ille, disputat, nec non moralia quaedam praecepta ad ipsam narrationem accommodavit. Illa denique, quae Photius tradit, cum Pseudo-Plutarchi verbis mirabiliter congruunt, praeterquam quod, inverso rerum ordine, altera mortis caussa alterum locum obtinet, ut Photium, qui vestigia Pseudo-Plutarchi sexcenties pressit, Ruhnken. Hist. Crit. p. 312, ab eo, quae confirmat, habere arbitremur. Itaque ad unum scriptorem fides redit, quam testimonia quatuor testium postulant. Sed ne longius demonstremus, quot sua temeritate obcaecati, aut alienis erroribus deducti fuerint,

1) Judicium de optimo aeris genere Plutarchus De Discrim. Adul. et Amic. 27. Antiphonti assignat.

haud alium oratorem illum, alium poëtam esse viderunt, qui a Dionysio revera necatus est. Nam Antiphon quidam, ut Aristoteles Rhet. II, 6 testatur, a Dionysio capitis damnatus, cum alios, secum damnatos, obvolutis capitibus, ad mortem duci videret: *Τί ἐγκαλύπτεσθε; inquit, ἢ μὴ αὔριόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τούτων;* Quae nequaquam dubitamus, quin ad eundem pertineant, quem Aristoteles quinquies memorat, quemque modo poëtam vocat, modo scriptorem fabulae dicit, quae Meleager fuit inscripta. Quapropter constat, poëtam scenicum a Dionysio occisum esse. Hunc autem ab illis, qui Rhamnusium in Sicilia obiisse faciunt, cum oratore inconsideratius permutatum esse, inde colligitur, quod iidem fabulas tribuunt oratori, cum mortis genere simul studium poësis ad Rhamnusium referentes. Pseudo-Plutarchus enim addit: *λέγεται δὲ τραγῳδίας συνθεῖναι καὶ ἰδίᾳ, καὶ σὺν Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ.* Error igitur, in quo nostri homines versantur, de tragoediis Rhamnusii loquentes, inde tam derivandus, quam refellendus est. Vide Lil. Gyrald. p. 278, Delrium Prolegom. in Senec. IX, Vossium p. 42, Passow. Lineam. Gr. et Rom. Lit. Hist. p. 86. Nec vero defuerunt, qui oratorem a poëta discernerent, ut Taylorus Lect. Lysiac. VII, Jonsius Script. Hist. Ph. IV. p. 247, Spaanius De Antiphont. c. 4. p. 172, Fabricius Bibl. Gr. T. II. p. 284, Meinekius Hist. Crit. p. 514, Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1040.

Quae cum ita sint, de Antiphonte haec proponamus, a veritate nihil recedentia. Fuit Antiphon, tragicus poëta, quem, bello Carthaginiensium confecto, Dionysius Ol. 97, 4 arcessivit, ut in compositione fabularum sibi tam aemulus, quam adjutor esset. Idem indolem habuit libertatis amantissimam salibusque ita fecundam, ut, instante mortis periculo, teterrimum tyranni ingenium eosque, quibus quasi ministris crudelitatis utebatur, contemnere magis, quam vel mortem pertimescere, vel detrimentum vitae posset deplorare. Illud quoque ex Aristotele apparet, supplicium injuste de ipso sumptum esse. At vero de crimine, cujus a tyranno insimulatus est, scriptores nihil certi aut prodiderunt, aut resciverunt. Qui dissentientes hac in re, cum ipsi haberent nihil compertum, quoniam Dionysium et imperii amittendi metu et cupidine poëtici honoris flagrasse acceperant, caussam ejus mortis modo in liberioribus dicteriis,

modo in fabularum contemptione invenerunt. Diodor. XV, 6: *ἐκαυχᾶτο πολὺ μᾶλλον ἐπὶ τοῖς ποιήμασιν, ἢ τοῖς ἐν πολέμῳ κατορθώμασιν.* Itaque Antiphontem ob irrisam poësin necatum esse voluerunt, quemadmodum Philoxenus in lapidicinas missus est, ubi scenicis declamationibus regis denegavit favorem. Et similiter dictum ejus de optimo aeris genere, quo metum tyranno incussit, antiqui modo Diogenis Cynici, Diogen. Laërt. VI, 50, modo Platonis, Tzetz. Chil. V, 140, esse tradiderunt, hoc maxime spectantes, ut tale exemplar liberiorum dictionum assignarent iis, quorum moribus quodammodo conveniret. Tetetrimo supplicio necatus est, Plutarch. de Stoic. Repugn. 37. Ad quod Welckerus Ovidium Ib. 547 fortasse respexisse putat:

Utque Syracusio, praestricta fauce, poëtae,
Sic animae laqueo sit via clausa tuae.

Sed ubi errores, in quos incurrerunt, de morte hujus disputantes confutavimus, haud ita facile fabulas enumerare licet, propterea quod, nominibus Antiphontis tragici et Antiphanis, comici poëtae, inter se saepius commutatis, semper non liquet, utri horum fabulae, quae in controversiam veniunt, debeant assignari. Est igitur nobis a certis ad incerta progrediendum. Itaque Aristoteles laudat Andromacham Antiphontis. Aristot. Eth. Eudem. VII, 4: *σημεῖον δ' ἕλοιτ' ἂν ὁ φίλος μᾶλλον, εἰ μὴ ἐνδέχοιτ' ἄμφω, γινώσκειν ἢ γινώσκεσθαι, οἷον ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς αἱ γυναῖκες ποιοῦσι καὶ ἡ Ἀνδρομάχη ἡ Ἀντιφῶντος.* Idem semel atque iterum mentionem Meleagri facit. Rhet. II, 2: *τοῖς δὲ φίλοις ἐάν τε μὴ εὖ λέγωσιν ἢ ποιῶσι, καὶ ἔτι μᾶλλον ἐὰν τἀναντία καὶ ἐὰν μὴ αἰσθάνωνται δεομένων, ὥσπερ ὁ Ἀντιφῶντος Πλήξιππος τῷ Μελεάγρῳ· ὀλιγωρίας γὰρ τὸ μὴ αἰσθάνεσθαι σημεῖον· ὧν γὰρ φροντίζομεν, οὐ λανθάνει.* Ibid. 23: *καὶ τὸ ἐκ τοῦ Μελεάγρου τοῦ Ἀντιφῶντος:*

οὐχ ἵνα κτάνωσι θῆρ', ὅπως δὲ μάρτυρες
ἀρετῆς γένωνται Μελεάγρῳ πρὸς Ἑλλάδα.

Adrantus vero, quem alii vocant Adrastum, in commentariis, quibus morales libros Aristotelis ad Nicomachum illustraverat, de Plexippo copiose exposuit, qualem Antiphon hac in fabula finxerat. Athen. XV. p. 673: *ἐκδόντος γὰρ τούτου (Ἡφαιστίωνος) πέντε μὲν βιβλία περὶ τῶν παρὰ Θεοφράστῳ ἐν*

τοῖς περὶ ἠθῶν καθ' ἱστορίαν καὶ λέξιν ζητουμένων; ἔκτον δὲ περὶ τῶν ἐν τοῖς Ἠθικοῖς Νικομαχείοις Ἀριστοτέλους, ἐν οἷς ἀμφιλαφῶς παραθεμένου περὶ τοῦ παρὰ Ἀντιφῶντι, τῷ τραγῳδιοποιῷ, Πληξίππου καὶ πλεῖστα ὅσα καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ Ἀντιφῶντος εἰπόντος, σφετερισάμενος καὶ ταῦτ' ἐπέγραψέ τι βιβλίον περὶ τοῦ παρὰ Ξενοφῶντι ἐν τοῖς Ἀπομνημονεύμασιν Ἀντιφῶντος οὐδὲν ἴδιον προσεξευρών, ὥσπερ κὰν τῷ περὶ τοῦ λυγίνου στεφάνου. Itaque partes aliquas in fabula Plexippus habuit, frater Althaeae. Quid enim causae potuit habere grammaticus, ut de Plexippo tam copiose (ἀμφιλαφῶς) disputaret, si nuntius res ejus, vel mortem modo narrasset, sicut Welckerus P. III. p. 1043 existimat. Et non tam illud, quod dicebatur omnino Plexippus fecisse, quam effigiem ejus ac res, a tragico poëta repraesentatas uberius persecutus est. Non inepte Welckerus ibid. 1042 duo versus, qui haud procul ab illo fragmento apud Aristotelem Rhet. II, 23 citantur, cum eadem fabula conjungit:

καὶ σὸς μὲν οἰκτρὸς παῖδας ἀπολέσας πατήρ,
Οἰνεὺς δ' ἄρ' οὐχὶ κλεινὸν ἀπολέσας γόνον;

Jam Jul. Poll. X, 10 Meleagrum Antiphani tribuit: ἀλλὰ καὶ ἀσκοπυτίνη. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἄν τις εὕροι ἐν Ἀντιφάνους Μελεάγρῳ·

Ἀσκοπυτίνη τινὰ δίψους ἀρωγόν.

Sic perperam exemplar Basil. ann. 1536; alii ἀσκοπυτίνην legunt. Sed Ruhnken. ap. Spaan. de Antiph. p. 173 censet, Ἀντιφῶντος pro Ἀντιφάνους esse legendum, ut, quoniam Meleager Antiphanis alibi commemoratus non est, de cognomini tragoedia cogitemus, quam Aristoteles et Adrantus Antiphonti tribuerunt. Mirarer vero, si Pollux Antiphontem, tragicum poëtam, laudasset, cujus exigua apud veteres grammaticos memoria est. Praeterea non solum sententia, qualem quidem intelligimus, sed etiam compositio ususque rarissimae vocis ἀσκοπυτίνη aliquid comici habet. Accedit, quod Antiphanes argumenta fabularum maximam partem e mythico genere sumpsit. Meinek. Hist. Crit. Improbata igitur conjectura Ruhnkenii, ad sententiam Meinekii accedimus, cum in Antiphanis comoediis Meleagrum retulerit. Ἰάσονα Antiatticista Bekkeri Anecdot. Gr. T. I. p. 90, 5: διετίθουν: διετίθεσαν Ἀντιφῶν Ἰάσονι. Ruhnkenius ap. Jul. Poll. VII,

13: *Ἀντιφάνης δὲ φησιν ἐν Μηδείᾳ· ἦν χιτὼν ἀμόργινος* pro *Ἀντιφάνης* scribere *Ἀντιφῶν* voluit, quod uni huic fabulae Antiphontis duo fuissent nomina. Contra Meinekius dubiam levemque auctoritatem grammatici ducit, Iasonem laudantis. Hist. Crit. p. 316. Nos autem scripturam librorum servamus. Porro idem Antiatticista bis Adonin, ut fabulam Antiphontis, laudat. p. 77. 25: *ἀκληρίαν Ἀντιφάνης Ἀδώνιδι. ὁ αὐτὸς εὐκλήρωμα ἀντὶ τοῦ κατόρθωμα*, 80, 24: *ἀνὰ μέσον ἀντὶ τοῦ ἐν μέσῳ Ἀντιφάνης Ἀδώνιδι.* Quae quanquam in exemplari Bekkeri reperiuntur, neque is Annot. Crit. 1074, 1075 lectionem discrepare monet, tamen liber manu scriptus nomen Antiphontis a Bekkero sublatum tuetur; ut Spaanius l. l. p. 173 et Wyttenbachius ad Plut. Consol. Apollon. p. 103 C. referunt. Videtur autem ipse grammaticus parum sibi constitisse, quod paullo infra p. 103, 15: *καὶ ταύτην ἐπαιτιῶνται Ἀντιφάνης Ἀδώνιδι* Adonin in Antiphanis fabulis numerat. Quam dissensionem ut conciliaret quodammodo Ruhnkenius, prioribus locis medicinam ex hoc tertio admovendam ratus, ubique *Ἀντιφάνης* scripsit, idque non improbantibus viris, quos sequi consuevimus, Spaanio, Wyttenbachio, Bekkero, Meinekio H. C. p. 315. Verum enim res Adonidis non solum comici poëtae, in his Antiphanes, Meinek. H. C. p. 314, Ararotes ibid. p. 344, Nicophon p. 245, 256, Philiscus p. 423, Plato p. 167, sed etiam tragici duo iidemque reges tractandas sibi sumpserunt, unus Dionysius Siciliae tyrannus, de quo infra dicemus, alter Ptolemaeus Philopator. Schol. Ravenn. ad Aristoph. Thesm. 1059. Argumentum igitur, quamvis aptum comoediae, a natura tragoediae, quam recentiores coluerunt, alienum nequit haberi. Et Antiphanes, poëta valde conspicuus, qui in veterum scriptis saepe laudatus est, facilius cum Antiphonte confundi, quam nomen hujus pro illo recipi potuit. Asserimus autem rem maximi momenti, quod Dionysius fecit Adonin. Quem si Antiphon in fabularum compositione adjuvit et si eadem argumenta cum tyranno tractavit, ut ex Pseudo-Plutarcho et Photio colligimus, verisimile est, hunc prius Adonin scripsisse, quam rex materiem sibi novam in tragico genere magisque comoediae finitimam delegit. Apud Stobaeum CXV sunt versus Philoctetae, quos Meinekius H. C. p. 316 propter tragicum colorem Antiphonti assignat, quan-

quam nominatim Antiphani vindicantur. At Antiphon non fuit in illa poëtarum serie, a quibus sua desumpsit Stobaeus. Phot. Biblioth. 167, 76. Quare de his versibus non assentimur Meinekio, neque alia fragmenta, quot in libris Stobaei, Sermon. 51, 53, 78, 102, 106, 112 modo Antiphani, modo Antiphonti tribuuntur, e tragoediis hujus desumpta censemus, quamvis ea non modo rhythmorum, sed dictionis quoque genere magnam habeant comoediae similitudinem. Servavit autem unum ejus versum Aristoteles, Mechan. p. 847, 20, quem Arsenius Violar. p. 130 recepit quemque Grotius Excerpt. p. 962 mutavit. Item dubitari potest, annon hic fuerit poëta, quem cum aliis poëtis Photius Lex. p. 19 citat: *Ἑρμάν: ὑψηλὸς πέτρα· Ἀντιφῶν καὶ Ἀνακρέων καὶ Ἀριστοφάνης.*

Quodsi nunc ea, quae de poësi hujus collegimus, uno in conspectu ponuntur; Antiphon poëta nequaquam ignobilis fuit. Hunc enim Aristoteles saepius commemorat, tanquam omnibus illo tempore notus, omnibusque acceptus fuerit. Neque post in oblivionem venit. Nam Adranto, sive Adrasto, cujus opera, in Aristotelis explicatione collocata, aetatem Alexandrinorum nobis declarat, et ad manus et gravissimi momenti fuisse videtur. Cum Andromacham, Iasonem, Meleagrum fecit, sine dubio admiratione atque exemplari Euripidis ductus est. Nihilominus tragoediam, qua facinora Medeae continebantur, non a venefica muliere, ut Neophro utque Euripides, sed ab Iasone nominavit, ut suas vires expertus propriis virtutibus fabulas ornaret. Id enim, nisi compositione mutata, non fieri potuit. Idem studium persona Plexippi ostendit. Pari modo in Adonide ad novam materiem tractandam accessit. Adrantus cum, de moralibus Aristotelis libris scribens, in illam quaestionem de Plexippo esset delatus, quidquid disputavit, ad illustrationem ingenii ac morum, quales ea in fabula fingebantur, retulisse videtur. Caussa igitur, cur inde exempla petiit, in ubertate pariter atque constantia, qua effinxit, aut repraesentavit indolem personae, posita fuit; easque proprietates ceterae fabulae sine dubio habuerunt communes. Sunt oppositiones ap. Aristot. Rhet. II, 23 et Mechan. p. 847, quae illud acumen significant, de quo supra diximus. Quin suspicari licet, in oratione ejus similiter philosophicas et sophisticas artes fuisse cumulatas. Neque illud veremur, ne qua fortasse nugari videa-

mur, sicut ad dissimulantiam, acrimoniam, libertatis cupidinem regiaeque superbiae odium proclivis fuerit, ita eum et severa vitae praecepta, et libertatem fabulis admodum civibus commendasse putantes, ut Athenienses eo tempore postulabant. In quo neque gratia, neque metu tyranni est impeditus, propterea quod is ipse dominationem in tragica poësi vituperavit.

Aristarchus, tragoediarum scriptor, ap. Suidam s. v. *Ἀρίσταρχ. Τεγ.* et Scholiast. ad Soph. Oed. Colon. 1316 a patria Tegeates nominatus est. Aequalis Euripidis fuit. Suid. s. v. *οὗτος δὲ ὁ Ἀρίσταρχος σύγχρονος ἦν.* Quibus terminis convenit aetas, apud Eusebium declarata, qui ad Ol. 87. „Aristarchus tragoediographus, agnoscitur". Ad extremam aetatem pervenit, quia plus centum annos vixit. Suid. *βιοὺς ὑπὲρ ἔτη ρ'.* Cum gravi e morbo convaluisset, Aesculapio veterum more tragoediam *χαριστηρίου* loco sacravit. Per longum vitae tempus septuaginta tragoedias scripsit, Suid. *καὶ ἐδίδαξε μὲν τραγῳδίας*; victoriam bis reportavit. *ἐνίκησε δὲ δύο.* Fortasse primum illo anno vicit, quem Eusebius significat. Qui quidem numeri fabularum, victoriarum, temporisque, dummodo ex Atheniensium didascaliis relicti sint, hic, cum viveret Athenis suaeque poësis ederet specimina, cum Sophocle, Euripide, Achaeo, Ione contendens, nisi maximis excelluit laudibus, neque honorem, neque praemium nancisci potuisset. Quanquam explicatu longe difficillimum est, quid sit, quod neque apud Aristophanem, neque in ceteris comoediarum reliquiis commemoretur. An ducem fuisse censemus, quem cum Aristotele et Melanthio copiis praefectum, Thucydid. VIII, 98. Xenoph. Hellen. II, 3, 40, Eupolis irrisit. Schol. Ven. ad Hom. Il. V, 353? Dubitamus, num peregrino poëtae, cum is admodum senex esset, commiserint summam imperii. Quodsi autem a comicis vexatus non est, tragoedias, quamvis acceptas, neque in judicium, neque in mores populi magnam vim habuisse, aut in summo vitae candore poëtam vituperiis non obnoxium fuisse sequitur. Post vero fabulae hujus in theatris Magnae Graeciae adeo effloruerunt, ut non solum Ennius Achillem verterit, sed Plautus quoque aliquam ejus partem incluserit in prologum Poenuli. Quin **Isidorus** ap. Scaliger. ad Fest. s. v. prolatum p. 605 (ed. **Lindem.**): *„Tragoedias fere omnes ex Graecis transtulit Ennius, plurimas Euripidis, nonnullas Aristarchi."*

Sed primo loco inter fabulas Aristarchi nominemus Achillem. Cujus argumentum ubi Aeschylus Myrmidonibus explicavit, Carcinus, Cleophon, Diogenes aliique tragoediis exornarunt. Welcker. Trilog. p. 415—430, Trag. Gr. T. I. p. 33. Haud dubie eadem res, quam Ilias celebrat, eodemque ea modo composita fuit. Nam Scholiast. Gronov. ad Ciceron. Orat. pro Rosc. Amerin. p. 434: „*In Ennio haec fabula inducitur Achillis, quo tempore propter Briseidem cum Graecis pugnare noluit; quo etiam tempore Hector classem eorum incendit. In hac pugna Ulixes vulneratus inducitur et fugiens ad Achillem venit. Quum interrogaretur ab Ajace, cur fugisset, ille, ut celaret dedecus: Quis enim vulneratus ferro frugis?*" Sed Ennius Achillem Aristarchi verterat, ut Fest. (p. 242 ed. Müll.): „*Prolato aere astitit, Ennius Achillae in Aristarchi cum ait, significat clypeo ante se protento*" docet. Ubi recte „in Achille Aristarchi" emendant, cum Delrius Prol. in Senec. 9 nomen Ennii in Annii corruperit. Haec autem Ovidius Trist. II, 407, ubi enumeravit tragoedias, quae in amorum ludis maxime versentur:

Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes;
Vixque meus capiat nomina nuda liber.
Est et in obscenos deflexa tragoedia risus,
Multaque praeteriti verba pudoris habet
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
Infregisse suis fortia facta modis.

Ait igitur, innumerabiles esse fabulas, quibus amores exponantur easque obsceno quodam illitas esse colore, qui a severitate tragica longissime absit. Et quod maxime vim amoris in hoc poësis genere aperiat, Achilli, tametsi is fortis et asper homo fuerit, ut apud Homerum nequaquam desiderans Briseidem, sed propter honores ab Atrida sibi ereptos irascens fingitur, et honores tributos et ingenium ita commutatum esse, ut vir inprimis strenuus officia belli desereret. Nihilosecius fabula, quam Ovidius commemorat, et nota et accepta fuit. At Heumannus ap. Fabric. Biblioth. Gr. T. II. p. 287 de Achille Aristarchi cogitandum statuit; idque is non inconsiderate judicavit. Inter Romanos enim tres poëtae hoc argumentum tractarunt, quorum primus Livius Andronicus, alter Attius, tertius Ennius fuit, ut silentio praetermittamus Augustum, qui in cogitationem nequit venire. Atqui mentio Livii non potest in

illis versibus esse propter magnam obscuritatem, in qua nomen ejus tum temporis jacuit. Nam Cic. Brut. 18: *„Et Livianae fabulae non satis dignae, quae iterum legantur."* Et Attius, tametsi sufficit auctoritas ejus, Achille Myrmidonas Aeschyli expressit, qui neque de severitate quidquam, nec de excelso personarum ingenio detraxit. Nieberding. Ilias Homeri ab L. Attio in dramata conversa p. 3. Hermann. Opusc. T. III. p. 116. Quare restat tragoedia Aristarchi, quam Ennius Latine est interpretatus, de qua cogitare possimus. Ex ea versum Athenaeus XIII. s. fin. servavit. Item haec Plautus in prologo Poenuli:

Achillem Aristarchi mihi commentari lubet:
Inde mihi principium capiam ex ea tragoedia.
Sileteque et tacete atque animum advortite.
Audire jubet vos imperator histricus.

Altera, quam dedit, fabula *'Ασκλήπιος* fuit vocata. Suid. s. v. *'Αρίσταρχος Τεγεάτης, ὁ τῶν τραγῳδιῶν ποιητής, νοσεῖ τινα νόσον· εἶτα δὲ αὐτὸν ἰᾶται 'Ασκλήπιος καὶ προστάσσει χαριστήρια τῆς ὑγείας. Ὁ δὲ ποιητὴς τὸ δρᾶμα τὸ ὁμώνυμόν οἱ νέμει. Θεοὶ δὲ ὑγείας μὲν οὐκ ἄν ποτε μισθὸν αἰτήσαιεν, οὐδ' ἂν λάβοιεν. Ἢ πῶς ἄν; Εἴγε τὰ μέγιστα ἡμῖν φρενὶ φιλανθρώπῳ καὶ ἀγαθῇ παρέχουσι, προῖκα ἥλιόν τε ὁρᾶν καὶ τοῦ Θεοῦ τοῦ τοσούτου τοῦ παναρκοῦς ἀμισθὶ λαμβάνειν ἀκτῖνας καὶ χρῆσιν ὕδατος καὶ πυρὸς συντέχνου μυρίας ἐπιγονὰς καὶ ποικίλας ἅμα καὶ συνεργοὺς ἐπικουρίας καὶ ἀέρος σπᾶν καὶ ἔχειν τροφὴν ζωῆς τὸ ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα* (Ruhnken. ad Xenoph. Memorab. IV, 3, 8). *ἐθέλουσι δὲ ἄρα ἐν τοῖσδε τοῖς μικροῖς μήτε ἀχαρίστους εἶναι, μήτε ἀμνήμονας ἡμᾶς καὶ ἐν τούτοις ἀμείνονας ἀποφαίνοντες.* Itaque poëta, cum ex morbo convaluisset, Aesculapio, valetudinis tutori, qui per totam Peloponnesum religiosissime colebatur, tragoediam ab ipso nuncupatam obtulisse fertur. Aesculapius vero, quem Apollini alii ex Arsinoe, dicunt, alii ex Coronide genitum, Heyn. ad Apollodor. p. 693 [1]), medicinae peritia maxime excelluit. Nam, necessitate mortis sublata, in vitam mortuos

---

1) Si Asclepiades ea, quae in *τραγῳδουμένοις* de Aesculapio narraverat, ex Aristarchi fabula recepit, poëta haud dubie heroëm Arsinoës filium fecerat. Schol. ad Pind. Pyth. III, 54.

revocavit, in his Minoëm, Glaucum, Hygin. 94, Capaneum, Tyndareum, Schol. ad Pind. Pyth. III, 54. Hippolytum, Serv. ad Virg. Aen. VI, 398. Ovid. Fast. VI, 733. Quapropter a Plutone, id graviter ferente, accusatum, quod numerus mortuorum in dies decresceret, Juppiter fulmine trajecit, qui fatalem hominum conditionem [1]) mutari ab ullo homine nollet. Magna igitur similitudo inter Aesculapium et Prometheum fuit, qualem Aeschylus finxit. Nam cum maximo sui ipsius periculo utrumque numen ostendit benevolum hominibus animum, cum mala eorum aut levare, aut tollere conaretur [2]). Sed quippe cum haec mala conditione hominum nequaquam essent evitanda, sed fata eorum continerentur, naturam legesque rerum laedentes, iram aliorum numinum gravissimam suscitarunt. Nihilosecius hominibus praestiterunt benevolentiam, donec, a Jove percussi, mortem vehementer lugubrem oppetiverunt. Quae cum ita sint, Aristarchus res ac mortem Aesculapii eodem jure ornavit, quo merita Promethei ab Aeschylo celebrata sunt. Neque enim scio, num alia mythorum, qui de Asclepio ferebantur, pars satis conveniat tragoediae. Et duobus e comicis, qui eandem materiem delegerunt, quorum quidem unus Antiphanes, Athen. XI. p. 485 B, fuit, alter Philetaerus, Athen. VII. p. 342 A, p. 587 C, ille, quem primo loco nominavimus, ut Prometheus Aeschyli beneficia in homines collata longe exponit, sic Aesculapium facit vim artium suarum exponentem, ut appareat, eum in tragoedia, quam Antiphanes sumpsit deridendam, similiter enarrasse, de hominibus quam bene meritus sit:

Τὴν δὲ γραῦν τὴν ἀσθενοῦσαν πάνυ πάλαι τὴν βρυκτικὴν
ῥίζιον τρίψας τι μικρὸν δελεάσας τε γεννικῇ,
τὸ μέγεθος κοίλῃ λεπαστῇ, τοῦτ' ἐποίησ'.

De caussa, cur eum scripsisse fertur, cum Welckero potest dubitari. Fortasse hoc consilio fabulam fecit, ut theatrum Epidauri, in luco Aesculapii positum, quasi inauguraret; est enim

1) Scilicet hoc unum est malum, quo summa et sollertia et audacia nequit hominem liberare. Soph. Antigon. 361:

Ἅιδα μόνον
φεύξιν οὐκ ἐπάξεται.

2) Inprimis vultus ejus insignem ostendebat benevolentiam, qua de genere humano est optime meritus. Müller. Archaeolog. Art. p. 534.

id ille tempore exstructum. Welckerus Trag. Gr. P. III, p. 927. Simillima ratio Tantali fuit. Cujus nomen Grotius Exc. ex trag. et com. p. 441, cum in exemplari Canteri ap. Stob. Eclog. Ph. II, 1 corruptum legeretur 'Αριστάρχου ἐκ Τάλαντ., bene refecit. Tantalus vero, filius Jovis, a quo gens Atridarum originem duxit, per omne vitae tempus summo favore atque intima familiaritate coelestium usus est. Unde insolentia elatus, cum impio ac scelesto animo esset, et turpissima scelera cumulavisse et poenas post mortem luisse dicitur. Sed antiquitas de culpa ejus admodum discrepat. Quemadmodum enim cum in commercio epulisque deorum adfuisse crederetur, alii mysteria, alii cibos coelestium de mensis furatum communicasse cum hominibus perhibent; sic nonnulli de turpiore criminum genere cogitantes eum aut membra trucidati filii diis, quos hospitio excepisset, comedenda dedisse, aut propter perjurium sumunt de cacuminibus esse Sipyli dejectum. Hygin. 82, 83; Eudoc. Viol. p. 390; Antonin. Liberal. 37.; Muret. Schol. in Tibull. III, 3, 77. Itaque his in fabulis, quomodocunque inter se differunt, insignem prudentiam Tantali agnoscimus, quippe qui, doctrina artibusque instructus denegatis generi humano, vel scelera deos prudenter celans fingatur, quanquam hi omnia semper observent atque perspiciant. Atque hoc ipsum ingenium in cunctis poenae, quam luit, generibus videtur illustre. Nam in Tartari aquis affixus sub arbore, quae quasi pondere fructuum deprimitur, quamvis inedia et intolerabili siti cruciatus, nec poma, cupidinem tantum excitantia, cum sursum ferantur, neque undas, quarum aspectu delectatur, diffluentes, simulatque eas haurire studet, mento contingere atque gustare potest. Quo quidem num pulchrius simulacrum hominis possumus cogitare, qui, cum ingentem vim animi habeat natura, immenso discendi studio flagrans perfectionem animi, cunctis partibus absolutam, ad quam in dies propius accedimus, uno nisu, vel impetu consequi studet? Quodsi jam, ratione hujus indolis habita, fabulas de Tantali sceleribus contemplamur, duo earum genera discernimus, unum, quo scelesti conatus nequaquam ei tribuuntur, quoniam amor humani generis et promulgationem mysteriorum et furtum ciborum excusat, alterum vero eorum, qui summas ac sanctissimas leges, institutas cunctis hominibus, ab eo aut perjurio di-

cunt, aut detestabili caede esse violatas. Et Aristarchum, cum Tantalum faceret, in primo illo genere, quod apprimis sagacitatem declarat, versatum fuisse conjicimus; nam ceteris in fabulis impietas maxime apparet. Nimirum ipsi Tantalo ejusque prudentiae sophistica praecepta conveniunt, quae quidem, ut Stobaeus l. l. refert, Aristarchus ea fabula exposuerat. Quin ne illud quidem, quod ambrosiam ac nectar abstulit, cum ingenio hominis congruit, qualem hae reliquiae declarant. Aristarchus igitur Tantalum ad similitudinem sapientis viri effinxerat, qui, evulgatis coelestium mysteriis — ita enim recondita doctrina vocatur — invidiam deorum ac gravissimas apud inferos poenas sibi conscivit. Tali modo conditionem sophistarum fortasse describere voluit. Alia fragmenta hujus ap. Athen. XIII. p. 612 F, Stob. ap. Wech. 184, Schol. ad Soph. Oed. Colon. 1316 exstant.

In Aesculapio et Tantalo duo argumenta tragoediis primus accommodavit, quanquam Aeschylus et Sophocles poenas inferorum ante repraesentarant. Probamus item, quod Achillem exemplo Aeschyli fecit. In quo id moribus aequalium dedit, ut in personis heroum depingendis et amores pro honoris cupidine reciperet et mollitiem pro fortitudine ac robore exsequeretur. Quare mythos valde mutavit. Gravissimum est, quod Suidas s. v. refert: *Ἀρίσταρχος . . ὃς πρῶτος εἰς τὸ νῦν αὐτῶν μῆκος τὰ δράματα κατέστησεν.* Non feramus quidem interpretationem Fabricii, sic ea vertentis: *„primus tragoedos cothurnis extulit".* Sed quae longitudo fabularum intelligitur? De aetate grammatici, qui haec prodidit, esset quaerendum, quoniam is longitudinem, quam dramata suae aetatis habeant, ad Aristarchum, velut auctorem, referendam esse contendat. At id exquirere non licet. Sunt vero tragoediae Aeschyli breviores iis, quas Sophocles et Euripides reliquerunt. Itaque illo ambitu, quem dramata acceperunt, cum forma trilogiarum valere desiisset, principem Aristarchum esse usum, Suidas contendit. Müller. Hist. Lit. Gr. T. II. p. 117, 181, Welcker. Trag. Gr. p. 932. Personas amoribus deditas finxit, ut ea, quae disputat ap. Stobaeum Serm. 184:

Ἔρωτος ὅστις μὴ πεπείραται βροτῶν,
οὐκ οἶδ' ἀνάγκης θεσμόν· ᾧ πεισθεὶς ἐγὼ,
οὕτω κρατηθεὶς, τάσδ' ἀπεστάλην ὁδούς.

οὗτος γὰρ ὁ θεὸς καὶ τὸν ἀσθενῆ σθένειν
τίθησι, καὶ τὸν ἄπορον εὑρίσκειν πόρον.

laudes hujus dei in mentem revocent, quales Euripidis Hippolyto v. 433 etc. celebrantur [1]). Et locus, ex Tantalo supra citatus, non locutionibus modo, sed etiam placitis sophistarum abundat:

καὶ ταὖτ' ἴσον μὲν εὖ λέγειν, ἴσον δὲ μή,
ἴσον δ' ἐρευνᾶν, ἐξ ἴσου δὲ μὴ εἰδέναι.
πλεῖον γὰρ οὐδὲν οἱ σοφοὶ τῶν μὴ σοφῶν
εἰς ταῦτα γιγνώσκουσιν· εἰ δ' ἄλλου λέγει
ἄμεινον ἄλλος, τῷ λέγειν ὑπερφέρει.

Itaque ex Protagorae sententia res inter se diversas atque contrarias nihil differre ratus, Diogen. Laërt. IX, 51, 53, Isocrat. Helen. Encom. p. 231, cum natura rerum non posset intelligi, et eruditos sapientia nihil ineruditis praestare, id quod Gorgias, Sext. Empir. adv. Mathem. VII, 65, docuit et omnem scientiam eloquentia contineri, quemadmodum discipulos Gorgias a se non tam virtute perhibuit, quam dicendi praeceptis erudiri. Artificia vero in dicendo sophistarum propria adhibuit, cum contrariis plurimum usus sit. Stob. Serm. ap. Wech. l. l.

Idem metra paullo liberius instituit. Nam caesuram quarti pedis, quam *ἑφθημιμερῆ* vocant, admisit illo in versu:

εἰς ταῦτα γιγνώσκουσιν· εἰ δ' ἄλλου λέγει.

Est unum versus exemplum, qui tertium post pedem incisum nullam plane habeat caesuram:

οὗτος γὰρ ὁ θεὸς καὶ τὸν ἀσθενῆ σθένειν.

Pro iambo primum tribrachum:

τίθησι καὶ τὸν ἄπορον εὑρίσκειν πόρον,

deinde anapaestum, in quinto trimetri pede adhibuit:

ἴσον δ' ἐρευνᾶν, ἐξ ἴσου δὲ μὴ εἰδέναι.

Chaeremo. Fuit tempus, quo homines eruditi, cum testimonia veterum a librariis corrupta, aut aliter, atque ipsi scriptores voluerant, explicata et leviter et temere accepissent,

---

1) Non minimum est illud discrimen, cum laudes Amoris aut in chori celebratae sunt, aut in dialogi partibus. Namque ille usus multorum poëtarum est proprius, ut Soph. Antig. 781; hic apud Graecos inde a Sophoclis aetate ortus, Stob. Tit. 63. b amatoriam fabularum rationem maxime declarat.

Chaeremonem in numerum comicorum retulerunt; nec nomina, nec fragmenta tragoediarum, quas scripsisse traditur spectantes, nec multos ac graviores vetustatis locos reputantes, quibus evincitur, eum in tragica poësi elaborasse. Nam Suidas s. v. *Χαιρήμων κωμικός*, Eudoc. Violar. p. 436: *Χαιρήμων κωμικός*, Schol. ad Aristot. Rhet. III. p. 69. Quare Gyraldus de Poët. Hist. p. 286, Vossius de Poët. Gr. p. 41, Stephanus (ll. infr. ll.), Camerarius, Heerenius ad Stob. Eclog. Ph. I, 7, 7 habuerunt, quod eum perhiberent comicum poëtam. Sed mittamus proprietates fragmentorum, praetereamus titulos, de quibus postea dicetur, definiamus hoc unum, de tragoediis ejus Theophrastum ap. Athen. XIII. p. 562 E, Athenaeum II. p. 35 E [1]), p. 43 C, Eustathium ad Hom. Od. p. 1545 ita consentire, ut diserte ab iis tragicus nominetur; qui Suidam, etiamsi cum eo singuli comparantur, auctoritate tamen sine dubio vincunt. Alia H. Grotii sententia fuit. Qui cum sibi persuasisset, fuisse poëtas in tragica et comica poësi versatos, huic ordini annumeravit Chaeremonem. Exc. p. 845. Ad quam opinionem Gruppius Ariadn. p. 755 nuper accessit. Attamen non exilis eorum est copia, qui caussam nobis non esse concedunt, cur Chaeremoni vindicemus comoedias. Vid. Gataker. Advers. Miscell. I, 9, Fabric. Bibl. Gr. T. II. p. 292, Hermann. Comment. ad Aristot. Poët. p. 98, Meinek. H. C. p. 517, Ritter. ad Aristot. Poët. p. 87.

Quanquam de genere ac vita hujus neque luculenter quidquam traditum, neque ita significatum habemus, ut ex ea aliquid colligere liceat, tamen, ut aetatem, qua vixit, cognoscamus, memoria comici poëtae in promptu est. Eubulus enim locutionem Chaeremonis perstrinxit. Athen. II. p. 43 C: *τὸ ὕδωρ ποταμοῦ σῶμά φησί που Εὔβουλος, ὁ κωμῳδιοποιός, εἰρηκέναι Χαιρήμονα τὸν τραγικόν·*

ἐπεὶ δὲ σηκῶν περιβολὰς ἠμείψαμεν,
ὕδωρ τε, ποταμοῦ σῶμα, διεπεράσαμεν.

Atqui Ritterus Comment. ad Aristot. Poët. p. 88 et Chaeremonem et Eubulum aetati Euripidis ideo suppares fuisse pu-

---

1) Hic Athenaeus Chaeremonem vocat *τραγῳδόν* recentiore usu, quem supra attigimus. — Eustathium ad partes vocare licet, tametsi auctoritas ejus hoc loco plane ad Athenaeum redit.

tat, quod is comicus saepe Euripidem irriserit. Sed egregie fallitur. Nam mortui poëtae, ut mortui omnino, ab iis delusi videntur, qui mediam comoediam coluerunt, Meinek. Hist. Crit. p. 275. Et fabulae Euripidis post ejus mortem in scena adeo viguerunt, ut comici, in poësi ejus cavillantes, perinde agerent, ac si de vivo praesenteque poëta loquerentur. Itaque is a poëtis tum maxime irrisus est. Sed Ritterus non modo haec rerum discrimina, sed etiam alia praetermisit, quae debebat ad usum vocare. Nam diserte Suidas s. v. *Εὔβουλος* . . . *ἦν δὲ κατὰ ρα' ὀλυμπιάδα*. Anon. Descr. Olymp. Ac Meinekius olympiadem centesimam primam, cum Callimedontem et Philocratem castigarit, aequales Demosthenis, Athen. I. p. 8 B. VIII. p. 390 D, non florem ejus, sed senectutem arbitratur declarare, eumque vitam ultra id tempus longius produxisse. Meinek. Hist. Crit. p. 355. Quod cum alio loco dudum expositum esset, Id. Quaest. Scen. Spec. III. p. 16, Ritterum miror, qui ista contenderit. Praeterea Ephippus, comicus ejusdem generis, qui Alexandri Pheraei, Athen. III. p. 112 F, Dionysii senioris, Cotyis, Theodori, Athen. XI. p. 482 D, aequalis fuit, Ephebis:

οὐ κύλικας ἐπὶ τὰ δεῖπνα Χαιρήμων φέρει,
οὐ κυμβίοισι πεπολέμηκ' Εὐριπίδης.

Athen. XI. p. 482. Ubi quis est, quin Chaeremonem, poëtam tragicum, respici putet, seu rationem temporis habet Ephippumque eadem videt, qua Chaeremonem aetate viguisse, seu caussam quaesierit, quare Athenaeus hunc una cum Euripide conjunxerit. Nam Antiochus Alexandrinus illo libro, quem de poëtis scripsit, qui media derisi comoedia erant, vix alium nobis Chaeremonem intelligendum esse persuadebit, de quo ipse nihil videtur compertum habuisse. Athen. l. l.: *οὐ τὸν τραγικὸν λέγει ποιητὴν, ἀλλά τινα ὁμώνυμον αὐτῷ, ἤτοι φίλοινόν τινα ἢ αἰτίαν ἔχοντα οὐ χρηστὴν, ὥς φησιν Ἀντίοχος ὁ Ἀλεξανδρεύς*. Attamen nescimus, unde Gyraldus et Vossius, hunc amicum Socratis fuisse, compererint, nisi corruptela librorum fortasse decepti sunt, qui *Χαιρήμων* pro *Χαιρεφῶν* exhibebant. Reprobamus igitur, quod Vossius eum Ol. 92, 3 adscripsit, quoniam post paullo ille princeps sapientium fertur obiisse, Ol. 95, 1.

Quae de Chaeremone tradit, Suidam ex Athenaeo hausisse

contendimus. Nam cum nomina fabularum ab illo duce commemorata referat, alia omittit, quae poterat aliunde cognoscere. Suidas vero *τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι ταῦτα· Τραυματίας, ὡς Ἀθηναῖός φησιν Οὐρεὺς, Ἀλφεσίβοια, Κένταυρος, Διόνυσος, Ὀδυσσεὺς, Θυέστης, Μινύαι.* Quocum Eudocia l. l. plane consentit. Omnium primum pro *Οὐρεὺς*, Athenaei XIII. p. 600 A fide, *Οἰνεὺς* restituimus. Omisit *Ἰώ*, fabulam ab Athenaeo XIII. p. 608 D laudatam. Nec tragoediam, quae *Ἀχιλλεὺς Θερσιτοκτόνος* inscripta fuit, illi numero addidit, sive non noverat Stobaeum, sive non vocavit in usum. Nam versibus ex eo petitis ap. Stob. Eclog. Ph. I, 7, 7 (I, 10 ed. Heer.) in libris quibusdam, quos Heerenius literis V. A. E. distinxit, nomen *Ἀχιλλέως θηρσικτόνου* adscriptum est. Sed Canterus praetulit lectionem *Χαίρημος Ἀχιλλέως θερσιτοκτόνου*, e libris petitam, aut conjectura restitutam, qua primus correxit titulum, quem Heerenius a Fabricio emendatum esse opinatur. Non dubito, quin eadem fabula *Θερσίτης* simpliciter inscripta fuerit. Nam Suid. s. v. *ὡς οὐχ ὑπάρχων, ἀλλὰ τιμωρούμενος, ὥσπερ παροιμία. ὁ στίχος δὲ ἐστι Χαιρήμονος ἐκ Θερσίτου.* Quem versum, a Zenobio VI, 51 Menandro adscriptum, Athenaeus XIII. p. 612 F Aristarchi esse testatur. Argumentum tragoediae epici poëtae illustrant. Cf. Tzetz. Posth. 199. Quint. Calab. I, 710. — Fragmentum Alphesiboeae habet Athen. XIII. p. 608 D. — Centaurum praeter Athenaeum XIII. p. 608 E, Suidam s. v., Eudociam l. l. Aristoteles Poët. 2 memorat: *ὁμοίως δὲ κἂν εἴ τις ἅπαντα τὰ μέτρα μιγνύων ποιοῖτο τὴν μίμησιν, καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησε Κένταυρον, μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων, οὐκ ἤδη καὶ ποιητὴν προσαγορευτέον.* Particulae *οὐκ ἤδη*, quas editores inde ab Aldo praeter Graefenhanium et Ritterum receperunt, in cunctis desunt codicibus, quos Bekkerus, Buhlius, Burgesius, Morellius, Victorius, Winstanlejus contulerunt. Porro librum calamo exaratum ignoramus, quin is *μιγνύων ποιοῖτο τὴν μίμησιν* habeat. Philosophus ut naturam poësis in imitatione sitam esse contra eos obtineat, qui nihil debere potius esse poëtis opinentur, quam ut metris utantur, illos adeo indolem poësis intelligere negat, ut, qui non imitetur, poëtae nomine non sit ornandus, seu unum metri genus adhibeat, seu

plura conjungere velit. Itaque sententia particulis οὐκ ἤδη expressa argumentationi philosophi valde est congruens; eamque desideraremus, etiamsi omnis librorum obstaret auctoritas. Non usus metrorum, inquit, sed imitatio facit poëtam. Jam ut singulos imitationis modos adhiberi et plures simul conjungi posse animadvertit (§. 4.); sic duplicem metrorum usum agnoscit, dum aut uno, aut pluribus generibus utantur. Neque emendationem verborum εἴ τις ποιοῖτο necessariam habeo. Nam illis quidem non facile assentior, qui locutionem ποιεῖσθαι μίμησιν non tam de ipsa imitatione, quam de imitationis conatu accipiunt; neque haec explicatio ad interpretationem expediendam desideratur. Ait: „Qui imitatur, id est, poëta pluribus metrorum generibus junctis, non est propter eam metrorum copulationem, sed quia ad ipsam se contulit imitationem, nominandus poëta." Jam ut appareat, quomodo Aristoteles indolem Centauri descripserit, duo errores nobis refutandi sunt. Nam Casaubonus de Satir. Poës. II, 11 putat, sic Aristotelem de poëtica indole Chaeremonis aliquid detrahere voluisse [1]. Sed tantum abest, ut philosophus eum vituperarit, ut e poëtis, qui varia metra miscuerint, Chaeremonem exempli instar appellarit, quasi nobilissimum talium carminum poëtam. Cf. Diurn. Jenens. ann. 1805. Ritter. ad Aristot. l. l. Sed cur Centaurum Chaeremonis ῥαψῳδίαν dicit? Neque enim Athenaei testimonio instructi dubitamus, quin vere δρᾶμα fuerit; nam is: ἐν δὲ Κενταύρῳ, ὅπερ δρᾶμα πολύμετρόν ἐστιν. Sed ancipitem vocabuli, quo Athenaeus utitur, significationem habet Hermannus, quoniam dithyrambus Philoxeni in dramatis numeretur; nam Aristotelem de Centauro, velut epico carmine, loqui. Contra is, qui de editione Hermanni in Diurn. Jenens. a. 1805 judicavit, verbis μικτὴν ῥαψῳδίαν adeo offensus est, ut cuperet ea ejicere. Ritterus denique: „*Centaurum Chaeremonis h. l. ῥαψῳδίαν incerto nomine vocavit*". Quae igitur ῥαψῳδία ea est sensu, quo dicit Aristoteles? Vereor, ut quis nostrum hac voce philosophum carmen contextum atque consarcinatum, ut verbis Henr.

---

1) Suffragatus est ei nuper generosus magistrorum contemptor, qui Literar. Diar. Halens. 1841 de opera judicavit, quam Hartungius in Iphigenia Aulidensi edenda collocavit.

Stephani Thesaur. T. I. p. 121 D. utar, significasse existimet. Nam ut primaria haec fuerit ejus potestas, quod partim ex etymologica, partim ex iis cernitur, quae de vetustissima origine epicorum carminum accepimus, tamen quia nomen rhapsodorum easdem vicissitudines significationis, quas munus eorum expertum est, paullatim subiret necesse fuit, non tam illud, quae veterum poëtarum rhapsodia fuerit, sed quo sensu eam Stagirita nominaverit quaeramus. Ex quo carmina Homeri et Choerili in theatris coeperunt recitare, duo declamationis genera apud Graecos orta videntur, unum, quod in epicis carminibus, alterum, quod ab histrionibus adhiberi solebat. Quorum discrimen definientes illud continua, neque interpellata recitatione contineri, hoc vero ita statuerunt comparatum esse, ut a variis personis sermones versibusque alternis haberentur. Illum vero modum continuo sermonis tenore recitantium *ῥαψῳδεῖν* et carmen ita declamatum *ῥαψῳδίαν* et ipsum declamatorem in eo genere versantem *ῥαψῳδὸν* dixerunt [1]). Atque haec vocabulorum significatio ita sensim valere coepit, ut ad omnia literarum monumenta transferrentur, seu poëtica, seu soluta oratione perscripta erant. Athen. XIV. p. 620. Is vero linguae usus, a Platonis aetate ortus, convenire videtur in locum Aristotelis. Nam Plato, qui contiguos sermones opponit dialogo, Charmid. s. fin., *λόγους ῥαψῳδουμένους ἄνευ ἀνακρίσεως*, Phaedr. p. 277 E, eodem sensu consignat. Et Aristoteles non solum diversas rhapsodorum atque histrionum artes habet, Rhet. III, 1, sed haec ipsa quoque, tanquam duo sola declamationis genera, commemorat, ita distincta, ut unum facilius sit, alterum molestius [2]), utque tum homines de alte-

---

1) Vide Odofr. Müller. Hist. Lit. Gr. T. I. p. 56. Paullo aliter Wolfius Prolegom. XCVI judicavit. Ab utroque nos nonnihil dissentimus. — De variis recitandi generibus, quae recentiores coluerunt, copiosissime scribit Athenaeus XIV. p. 620 B.

2) Grammatici vim aliam vocis commemorant, a Suida s. v. non praetermissam, e qua contemptionem rhapsodorum colligimus. Ut Schol. ad Plat. Ion. init.: *ῥαψῳδῆσαι λέγεται καὶ τὸ φλυαρῆσαι, ἢ τὸ ἅπλως λαλεῖν καὶ ἀπαγγεῖλαι χωρὶς ἔργου τινός.* Quod cum Suidas s. v. habeat, non bene Toupius Opusc. Crit. T. I. p. 396 pro *χωρὶς ἔργου τινὸς* scribit *χωρὶς εἵρμου τινος.* Intelligitur autem disputatio, quam quis, nemine adversante, habere potest. In quo neque difficultates invenit et in nugas facile digreditur.

riusutrius praestantia disceptasse videantur. Quae si recte dispeximus, Centaurus carmen a tragoediarum natura alienissimum fuit, in quo aut nullae erant, aut perexiguae dialogi partes. Nitsch. Proleg. ad Plat. Ion. c. 2. not. 2: „*Atque ipse Aristotelis loco* c. 1 . . . . *ipsi non centonis, sed contigui carminis significationem inesse recte dixeris*". Sed idem magna metrorum varietate distinctus fuit, ut Athenaeus et Aristoteles affirmant. Fortasse nonnullae partes, quas in dramatis olim chorus expleverat, cumulata metra habuerunt, cum propter naturam carminis, ad epicam indolem accedentis, unum metrorum genus desideraretur. Duo fragmenta apud Athenaeum XIII. p. 608 E, XIV. p. 676 E. invenimus. — Dionysum idem XIII. p. 608 E, XIV. p. 676 E, 679 F. laudat. — Io ibid. XIII. p. 608 D. citatur. — De Minyis ibid. F. — *'Οδυσσεύς* ibid. commemoratur. Sed Athenaeus etiam mentionem fabulae fecit, quae *Τραυματίας* fuit vocata. Eundem titulum apud Suidam et Eudociam legimus. Quare tragoediam *'Οδυσσέα Τραυματίαν* nominatam esse colligimus. Nam inter fabulas de Ulysse haud alia tragoediae aptior fuit, quam quae de caede ejus, a Telegono filio temere perpetrata, ferebatur. Quam Aeschylus, Welcker. Trilog. p. 459, Tr. Gr. P. I. p. 46, et Sophocles, Tr. Gr. T. I. p. 240, tractarant. Vox *τραυματίας* aperte cognomen est; neque ea, nisi proprio nomine adjecto, aut conditio hominis vulnerati notari, aut nuncupari tragoedia potuit. Itaque et Welckerus et plurimi eorum, qui Poëticam Aristotelis explicarunt, *'Οδυσσέα Τραυματίαν* in Chaeremonis fabulis habent eumque ap. Athenaeum l. l. memorari existimant. Aristot. Poët. 14: *ἔστι δὲ πρᾶξαι μὲν, ἀγνοοῦντας δὲ πρᾶξαι τὸ δεινὸν, εἶθ' ὕστερον ἀναγνωρίσαι τὴν φιλίαν, ὥσπερ ὁ Σοφοκλέους Οἰδίπους. τοῦτο μὲν οὖν ἔξω τοῦ δράματος, ἐν δ' αὐτῇ τῇ τραγῳδίᾳ, οἷος ὁ 'Αλκμαίων ὁ 'Αστυδάμαντος, ἢ ὁ Τηλέγονος ὁ ἐν τῷ τραυματίᾳ 'Οδυσσεῖ.* Mittamus manifestum errorem Henr. Stephani, qui de Ulysse Traumatia, tanquam Telegoni fabula, loquitur, Thesaur. Ling. Gr. T. II. p. 1313. Brunckius vero illum locum ad Sophoclis *Νίπτρα* retulit. Et argumentum quidem, a Sophocle tractatum, Welckerus ita philosophum spectare sibi persuasit, ut is materiem potius, quam nomen fabulae expresserit. At cogitandum est de Chaeremone, ut Tyrwhittus, Hermannus, Rit-

terus senserunt. Aristoteles enim, cum argumentum eodem vocabulo significaret, quo fabulam Chaeremo, praestantissimus poëta, inscripserat, non facere potuit, quin unumquemque, audito nomine, facilius illius fabulae, quam alius commoneret, quacum argumentum ea habebat commune. Quaeramus vero de mirabili fragmento quid sit, quod apud Athen. XIII. p. 562 F, reperiamus. Est autem hoc: *Θεόφραστος δ' ἐν τῷ Ἐρωτικῷ Χαιρήμονά φησι, τὸν τραγικὸν, λέγειν, ὡς τὸν οἶνον τῶν χρωμένων τοῖς τρόποις κεράννυσθαι, οὕτως καὶ τὸν Ἔρωτα, ὃς μετριάζων μέν ἐστιν εὔχαρις, ἐπιτεινόμενος δὲ καὶ διαταράττων χαλεπώτατος. Διόπερ ὁ ποιητὴς οὗτος οὐ κακῶς αὐτοῦ τὰς δυνάμεις διαιρῶν, φησι· „Δίδυμα γὰρ τόξα αὐτὸν ἐντείνεσθαι χαρίτων, τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι τύχᾳ, τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς". ὁ δ' αὐτὸς οὗτος ποιητὴς καὶ περὶ τῶν ἐρώντων ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Τραυματίᾳ φησὶν οὕτως·*

τίς οὐχὶ φήσει τοὺς ἐρῶντας ζῆν μόνους;
εἰ δεῖ γε πρῶτον μὲν στρατευτικωτάτους [1])
εἶναι, πονεῖν τε δυναμένους τοῖς σώμασιν
μάλιστα, προσεδρεύειν τ' ἀρίστους τῷ πόθῳ,
ποιητικοὺς, ἰταμοὺς, προθύμους, εὐπόρους
ἐν τοῖς ἀπόροις βλέποντας, ἀθλιωτάτους.

Itaque Theophrastus Amatorio sententiam Chaeremonis, tragici poëtae, laudaverat, qui, ut vinum eorum, qui utantur eo, moribus, sic Amorem misceri dixisset. Athenaeus vero duplicem ejus naturam, unam placidam atque jucundam, alteram vehementem ac molestam habet, id quod e dicto poëtae, quem laudat, intelligi possit. Addit versiculos, quibus laudes dei copiose describuntur. Itaque cum oratio ad Amorem omnis pertineat, argumenta quoque, quae vim ejus declarant, verisimile est ab eodem scriptore esse petita. Et vero ipsa pronominum, quibus auctorem citat, ratio talis videtur, ut unius tantum poëtae auctoritatem probari appareat. Quae cum ita sint, tres reliquias quisque Chaeremoni adscriberet, nisi ea, quae de

---

1) Attingit quaestionem ab antiquis saepissime propositam, Plat. Conviv. p. 179 A. Xenoph. Conviv. c. 8. 32, de qua supra diximus. Wolf. ad Platon. l. l. — Ceterum de vi, quam vinum in mores bibentium habeat, dicentes versum Chaeremonis Aristot. Probl. III, 16 et Plutarch. de Pyth. Or. 23 laudant.

duplici atque contraria numinis potestate: *Δίδυμα γὰρ τόξα κ. τ. λ.* praedicantur, apud Euripid. Iphigen. Aulid. 538:

δίδυμ' Ἔρως ὁ χρυσοκόμας
τόξ' ἐντείνεται χαρίτων,
τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ,
τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς.

occurrerent. Quam difficultatem ut tollant interpretes, diversos poëtas sumunt esse commutatos. Ut Brunckius Euripidii loci memor in margine exemplaris Athenaei scripsit: *„sed aut corruptela subest, aut memoria lapsus Athenaeus"*; idque Hermannus plane probavit. Qui autem in ea argumentatione, vel expositione tenorem, quem diximus, perceperit, is, neque locum corruptelam traxisse, consentiet, neque Athenaeum falsa retulisse. Nam quis nomen Euripidis, nobilissimi poëtae, excidisse putat, eamque lacunam contextus ita expletam esse, ut librarii *ὁ ποιητὴς οὗτος* inculcarent? Quis vel progressum orationis, in eo versantis, ut duplex Amoris natura illustretur, vel nexum similium sententiarum praetermittat, quae uno ex loco ejusdem poëtae fluxisse videntur. Neque Athenaeum erroris arguimus, partim quod tragoedias poëtae sine dubio ad manus habuit, partim quia, si res aliter se haberet, alia cogitasset, alia dixisset, itaque de diversis locutus esset hominibus, quasi unum auctorem sequeretur. Quare versus ex Euripidis Iphigenia, non Athenaeus, sed Chaeremo recepit. Schweighaeuser. ad Athen. l. l.: *„At potuerat etiam Chaeremon, ut persaepe factum a poëtis scenicis novimus, versus istos ab Euripide mutuari"*. Scilicet Boeckhius Gr. Tr. Pr. p. 21, 244—247 docuit, cum principes invicem a se locos esse mutuatos, tum Euripidem e Sophoclis fabulis totos versus transtulisse. Boeckh. l. l. p. 247. Et huic objicit Aristophanes Ran. 1301, quod aliena carmina receperit. Quod vero maximi est momenti, quo magis tragica poësis corrupta est, eo saepius juniores poëtae superiores imitati sunt aemulos, inter quos Euripides plurimi ducebatur. Quod quare in Chaeremonem cadere negamus? Sic enim sententiae refelluntur, quas probare non possumus. Quemadmodum opinio Meinekii Hist. Crit. p. 520 confutatur, de Alexide cogitantis. Nam is tertiam atque extremam fragmentorum partem, cum Chaeremonis non esse censeret, Alexidi propter metrorum et orationis indolem tribuit.

Ait autem, versus ad comicorum numerorum facilitatem esse compositos. Quae non judicasset, si exempla ob oculos habuisset, quae alii poëtae ejusdem aetatis suppeditant, nec locum hujusce apud Stobaeum Serm. 198:

βεβαιοτέραν τὴν φιλίαν ἔχε πρὸς τοὺς γονεῖς·

a Chaeremone ad Philemonem, nullo libro suffragante, ablegasset. Nam in eo partim anapaestum in altera metri sede deprehendimus, partim duobus offendimur dactylis, quorum alter alterum statim insequitur. Apud Athenaeum XIII. p. 608 A. occurrit simile specimen:

ἔκειτο γὰρ ἡ μὲν λευκὸν εἷς σεληνόφως.

Tertium exstat in Alphesiboeae fragmento supra citato:

ξουθεῖσι ἀκέμοις ἐνετρύφων φορούμενοι.

Post plura proponentur, quae eodem valent. Addit vero Meinekius: *„Orationis color simplex et nativus"*. Scilicet hic molle dicendi genus, figurarum plenum idemque et elegiae et idyllii proprium deest, quod aliis in versibus ap. Athen. admiramur. At eandem simplicitatem sententiae habent, quibus Chaeremo ap. Stobaeum praecepta sapientiae commendat. Nudam vero humilemque dictionem res ipsa utrobique postulavit. Quapropter locum neque corruptum, neque perturbatum ad Chaeremonem referimus, quanquam Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1092. Meinekio accessit. — Oeneus Athen. XIII. p. 608 A. Thyestes Ibid. D. Ex incertis fabulis versus ap. Athen. II. p. 43 C, Stob. Serm. 28, 43, 98, 152, 187, 198, 201, 228, 254, 268, Ecl. Ph. I, 5, 2; 7, 15; 8, 2; 9, 4; 9, 30, Theophrast. Hist. Plant. V, 9, 5 superstites sunt. Non dubitavit Gruppius Ariad. p. 462, Iphigeniam Aulidensem, quam vulgo Euripidi tribuunt, asserere Chaeremoni, quod Athenaeus versus ex ea descriptos Chaeremonis esse asseveret. En via et expedita et lubrica! Quam nec Bartschius De Iphig. Aulid. 1837 p. 30, 49, nec Raymannus De dupl. fab. Gr. recens. p. 13 persecutus est.

Cum argumenta a principibus exornata, ut Alphesiboeae, Minyarum, Thyestae, Ulyssis, sibi deligeret, alia saepius tractata novis nominibus exhibuit novoque modo composita; duo autem, quae Achilli Thersitoctono et Centauro accommodavit, videtur primus recepisse. In his vero rationes cognoscimus, quae corruptionem artis ostendunt. Quemadmodum enim res

Thyestae facilius horrorem terroremque, quam misericordiam commovebant; sic lamentabili calamitatis, qua Oeneus afflictus est, descriptione animos spectatorum nimis perturbavit. Neque amatoriis rebus, quales effeminata tum gens desiderabat, in Alphesiboea prorsus abstinuit. Et personis Centauri ac Thersitae satyricum aliquid adspersit.

Sed moralia hujus praecepta, quorum bonam partem Stobaeus reliquit, e philosophica contemplatione fluxisse videntur. Ea rectam ac severam vitae rationem postulant, quae neque aspera sit, neque austera, neque morosa. Itaque felicitatem ejus esse negat, qui omnino sit expers sapientiae. Stobaeus Serm. 32:

οὐ ζῶσιν οἵ τι μὴ συνιέντες σοφόν [1]).

Prudentiam habet matrem, e qua cuncta bona gignantur. Stob. 28. Reprehendit superbiam, quippe cum recta ejus caussa homini desit, Stob. 43, Maxim. 154, iracundiam, cum in aliis, ut fontem malorum facinorum, Stob. 98, tum maxime in parente, Stob. 201, mendacium, quod indignum sit nobili homine. Stob. ibid. Est sapientis, quam mitissime de malis judicare. Stob. 152. Pietas erga parentes, quam firmiorem amicitiam (βεβαιοτέραν φιλίαν) dicit, votum debet excitare, ut beneficiis eos aliquo modo remunerari possimus. Stob. 198. Quanquam laudat Amorem, tamen uxores ac matrimonium, Stob. 187, reprehendit. Divitias, quas Plato ap. Diogen. L. III, 45 in externis bonis ponit, etiamsi bona per se habenda non sint, tamen vitam aliqua ex parte beatam reddere, si ad alia accesserint genera bonorum. Stob. 228.

Jam de peculiari Centauri compositione diximus, quae in scenae usum non scripta, cum scenica oeconomia deesset, epicis carminibus simillima fuit. Grupp. Ariadn. p. 751. Eandem rationem in aliis eaque maxima fabularum, quas fecit, parte sine dubio iniit. Nam Aristoteles Rhet. III, 12 duo dictionis

---

1) Quod quomodo vel Plato, vel Anicerii expresserint, e Diogen. L. III, 42, II, 8, 13 videas. Cic. Tuscul. V, 11, 30: „*Non igitur facile concedo, neque Bruto meo, neque communibus magistris, neque veteribus illis, Aristoteli, Speusippo, Xenocrati, Polemoni, ut, quum ea, quae supra enumeravi, in malis numerent, iidem dicant, semper beatum esse sapientem.*"

genera discernit, cum aliud in scriptis valere debeat, aliud in publicis certaminibus requiratur: *ἔστι δὲ λέξις γραφικὴ μὲν ἡ ἀκριβεστάτη, ἀγωνιστικὴ δὲ ἡ ὑποκριτικωτάτη. ταύτης δὲ δύο εἴδη· ἡ μὲν γὰρ ἠθική, ἡ δὲ παθητική. διὸ καὶ οἱ ὑποκριταὶ τὰ τοιαῦτα τῶν δραμάτων διώκουσι, καὶ οἱ ποιηταὶ τοὺς τοιούτους. βαστάζονται δὲ οἱ ἀναγνωστικοί, οἷον Χαιρήμων (ἀκριβὴς γάρ, ὥσπερ λογογράφος) καὶ Λικύμνιος τῶν διθυραμβοποιῶν.* Quinam igitur vocantur *ἀναγνωστικοί*, in quorum ordine numeratur Chaeremo? Hermannus quidem ad Aristot. Poët. p. 97 talem explicationem proponit: „existimavit esse eum (Centaurum) ad legendum, quam ad scenae usum aptiorem". Itaque Aristotelem non consilium, neque artes poëtae, sed proprietates carminis significasse arbitratur. Eadem fere Vater. ad Aristot. Rhet. p. 174. Sed philosophus opera in certas classes distribuit, eodemque ea modo divisit, quo ipsi scriptores varia scripturae genera colenda sibi proposuerant. Loquitur ergo de indole, quae consilio ac fini scriptoris et scripti convenit, nec vero de iis proprietatibus, quae vel fortuitae sunt, vel longe ab iis dissident, quae in tali genere scriptorum debent inveniri. Ex quo liquet, fabulas Chaeremonis in scenae usum nec dispositas, neque scriptas fuisse. Vide Welcker. Tr. Gr. P. III. p. 1082. Inde vero minus recte dubitaveris, quin nullas omnino fabulas in scena docuerit. Philosophus enim poëtam, qui vulgarem poëtarum morem reliquerat, fortasse verbo consignavit, quod accuratius non est examinandum, ejusque poësin monuit ita comparatam esse, ut declamari facilius, quam agi fabulae possent, aut majorem tragoediarum copiam intellexit, cum aliae quidem actioni, aliae lectioni essent accommodatae. Nam Meinekio, qui nullas Chaeremonis fabulas in scena unquam propositas, Hist. Crit. p. 518 censet, irrisionem Eubuli oppono, ex qua cogitur, eas populo et notas et in scena fuisse communicatas. Haec autem quomodocunque judicantur, epicae fabularum indoli praeprimis illud studium res clare, copiose ornateque vel describendi, vel enarrandi studium convenit, quod in plurimis reliquiis admiramur. Athen. XIII. p. 608. Persona Centauri et Thersitae aliquem risum excitaret necesse fuit; eaque comoediae similitudo, qua eruditi homines signa corruptae artis declarare voluerunt, non modo metri rhythmique, sed etiam linguae virtu-

tibus, aut vitiis quibusdam continetur [1]). Nonnulla denique fragmenta idylliorum habent naturam; nam nos molli ac naturali colore, amabili figurarum varietate et splendore, sermonisque flumine delectant.

Chaeremo cum egregiis virtutibus poëticis audaciam dictionis haberet adjunctam, sermonem tragicorum ornavit placido nitore, propterea quod in hac externa artificiorum parte, tanquam praestantissima sibi praecipue versandum esse opinabatur, quodque modo iis, quae ad locutionis pertinebant genus, favorem nancisci poterat. Magnopere vero admiramur mollitiem luxuriae finitimam, quae, ubi descriptiones rerum moralibus sententiis excipiuntur, non consentanea sibi videtur. Translationibus verborum non usitatis, neque iis utitur, quae rebus satis conveniant. Quo vituperium Eubuli valet, reprehendentes, quod aquam *σῶμα ποταμοῦ* dixerit, Athen. II, 43. Eustath. ad Hom. p. 1545. In quo Casaubonus ad Athen. l. l. repetitionem comico displicuisse falso existimat, cum aqua modo proprie, modo *σῶμα ποταμοῦ* appelletur. Neque enim in Eubuli versiculis, neque apud Athenaeum quidquam caussae reperitur, cur probemus talem sententiam. Spanhem. ad Aristoph. Ran. 1189. Sed ipsa comparatio est dura atque inanis. Locutiones hujusmodi, a corporis natura ductae, dithyrambis eo tempore vulgatae erant. Afferamus enim verba Choerili, quae Tzetzes Comment. ad Hermog. ap. Ruhnken. ad Longin. III, 2. p. 236 servavit:

ὥσπερ ποιεῖ Χοιρίλλος· καλῶν τοὺς λίθους γῆς ὀστᾶ, τοὺς ποταμοὺς γῆς φλέβας.

Cf. Muret. Var. Lect. X, 2. Ruhnken. ad Muret. l. l. Naek. Choeril. p. 189. Addit autem Eustathius, cum eam locutionem, quasi audacissimum figurae genus ad Il. p. 309 commemoret: *καὶ τοῦτο μὲν διθυραμβῶδες*, dithyrambicorum more id dictum videri, sive arctiore ac propria vocis significatione usus est, sive nihil aliud monere voluit, quam sublimem atque

---

1) Fortasse mihi locus erit aliquando exponendi, quomodo tragoedia Graecorum, quam ex epica et melica poësi paullatim succrevisse quamque utriusque semina generis in se habere existimant, ita degeneraverit, ut, cum proprietates variarum artium reciperet aut epico carmini fieret similior, aut comoediae, aut aliis poësis generibus, quibuscum ea vel origine, vel natura nullam plane habebat conjunctionem.

insolentem talium carminum plerumque fuisse naturam. Neque alia exempla desunt, eodem teste; ut Sophocles *χθόνα στερνοῦχον*, aliusque *αἷμα σταφυλῆς*, Muret. l. l., novavit. Vide Androcyd. ap. Plin. Nat. Hist. XIV, 5. Simile quidem dictum videtur, quod Timotheus ap. Athen. XI. p. 465 habet:

ἔμισγε δ' αἷμα
Βακχίου νεοῤῥύτοις
δακρύοισι νυμφᾶν,

sed id multum differt. Multo minus displicere debet licentia, qua flores aut pratorum, Athen. XIII. p. 608, *λειμώνων τέκνα*, aut veris (*ἔαρος*), Athen. ibid. Eustath. ad Hom. p. 1655, sobolem quaque hederam filiam anni, Athen. l. l., vocavit. Haec enim neque artificiose quaesita sunt, neque contorta, nec dura, quamvis parum habeant suavitatis. Nescio an hic ullius sit color momenti, quo Pindar. Ol. II, 32 ed. Dissen. melicam orationem distinxit:

ἁμέραν . . . . παῖδ' ἁλίου.

Quos locos comparat Thom. Gatakerus Oper. Crit. p. 102. Major est similitudo, quam Victorius Var. Lect. XXXII, 21 invenit, cum in medium attulerit illa Aeschyli Pers. 610 ed. Wellauer.:

ἄνθη τε πλεκτά, παμφόρα γαίας τέκνα.

Alia figurarum specimina, ut *ῥόδ' ὀξυφεγγῆ, ῥόδα, τιθήνημ' ἔαρος ἐκπρεπέστατον*, quae minus usitata sunt, nec non audacia Eustathius p. 1658: *Χαιρήμων οὖν . . . ὁ τὸν κισσὸν χορῶν εἰπὼν ἐραστὴν κοινῶς μὲν τὰ ἄνθη ἔαρος τέκνα ἐκάλεσεν, ἰδίως δὲ τὰ ῥόδα ὀξυφεγγῆ καὶ ἔαρος τιθηνήματα* habet. Miror autem Th. Gatakerum l. l. p. 105, qui de locutione Chaeremonis quaerat, meretrices *πώλους Κυπρίδος* dicentis, eamque ex Pannychide hujus ab Athenaeo servatam asseveret. Sed fallitur modo admodum egregio. Ibi enim unus tantum locus exstat, in quem illa convenire possunt, XIII. p. 568; sed est Eubuli comoedia, non tragoedia Chaeremonis, quae citatur. Meinek. Hist. Crit. p. 366. Itaque ut magna *ἐπιθέτων* copia variusque eorum usus ad epicam poësin proxime accessit; sic oratio in plurimis trimetrorum reliquiis melicum colorem habuit a dithyrambis.

Facillime Gruppio Ariadn. p. 751 assentior, Chaeremonem, cum in Centauro omnia dicatur metrorum genera mi-

scuisse (*μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων*), non solum hexametrum, verum etiam iambos ac trochaeos adhibuisse, quamvis haec inter se sint diversa, neque opportune possint conciliari. Aristoteles enim hexametrum epico carmini aptum esse, minus autem ei aut iambi, aut trochaei vim convenire docet; itaque dissuadet, nequis cuncta metra, id est, hexametrum et iambos et trochaeos conetur conjungere, quemadmodum Chaeremo fecerit. Poët. 24: *τὸ δὲ μέτρον τὸ ἡρωϊκὸν ἀπὸ τῆς πείρας ἥρμοκεν. εἰ γάρ τις ἐν ἄλλῳ τινὶ μέτρῳ διηγηματικὴν μίμησιν ποιοῖτο, ἢ ἐν πολλοῖς, ἀπρεπὲς ἂν φαίνοιτο· τὸ γὰρ ἡρωϊκὸν στασιμώτατον καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστὶν, διὸ καὶ γλώττας καὶ μεταφορὰς δέχεται μάλιστα· περιττὴ γὰρ καὶ ἡ διηγηματικὴ μίμησις τῶν ἄλλων. τὸ δὲ ἰαμβικὸν καὶ τετράμετρον κινητικὰ, τὸ μὲν ὀρχηστικὸν, τὸ δὲ πρακτικόν. ἔτι δὲ ἀτοπώτερον, εἰ μιγνύοι τις αὐτὰ, ὥσπερ Χαιρήμων.* Ubi de copulatione metrorum loquitur, quae sint diversa natura, eamque ineptam conjunctionem Chaeremoni assignat. Unde infelix illud artificium cognoscitur, quod saepius deprehendimus, quibuscunque ornamentis, quamvis diversa eorum indoles videatur, opera distinguendi. Eodem artis studio in tragoediam traduxit, quidquid levitatis atque celeritatis numeri comici habere solebant. Nos enim, dummodo vulgatam locorum scripturam servemus, nequaquam specimina desideramus, ab illa elegantia remotiora, quam Chaeremoni vindicat Meinekius Hist. Crit. p. 520. Saepenumero invenimus tribrachum, ut ap. Athen. XIII. p. 562:

εἶναι, πονεῖν τε δυναμένους τοῖς σώμασιν
μάλιστα, προσεδρεύειν τ' ἀρίστους τῷ πόθῳ.

Ibid. p. 608:

φαίνουσα μαστὸν λελυμένης ἐπωμίδος.
ὑπνωμέναι δ' ἔπιπτον ἑλενίων ἔπι.
Πέρσης δὲ θαλερὸς ἐκτραφεὶς ἀμάρακος.
λειμῶσι μαλακοῖς ἐξέτεινεν αὐχένας.
εἶχον, τιθήνημ' ἔαρος ἐκπρεπέστατον.

Stob. Serm. 198:

γένοιτό μοι τὰς χάριτας ἀποδοῦναι πατρί.

Anapaesti primum metrorum pedem efficiunt ap. Athen. XIII. p. 608:

ἐρύθημα λαμπρῷ προστιθεῖσα χρώματι.

Athen. XV. p. 676:

στεφάνους τεμόντες, ἀγγέλους εὐφημίας.

Ibid. p. 676:

στεφάνους ἑτοιμάζουσιν, οὓς εὐφημίας.

Stob. Serm. 268:

οὐδεὶς τὰ πατρῷά πω γέρων κατεδήδοκε [1]).

Sed hic versus duos anapaestos habet; unum in quinto, alterum in secundo metro collocatum. Quod etsi contra vulgares regulas est, quae hoc metrum non admittunt, nisi in locis imparibus, a Chaeremone tamen saepe peccatum videtur. Nam legimus ap. Athen. XIII. p. 608:

ἔκειτο γὰρ ἡ μὲν λευκὸν εἰς σεληνόφως.
ῥόδ' ὀξυφεγγῆ κρίνεσιν ἀργεννοῖς ὁμοῦ.

Dactylos habet ap. Athen. l. l.:

ξουθοῖσιν ἀνεμοῖς ἐντρύφων φορουμένοις.

et Stob. 198:

γένοιτό μοι τὰς χάριτας ἀποδοῦναι πατρί.

Quid autem de Chaeremonis metro judicandum est, si ei versum ap. Stob. 198:

βεβαιοτέραν τὴν φιλίαν ἔχε πρὸς τοὺς γονεῖς

adscribimus, quem nec tragicum Gruppius Ariadn. p. 565 habuit, et Meinekius Hist. Crit. p. 519, non improbante Welckero Tr. Gr. p. 1094. Not. 23, Philemoni vindicare conatur. Nempe anapaestum, in pari sede positum, duo dactyli insequuntur, ut omnis fere ratio numerorum perversa sit atque sublata.

Cleophon. Cleophon, poëta tragicus, Atheniensis fuit. Suid. s. v. *Κλεοφῶν, Ἀθηναῖος τραγικός.* Eudoc. p. 270. Quem cum Vossius p. 88 poëtis adscripsisset, quorum aetas esset incerta, accurata quaedam temporis, quo vixerit, vestigia apud Aristotelem esse arbitrabar. Is enim et mentionem tragici poëtae, qui hoc nomen habuit, saepius injecit; et Cleophontem, versibus Solonis usum, superbiam reprehendisse tradidit, in Critiae, notissimi tyranni, familia inveteratam, Rhet. I, 15: *καὶ Κλεοφῶν κατὰ Κριτίου τοῖς Σόλωνος ἐλεγείοις*

---

1) Nonnullis in libris hic versus cum Antiphanis loco conjungitur, qui deinde sequitur.

ἐχρήσατο λέγων, ὅτι πάλαι ἀσελγὴς ἡ οἰκία. οὐ γὰρ ἄν ποτε ἐποίησε Σόλων·

εἰπεῖν μοι Κριτίᾳ πυῤῥότριχι πατρὸς ἀκούειν.

Haec autem in illud tempus optime cadere putabam, quo Athenienses a decemvirali potestate sublata recentes acerbissimo odio in virum inter tyrannos facile principem flagrarunt, h. e. Ol. 94, 1. Atque hoc facilius id mihi in animum olim induxeram, cum tragicum partim propter delectum argumentorum, partim ob scripturae genus Euripidi postponendum esse vidissem. Et Ritterus quidem Mandrobulum ejusdem fuisse existimat, qui versibus Solonis reprehendisset Critiam. Sed Ruhnkenius, Hist. Crit. p. 309, ea, quae Aristoteles citet, ex oratione desumpta contendit, quam Cleophon, turbulentus demagogus, contra Critiam habuerit. Haec igitur inter se pugnant adeoque dubia sunt, ut certis de cancellis, quibus aetatem ejus definiamus, jure ambigi queat. Sed altera ratio restat, ut conjectura, vel argumentis id assequamur idque comprobemus, num forte Cleophon demagogus et in tragoediarum compositione versatus fuerit. Nequaquam obscurum fuit tragici poëtae nomen, quippe quem Aristoteles, cum dicendi genus commemoret, quod in fabulis consectatus est, ab aliis hominibus ejusdem nominis nullo modo distinxerit. Rhet. III, 7: *οἷον ποιεῖ Κλεοφῶν.* Neque idem alio loco majori accurationi studuit. Poët. 2, 23. Quod sine controversia facere debuisset, si poëta a famoso oratore fuisset diversus, cum is omnium longe notissimus esset. Nec silentio alia praeterire licet, e quibus nuper Welckerus Tr. Gr. P. III. p. 1012 effecit, demagogum tragicum fuisse poëtam. Hic enim in iis, quae Aristophanes Ran. 675 de Cleophonte fundit, invenit significationem scenicae artis:

Μοῦσα χορῶν ἱερῶν ἐπίβηθι καὶ ἔλθ' ἐπὶ τέρψιν ἀοιδᾶς ἐμᾶς,
τὸν πολὺν ὀψομένη λαῶν ὄχλον, οὗ σοφίαι
μυρίαι κάθηνται,
φιλοτιμότεραι Κλεοφῶντος, ἐφ' οὗ δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις
δεινὸν ἐπιβρέμεται
Θρῃκία χελιδὼν,
ἐπὶ βάρβαρον ἑζομένη πέταλον.

Quanquam igitur honoris cupidinem, qua insignem demagogum Aristophanes fingit, in publicis rebus optime ostendere pote-

rat, tamen nescio quae subtilitas, vel suavitas in comparatione inest, cum Cleophon, cui spectatores comoediae, multum in aestimandis illi poëmatis sibi sumentes, honoris cupidine antecellere dicuntur, non perturbatione rerum civilium, sed cognitione ac studio poësis videatur insignis esse voluisse. Porro, quae de hirundinis cantilena addit, cui sermo Cleophontis comparatur, ea minus in orationes forenses, quam in carmina cadunt [1]). Accedit quod Cleophon ea aetate vixit, qua tragicum viguisse conjicimus, quodque in tragoedias, si quas scripsit, illas proprietates, quae in illo laudantur sine dubio, transferret necesse fuit; accedit oratorum, qui tum erant, consuetudo, qui in poësi tragica operam multum collocabant. Meinekius, cum de vita ejus plura disputet, poëticam indolem omittens, ne suspicatur quidem, poëtam atque oratorem eundem fuisse virum. Hist. Crit. p. 171. Distinctius Tyrwhittus ad Aristot. Poët. p. 121 et Westermannus alterum ab altero habent diversum.

Nunc decem fabularum nomina apponamus, quae in Aldino exemplari Suid. s. v. leguntur: *Ἀκταίων*, *Ἀμφιάραος*, *Ἀχιλλεὺς*, *Βάκχαι*, *Δεξαμενὸς*, *Ἠριγίνη*, *Θυέστης*, *Λεύκιππος*, *Περσίς*, *Τήλεφος* [2]). Eudocia, sicut rectius *Ἠριγόνη* pro *Ἠριγίνη* scripsit, sic *Πέρσις* in *Περσεὺς* corrupit. At scriptura Hermanni ad Aristot. Poët. p. 162 praestat, a Meinekio Hist. Crit. p. 162 et Welckero Trag. Gr. P. III. p. 1010 comprobata; nam is *Πέρσις* legit. Mittamus vero ceteras fabulas, quarum argumenta aliunde satis cognosci possunt. De Actaeone Apollodor. III, 44. Hygin. 180, 181. Ovid. Metam. III, 139. — Dexamenum, qui a centauro quodam, Heyn. ad Apollod. p. 363, nomen habuit, praeter hunc e tragicis Iophon, e comicis autem poëtis Timocles fecit. Athen. VI. p. 240 D. — Leucippus fortasse filius Herculis fuit. Hygin. 162. — Sed his fabulis noli Mandrobulum adjun-

---

1) Haud raro hirundo poëtis, ejusque cantus cum poësi comparatus est. Vide Pac. 800. Itaque Ran. 93 futiles poëtae *χελιδόνων μουσεῖα* dicuntur; quod quidem tali modo explicat Scholiasta: *ἀντὶ τοῦ βάρβαρα καὶ ἀσύνετα. καὶ γὰρ παροιμία ἐπὶ τῶν βαρβάρων καὶ πολυλόγων καὶ ἐπαχθῶν ἐστι ταττομένη. τοιοῦτον γὰρ τὸ χελιδόνων γένος, πλέον διὰ τὸ πολὺ τῆς ᾠδῆς ἀνιῶν τοὺς ἀκούοντας, ἢ διὰ τὸ μέλος εὐφραῖνον.*

2) Est mirum, quod eaedem fabulae Iophonti tribuantur.

gere, carmen ab Aristotele, Soph. Elench. 15, citatum: *καὶ ἐρωτῶντας χρηστέον ποτὲ τούτῳ πρὸς τοὺς ἐνισταμένους, ἐὰν ὡδὶ μὲν συμβαίνῃ, ὡδὶ δὲ μή, ὅτι οὕτως εἴληφεν· οἷον ὁ Κλεοφῶν ποιεῖ ἐν τῷ Μανδροβούλῳ.* Mandrobulus autem, cum in Samo invenisset thesaurum, primo anno auream ovem, secundo argenteam, tertio aeneam Iunoni dedicasse ferebatur. Aelian. Hist. Anim. XII, 40. Is Aristotelem sequitur. Paullo aliter Ephorus, ex quo rem Suidas narrat. Unde Graecis olim proverbium fuit, ut, si quis in dies ad inferiorem conditionem descenderet, is fortunam Mandrobuli experiri diceretur. Zenob. in Corp. Paroemiogr. Gr. Gotting. Cent. III, 82: *ἐπὶ τὰ Μανδραβούλου αὕτη τέτακται κατὰ τῶν ἐπὶ τὸ χεῖρον προκοπτόντων ἀεί. Ὁ Μανδράβουλος οὗτος εὑρών ποτε θησαυρὸν ἐν Σάμῳ (τὸ πρῶτον) πρόβατον χρυσοῦν ἀνέθηκε τῇ Ἥρᾳ, τῷ δὲ δευτέρῳ ἔτει ἀργυροῦν καὶ τῷ τρίτῳ χαλκοῦν.* Diogenian. IV, 62. Apost. VIII, 95. Suid. s. v. Ubi Leutschius aliam nominis formam *Μάνδράβουλος* praetulit; sed scriptura, quam Buhlius apud Aristotelem refecit, neque in Zenobii, neque in Diogeniani libris deest ab editore Gottingensi collatis, eademque Aldino Suidae exemplari commendatur. Quapropter, quoniam ea narratione in rebus Mandrobuli nihil illustrius fuit, ut Suidas docet, Cleophon hoc poëmate languentem hominis religionem, aut pauperiem in dies ingravescentem videtur adumbrasse. Quod argumentum a gravitate tragoediae certe alienum fuit. Vide Hermann., Ritter. Commentar. ad Aristot. Poët. c. 2, Welcker. l. l. p. 1013.

Neque certa fabularum est series, in qua praeprimis versatus fuit, neque cognoscere possumus, cujusnam poëtae praestantissimi exemplar sibi ob oculos posuerit. Calamitatem Telephi ac Thyestae, ut saepe monuimus, tum homines in deliciis habere coeperant. In Achille procul dubio ingenium ac mores ad similitudinem Aristarchi adduxit. Actaeonem, Amphiaraum, Bacchas, Erigonam, Leucippum scripsit, ut sibi satisfaceret, neve artes aliorum omnino admovere cogeretur, utque spectatores iis rebus oblectaret, quae tum nimis in scena postulabantur. Quod Excidium Ilii tragoedia explicavit, adscribendus est illi poëtarum choro, qui plures mythos unius fabulae finibus comprehenderunt. Cum Dexamenum fecit, a Centauro nominatum, certo, quae illorum portentorum indoles fuit, ad co-

moediae naturam proxime accessit. Quod vitium in eo quoque apparet, quod personas, cum graves ac sublimes deberet inducere, ad vitae expressit similitudinem. Nam Aristoteles Poët. 2 de rerum, quas artifices imitentur, diversitate disputans easque aut meliores iis, aut deteriores esse contendens, quae in communi vita reperiantur, aut nihil mutatas denique proponi: *καὶ γὰρ ἐν ὀρχήσει*, inquit, *καὶ αὐλήσει καὶ κιθαρίσει ἔστι γενέσθαι ταύτας τὰς ἀνομοιότητας καὶ περὶ τοὺς λόγους δὲ καὶ τὴν ψιλομετρίαν, οἷον Ὅμηρος μὲν βελτίους, Κλεοφῶν δὲ ὁμοίους, Ἡγήμων δὲ ὁ Θάσιος, ὁ τὰς παρῳδίας ποιήσας πρῶτος καὶ Νικοχάρης, ὁ τὴν Δηλιάδα χείρους.* Ubi bene Ritterus tragoedias a philosopho respici negat, quippe cum is exempla *ψιλομετρίας* proponere velit; Hermannus vero de Mandrobulo censet cogitandum esse. Verum quisquis hoc ipsum ab Aristophane vitio datum Euripidi animadvertit, quod necessariam nobilitatis ac generositatis speciem detraxisset personis easque a cothurni dignitate remotissimas in scenam introduxisset, non facile dubitat, quin Cleophon, illam mores depingendi rationem in aliis carminibus secutus, a tragoedia vitium minime depulerit, quod illustrissimi poëtae admiserant. Accessit demissum atque humile dicendi genus. Aristot. Rhet. III, 7: *τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις, ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθικὴ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον. τὸ δ' ἀνάλογόν ἐστιν, ἐὰν μήτε περὶ εὐόγκων αὐτοκαβδάλως λέγηται, μήτε περὶ εὐτελῶν σεμνῶς, μηδ' ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπῇ κόσμος· εἰ δὲ μή, κωμῳδία φαίνεται, οἷον ποιεῖ Κλεοφῶν. ὁμοίως γὰρ ἔνια ἔλεγε καὶ εἰ εἴπειεν ἂν „πότνια συκῆ".* Quodsi poëta hoc locutionum genus in carmine parodico, vel parodiae simillimo proposuisset, indignum atque ineptum videretur Aristotelis vituperium. At in tragoediis, credo, Cleophon vilissimis rebus, ut subtilitatem quandam dictionis assequeretur, exquisitas ac magnificas virtutes tribuerat, quae comico generi finitimae essent. Simillimis magniloquentiae exemplis Aristophanes ad *λῆρον* tragicorum irridendum utitur, ut poëtas, importuno gravitatis studio deditos, ludibrio saepe locum dedisse existimes. Vide Pac. 76. Sed quid illa locutione ineptius est, quam Aristoteles in hoc reprehendit? Quanquam philosophus rem praeter veritatem nequaquam auxit. Fuit autem hoc gravius peccatum, quia genus orationis exile atque

humile erat propriisque affluebat nominibus. Aristot. Poët. 22: *σαφεστάτη (λέξις) μὲν οὖν ἐστιν ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων, ἀλλὰ ταπεινή. παράδειγμα δὲ ἡ Κλεοφῶντος ποίησις καὶ ἡ Σθενέλου.*

Critias, Atheniensis, Callaeschri filius, Plat. Protag. p. 316 A: *καὶ Κριτίας ὁ Καλλαίσχρου.* Procl. ad Platon. Tim. p. 25, oratoriis laudibus, et splendore publicorum munerum et invidia civium longe majorem, quam studio poësis famam est consecutus. Nam crudelissimus et maxime infamis fuit inter triginta viros, Xenophon. Hellen. II, 3. Memorab. I, 2, 12. Dionys. Halic. Is. 21. Diod. Sicul. XIV, 34. Justin. V, 9. Corn. Nep. Thrasyb. II, 7, qui, libertate sublata, in Athenienses dominati sunt. Cecidit autem, cum in Piraeo exadversus Thrasybulum aliosque exules ipse pugnaret cum summa fortitudine. Corn. Nep. Thrasyb. 2: „In secundo proelio cecidit Critias, dux tyrannorum, quum quidem exadversus Thrasybulum fortissime pugnaret". Quod etiamsi in dubitationem cadit, quod princeps tyrannorum in ducem exsulum incidisse ab eoque dicitur interfectus esse, quoniam id ipsum vetusti scriptores in plerisque pugnarum descriptionibus extulerunt, tamen Diodorus XIV, 33 quoque Critiam sub finem pugnae concidisse significat: *τέλος δὲ Κριτίου πεσόντος.* In quo signum virtutis animadvertimus. Mortem ejusdem narrat Xenophon. Hellen. II, 4, 19. Tyranni vero Ol. 94, 2. Athenis ejecti sunt. Petav. Ration. Temp. III, 10. Itaque tum Critias, si tantam virtutem exhibuit, neque infirmis viribus fuit, neque aetate admodum affecta. Familia hujus antiqua et illustris et opulenta fuit. Habuit enim Solonem in numero majorum, ut Schol. ad Plat. Tim. p. 424: *Ἐξηκεστίδης Σόλων, Δρωπίδης, οὗ Κριτίας ὁ πρῶτος, οὗ Κάλλαισχρος, οὗ Γλαύκων, Κριτίας ὁ δεύτερος κ.τ.λ.*, tradit utque ap. Platon. Tim. p. 20 E: *(Σόλων) ἦν μὲν οὖν οἰκεῖος καὶ σφόδρα φίλος ἡμῖν Δρωπίδου τοῦ προπάππου* ipse gloriatur. Ubi quo sensu dicat *οἰκεῖος*, Hesychius s. v. *οἰκεῖοι οἱ κατ' ἐπιγαμίαν ἀλλήλοις προσήκοντες* indicat. Eandem Critiae necessitatem Proclus l. l., Liban. Declam. XXIV. p. 587., Schol. ad Plat. Tim. p. 20 E attingunt. Vide Stallbaum. ad Plat. Tim. l. l. Prolegom. ad Platon. Charmid. p. 84. Paternam ejus domum omnibus divitiarum ac luxuriae illecebris ornatam multi iique nobilis-

simi poëtae frequentarunt. Charmid. p. 157 E: ἥτε γὰρ πατρῴα ὑμῖν οἰκία ἡ Κριτίου τοῦ Δρωπίδου καὶ ὑπ' Ἀνακρέοντος καὶ ὑπὸ Σόλωνος καὶ ὑπ' ἄλλων πολλῶν ποιητῶν ἐγκεκωμιασμένη παραδέδοται ἡμῖν, ὡς διαφέρουσα κάλλει τε καὶ ἀρετῇ καὶ τῇ ἄλλῃ λεγομένῃ εὐδαιμονίᾳ. Ab avo, quem maxime dilexit, cuique totum se dedidit, diligentissime eruditus est. Philostr. Vit. Soph. I, 16: ἐπεὶ δὲ ἄριστα μὲν ἦν πεπαιδευμένος. Plat. Tim. p. 29 D. Nam modo hunc de veterrimis rebus disserentem fabulasque narrantem audiit, Plat. Tim. p. 21, modo cum aliis juvenibus de praemiis, quae vel pater, vel avus exposuerat, ita certavit, ut carmina poëtarum declamarent, quae tum summo in honore habebantur, Tim. p. 21 B: Ἆθλα γὰρ οἱ πατέρες ἔθεσαν ῥαψῳδίας. πολλῶν μὲν οὖν δὴ καὶ πολλὰ ἐλέχθη ποιητῶν ποιήματα, ἅτε δὲ νέα κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα τὰ Σόλωνος πολλοὶ τῶν παίδων ᾔσαμεν. Quare ubi paullum adolevit aetas, cum in illa generis claritate magnaque divitiarum copia dubitare non posset, quin necessariis imbutus literis aliquando ad summos rei publicae gradus esset perventurus, cum ad cetera, quae usus rei publicae desiderabat, tum ad eloquentiam animum applicavit, sine qua ne peritissimus quidem, aut opulentissimus Atheniensium auctoritatem ac gratiam civium inire poterat. Sed illo tempore nihilosecius Athenis poësis studium florebat. Ad quod et aliorum poëtarum, quos in avi patrisque aedibus cognoverat et Solonis exemplo maxime deductus est. Verum enim operam in cognitione literarum poëticisque exercitationibus positam ad rationem vitae, quam in posterum sequi statuerat, adeo direxit, ut tam argumenta poëmatum ex hoc genere deligeret, quam omnem undique multarum rerum scientiam conquireret, quae possent ipsi aliquando in administratione civitatis usui esse. Itaque philosophiam per se quidem non expetendam, sed ita colendam esse existimavit, ut in arte oratoria regendisque hominum animis ipsum juvaret. Quare mirari non licet, quid sit, quod modo Socratem audierit, modo scholis sophistarum operam dederit. Nam e duabus disciplinis, quamvis diversa et paene contraria earum indoles esset, cum nec vera, neque probabilia vellet indagare, in usum suum multa convertere potuit. Initio igitur Socratem habuit magistrum, quem adeo admiratus est, ut consuetudine ejus mores tyranni

corruptos esse dicerent. Aeschin. in Timarch. p. 173. Maxim. Tyr. Dissert. IX. p. 166. Philostrat. l. l. Quamobrem hunc Plato saepe cum magistro sermones serere facit. Nihilominus artibus sophistarum operam dedit; quibus quantopere se applicaverit, intelligi potest e Charmide dialogo, in quo partes habet sophistae. Protagor. p. 1316 A, p. 336 D, E. Charmid. p. 163 D, p. 169 C. Tali modo cum summis animi bonis a natura esset ornatus, magnam omnium rerum peritiam brevi tempore sibi comparävit. Nam Socrates prudentissimorum hominum corona stipatus, nullius rei, de qua quaerere coeperint, hunc rudem esse asseverat, quanquam subtilissimis atque obscuris quaestionibus propositis. Tim. p. 20: ὅτι Κριτίαν πάντες, οἵ τῇδ' ἴσμεν, οὐδενὸς, ὧν λέγομεν, ἰδιώτην ὄντα. Atque haec prudentia in caussa fuit, quod Plato, qui propter necessitatis vinculum ei certe adulatus non est, Critiam non commemorat nisi cum aliqua honoris significatione. Vide Groen van Prinsterer Prosopograph. Platon. p. 139, Schol. ad Platon. Tim. p. 20: *Κριτίας ἦν μὲν γενναίας καὶ ἁδρᾶς φύσεως, ἥπτετο δὲ καὶ φιλοσόφων συνουσιῶν καὶ ἐκαλεῖτο ἰδιώτης μὲν ἐν φιλοσόφοις, φιλόσοφος δὲ ἐν ἰδιώταις.* Cum eloquentia igitur scientiam multarum ac variarum rerum junxit. Attamen neque in reconditis atque obscuris rebus versatus est, neque constantiam et consensum notionum effecit easque aut in excolendo ingenio probavit, aut in vita moribusque temperandis. Sed illa quae fecit, quaeque ei accidisse dicuntur, aut hujus scriptionis, aut temporis non sunt.

Sed eloquentia valde conspicuus fuit. Itaque non solum ad summos civitatis honores escendit, sed maximis quoque laudibus cumulatus est. Proponamus vero hac de re judicia antiquitatis, propterea quod indolem, orationibus expressam, in tragicam poësin quodammodo transferret necesse fuit. Cic. de Orat. II, 22, 93: „*Antiquissimi fere sunt, quorum quidem scripta constent, Pericles atque Alcibiades et eadem aetate Thucydides, subtiles, acuti, breves, sententiis magis, quam verbis abundantes. Consecuti sunt hos Critias, Theramenes, Lysias. Multa Lysiae scripta sunt, nonnulla Critiae, de Theramene audivimus: omnes enim retinebant illum Pericli succum, sed erant paullo uberiore filo.*" Simile judicium Dionys. Halic. de Lys. Jud. 2: *Θρασύμαχος δὲ καθαρὸς μὲν καὶ λέπτος καὶ δεινὸς εὑρεῖν τε καὶ εἰπεῖν*

στρογγύλως καὶ περιττῶς ὃ βούλεται . . . τὰ δὲ αὐτὰ καὶ περὶ Κριτίου . . . τις ἂν εἰπεῖν ἔχοι. Hermogen. de Form. Orat. II. p. 375. ed. Sturm.: *ἔστι γὰρ οὗτος σεμνὸς μὲν παραπλησίως τῷ Ἀντιφῶντι καὶ διηρημένος πρὸς ὄγκον καὶ τὰ πολλὰ λέγων ἀποφαντικῶς, καθαρώτερος δὲ τὴν λέξιν καὶ ὅτε περιβάλλει.* Addit denique Philostratus Vit. Soph. de poëtico quodam succo, vel colore, quo Gorgias orationem distinxit: *τὸ δὲ τοῦ λόγου πνεῦμα ἐλλιπέστερον μὲν, ἡδὺ δὲ καὶ λεῖον, ὥσπερ ἡ τοῦ Ζεφύρου αὔρα.*

Jam tria carminum, quae scripsit, genera sunt, unum hexametris, alterum elegis, tertium iambis adstrictum. Quemadmodum enim Solo et Theognis aliquando sententias morales elegis exornarant; sic Critias proprietates civitatum eodem metro descripsit. Athen. I. p. 27 D: *τὰ ἐξ ἑκάστης πόλεως ἰδιώματα.* Fragmentum vero *πολιτειῶν ἐμμέτρων*, quod Nicol. Bachius (Crit. Tyrann. Carm. etc. p. 26) primo loco proposuit, frigidam enarrationem potius, quam descriptionem poëticam dixeris. Altera pars, qua prolixior mos Graecorum convivia celebrandi explicatur, Bach. 37, acutam frigidamque habet dictionem, tametsi subtilitate sermonis et apta argumentatione et copia dicendi conspicua est. Audiamus igitur Naekium, Choeril. p. 215, ita disputantem: „*Eadem conditio est Critiae in elegis ap. Athen. X. p. 433 A. Melior haud dubie orator, quam poëta fuit Critias. Cujus qui leguntur elegi hoc loco et apud eundem Athenaeum I. p. 28 B et apud Plutarchum in Alcibiade omnes perquam jejuni sunt.*" Haec ille bene. Neque aliter nos de hexametris judicamus, quibus vitam illustrium virorum celebravit, etsi versus, qui laudes Anacreontis, Athen. XIII. p. 600 E continent, nec vitali spiritu, ut ita dicam, neque indole ac vi poëtica egent. Ex omnibus vero reliquiis, quae nobis servatae sunt, hominem et philosophiae et eloquentiae studiis imbutum cognoscimus, qui de unaquaque re tam acute judicare, quam apte, copiose ornateque dicere posset.

Verum enim antiqua et perdifficilis quaestio est, utrum Critias certas tragoedias scripserit, an Euripides, quem alii scriptorem earum habere solent. Velut Bachius, cum in fragmentis luculenter explicandis diu multumque operam collocasset, nuper hac de re nunquam statuit quidquam certi erui posse, p. 55: „*In Joh. Alb. Fabricii bibliotheca Graeca Critias ty-*

rannus redactus est jam in catalogum poëtarum tragicorum. Quibus tamen rationibus id fieri potuerit, quaestio est longe difficillima, quam quidem prorsus ad liquidum perducere etiam hodie aliquis frustra conetur." Sed superiores illi, qui hunc in locum ante Bachium inciderunt, aliud sibi videntur persuasisse. Nam etsi Lil. Gyraldus nihil huic nisi elegos adscripsit de Poët. Hist. p. 126; tamen Vossius p. 44 Critiam tyrannum, quem a filio Callaeschri falso diversum habet, ut scriptorem iambici fragmenti, quod apud Sextum Empiricum legimus, in poëtas retulit tragicumque poëtam eundem appellasset, si locum vel accuratius excutere, vel majore doctrina illustrare voluisset. Sed eum in tragicorum numero habuit Grotius Exc. p. 452, quem Fabric. Bibl. Gr. T. II. p. 294 secutus est. Neque aliquod tyranni studium in compositione tragoediarum fuisse Valckenarius Diatrib. p. 14 A, 208, Welckerus Trilog. p. 554, Trag. Gr. P. III. p. 1008, Müllerus Hist. Liter. Gr. T. II. p. 178 negarunt. Sed hi omnes admodum dubitanter judicant, ut id magno possit argumento esse, quaestionem non modo non perfectam, sed integram quoque ad disputandum nobis relictam esse.

Antiquam vero disceptationem eorum diximus, qui de alterutro poëtarum, quibus fabulae ac fragmenta tribui solebant, injecerunt quaestiones. Haec enim Athenaeus, cum scriptorem Pirithoi nominatim laudare debeat, XI. p. 496 B: *μνημονεύει δὲ αὐτῶν καὶ ὁ τὸν Πειρίθουν γράψας, εἴτε Κριτίας ἐστὶν ὁ τύραννος, ἢ Εὐριπίδης.* Itaque non singuli tantum loci, sed etiam omnes fabulae cunctaque fragmenta apud varios scriptores, aut in diversis exemplaribus ejusdem scriptoris modo Critiae adscribuntur, modo Euripidi. Quam haesitationem unde ortam esse censemus? Si fabulae, de quibus ambigitur, non modo scriptae, sed in scena quoque sunt doctae, id quod pro illius temporis usu nequit dubitari, haud dubie in didascaliis erant consignatae idque addito nomine poëtae, qui eas suo nomine populo exhibuerat. Quare igitur grammatici his monumentis fidem abrogarunt? Si ea de caussa haesitassent, quod nonnulli loci cum Euripidia poësi similitudinem aliquam habere viderentur, ad hos ipsos pertineret dubitatio, in qua nunc cunctos versari diximus. At fortasse fando audierant, fabulas, quae in publicis scenicorum certaminum tabellis

Euripidi tribuerentur, Critiae vindicandas, aut illi rursus asserendas esse, cum hujus esse vulgo crederentur. Nec vero illa dubitatio, aut haec narratio fingi potuisset, nisi antiquitas de tragica Critiae poësi aliquid accepisset. Sed duobus id locis indicat Plato, cum Critiam eodem modo dicat Charmidi irasci, quo histrioni poëta succenseat, fabulas ipsius corrumpenti. Charmid. p. 162 D: *Κριτίας ἔδοξεν ὀργισθῆναι, ὥσπερ ποιητὴς ὑποκριτῇ, κακῶς διαθέντι τὰ ἑαυτοῦ ποιήματα.* Item Socrates respondet Critiae, cum auditores rogarit, ut animum ad se adverterent, Crit. p. 108 B: *προλέγω γε μήν, ὦ φίλε Κριτία, σοι τὴν τοῦ θεάτρου διάνοιαν, ὅτι θαυμαστῶς ὁ πρότερος εὐδοκίμησεν ἐν αὐτῷ ποιητήν.* Quae vereor ut quis, indole dissimulantiae, qualem plerumque ostendit Socrates, recte perspecta, de poësis, quam Critias coluerit, studio accipienda esse existimet. Stallbaum. ad h. l. Groen van Prinsterer Prosopogr. Platon. p. 138. Mirarer igitur, si nullum hujus generis specimen exsisteret, cum e ceteris literarum generibus, quibus operam dedit, fragmenta nobis relicta sint. Et quamvis illud saepenumero acciderit, ut opera minus noti obscurique scriptoris iis assignarentur, quorum nomen esset illustrius, tamen vix uno exemplo comprobaveris, scripta celeberrimi poëtae homini tributa, cujus fama, aut infamia in aliis vitae, vel poësis studiis potius, quam in scena effloruit. Quemadmodum igitur fabulas Euripidis censes Critiae tributas esse? Nec vero tragoediae Euripidi olim adscriptae non sunt, quas aliorum esse poëtarum postea grammatici intellexerunt. Quae universe sumus praefati, quo facilius deinceps tragoedias, de quibus ambigitur, Critiae, an Euripidis fuerint, huic esse vindicandas appareret.

Id enim eo magis ad veritatem nobis persuadetur, quo diligentius singula quaestionis momenta animo perpendimus. Ap. Sext. Empir. adv. Phys. p. 262 legimus: *καὶ Κριτίας δέ, εἷς τῶν ἐν Ἀθήναις τυραννησάντων, δοκεῖ ἐκ τοῦ τάγματος τῶν ἀθέων ὑπάρχειν φάμενος, ὅτι οἱ παλαιοὶ νομοθέται ἐπίσκοπόν τινα τῶν ἀνθρωπίνων κατορθωμάτων καὶ ἁμαρτημάτων ἔπλασαν τὸν θεὸν ὑπὲρ τοῦ μηδένα λάθρα τὸν πλησίον ἀδικεῖν, εὐλαβούμενον τὴν ὑπὸ τῶν θεῶν τιμωρίαν. ἔχει δὲ παρ' αὐτῷ τὸ ῥητὸν οὕτως·*

Ἦν χρόνος, ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος

καὶ θηριώδης, ἰσχύος θ' ὑπηρέτης,
ὅτ' οὐδὲν ἆθλον, οὔτε τοῖς ἐσθλοῖσιν ἦν,
οὔτ' ἂν κόλασμα τοῖς κακοῖς ἐγίγνετο.
κἄπειτά μοι δοκοῦσιν ἄνθρωποι νόμους
θέσθαι κολαστὰς (ἀνομίης), ἵν' ἡ δίκη
(κρατ)ῇ τύραννος, τήν θ' ὕβριν δούλην ἔχῃ·
ἐζημιοῦντο δ' εἴ τις ἐξαμαρτάνοι.
ἔπειτ' ἐπειδὴ τἀμφανῆ μὲν οἱ νόμοι
ἀπῆγον αὐτοὺς ἔργα μὴ πράσσειν βίᾳ,
λάθρα δ' ἔπρασσον (ἄδικα), τηνικαῦτά μοι
δοκεῖ πυκνός τις καὶ σοφὸς γνώμην ἀνὴρ
γνῶναι δέον θνητοῖσιν, ἐξευρὼν, ὅπως
εἴη τι δεῖμα τοῖς κακοῖσι, κἂν λάθρα
πράσσωσιν ἢ λέγωσιν ἢ φρονῶσί τι.
ἐντεῦθεν οὖν τὸ θεῖον εἰσηγήσατο,
ὡς ἔστι δαίμων, ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ,
νόῳ τ' ἀκούων καὶ βλέπων, φρονῶν τ' ἀεὶ
προσεχών τε ταῦτα, καὶ φύσιν θείαν φορῶν,
ὃς πᾶν τὸ λεχθὲν ἐν βροτοῖς ἀκούεται,
ὃς δρώμενον δὲ πᾶν ἰδεῖν δυνήσεται.
ἐὰν δὲ νῦν σιγῇ τι βουλεύῃς κακὸν,
τοῦτ' οὐχὶ λήσει τοὺς θεούς· τὸ γὰρ φρονοῦν
(θεοῖς) ἔνεστι. τούσδε τοὺς λόγους λέγων,
διδαγμάτων ἥδιστον εἰσηγήσατο,
ψεύδει καλύψας τὴν ἀλήθειαν λόγῳ·
αἰεὶ δ' ἔφασκε τοὺς θεοὺς ἐνταῦθ', ἵνα
μάλιστά γ' ἐξέπληξεν ἀνθρώπους ἄγων,
ὅθεν περ ἔγνω τοὺς φόβους εἶναι βροτοῖς
καὶ τὰς πονήσεις τῷ ταλαιπώρῳ βίῳ,
ἐκ τῆς ὕπερθε περιφορᾶς, ἵν' ἀστραπὰς
κατεῖδεν οὔσας, δεινὰ δὲ κτυπήματα
βροντῆς, τό τ' ἀστερωπὸν οὐρανοῦ δέμας,
χρόνου καλὸν ποίκιλμα, τέκτονος σοφοῦ·
ὅθεν τε λαμπρὸς ἀστέρος στείχει μύδρος,
ὅ θ' ὑγρὸς εἰς γῆν ὄμβρος ἐκπορεύεται.
τοιούσδε περιέστησεν ἀνθρώποις φόβους,
δι' οὓς καλῶς τε τῷ λόγῳ κατῴκισεν
τὸν δαίμονα καὶ ἐν πρέποντι χωρίῳ,
τὴν ἀνομίαν τε τοῖς νόμοις κατέσβεσεν.

— — — — — — — — —.

οὕτω δὲ πρῶτον οἴομαι πεῖσαί τινα
θνητοὺς νομίζειν δαιμόνων εἶναι γένος.

Sed hunc locum scriptor libelli de placitis philosophorum, quem Plutarcho tribuere, **Wyttenbach.** ad Plut. Moral. Vol. I. p. CXVIII, solent, cum partim ad verbum exprimat, partim sententiam ejus concise proponat, Euripidi vindicat, nobilissimo poëtae, qui, quae ipse Areopagi metu non ausus fuerit contendere, ea Sisyphum fecerit tali modo enuntiantem. Nam is I, 7: καὶ Εὐριπίδης, ὁ τραγῳδιοποιός, inquit, ἀποκαλύψασθαι μὲν οὖν ἠθέλησε (τὸ μὴ εἶναι θεούς), δεδοικὼς τὸν Ἄρειον πάγον, ἐνέφηνε δὲ τοῦτον τὸν τρόπον. τὸν γὰρ Σίσυφον εἰσήγαγε προστάτην ταύτης τῆς δόξης, καὶ συνηγόρευσεν αὐτοῦ ταύτῃ τῇ γνώμῃ·

ἦν γάρ χρόνος (φησὶν), ὅτ' ἄτακτος ἦν ἀνθρώπων βίος
καὶ θηριώδης ἰσχύος θ' ὑπηρέτης.

ἔπειτά φησι τὴν ἀνομίαν λυθῆναι νόμων εἰσαγωγῇ. ἐπεὶ γὰρ ὁ νόμος τὰ φανερὰ τῶν ἀδικημάτων εἴργειν ἐδύνατο, κρύφα τε ἠδίκουν πολλοὶ, τότε τις σοφὸς ἀνὴρ ἐπέστησεν, ὡς δεῖ ἀεὶ ψευδεῖ λόγῳ τυφλῶσαι τὴν ἀλήθειαν καὶ πεῖσαι τοὺς ἀνθρώπους·

ὡς ἔστι δαίμων ἀφθίτῳ θάλλων βίῳ,
ὃς ταῦτ' ἀκούει καὶ βλέπει φρονεῖ τ' ἄγαν.

Quae ipsa Eusebius Praeparat. Evang. XIV, 16 habet, ut, cum ambo mirabiliter conspirent, ab uno haec ad alterum pervenisse eodemque ex fonte fluxisse videantur. Neque aliter de tertio judicamus, qui in historia philosophorum, quae Galeni non est, cujus vulgo putatur, de Pseudo-Plutarchi libro commentum exscripsit, quod ille finxit, Euripidi Sisyphum tribuens. Cf. Cap. 8. Quare jam **P. Petitus**, ut dissensionem tolleret, in qua hi testes contra Sextum Empiricum persistunt, locum hujus corruptum existimavit, cum fragmento, quo Critias non esse deos docuisset, et nomine Euripidis omisso, versus nobilissimi principis ad nomen tyranni essent relati. Sed **Grotius** Excerpt. p. 402 eam fabulae particulam in Euripidis fragmenta retulit. Quem **Barnesius** secutus est, quoniam ex voce μύδρος auditorem Anaxagorae, Diogen. L. II, 8, agnovit idque in Euripidem optime cadere arbitratus est. Quod argumentum quaeso, quam leve, quamque temere adhi-

bitum est, perinde quasi nec praeter philosophum quisquam hac voce uti et Anaxagoram Euripides solus imitari potuisset! Nihilomagis artificium Petiti placet, tametsi id satis argutum est; neque enim in libris, ut Fabricius ad h. l. monet, ullum lacunae indicium reperitur, nec tenor sententiae interruptus est, quippe cum sententia, quam Sextus concisam praemittit, ipsa totis subjecta est versibus, adeo ut scriptor, quae loco poëtae demonstrare voluit, videatur optime declarasse. Unde illi, a Sexto dissentientes, nihil secuti sunt nisi opinionem eorum, qui fabulas, quas veteres Critiae tribuerant, Euripidi adscribebant.

Videamus vero quid sit, quod Pseudo-Plutarchus memoriae prodiderit. Vereor ne quis, ubi fabulas Euripidis perlegerit, eosque locos contulerit, quibus doctrinam de diis professus est summus poëta, Valcken. Diatrib. p. 37—57, eam mentem putet Mnesarchidae fuisse, ut is, quamvis a vulgari hominum ratione recedens, deos esse negaret. Haec iste quidem affirmat; nos autem omnino rejicimus. Neque ita personam talia loquentem inducere potuit, nisi maximae impietatis crimine suscepto. Qui, ubi scripsit, quod est in Hippolyto v. 612:

ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος,

quod de sanctitate jurisjurandi aliquantum detrahebat, gravissime vituperatus est. Num forte sperare potuit, cum Sisyphus de diis tam impia enuntiaret, minus indigne id populum esse laturum, cum tanta impietas propter ipsum, quod in illo fuisse diceretur, ingenium minus displiceret, neque animos spectatorum adeo esset corruptura? At eum, qui deos tollit, haud dubie magis reprehendi oportet, quam alios, cum in jurejurando aliter loqui censent, aliter cogitare sibi licere. Atque etiam verba de perjurio sunt Hippolyti, quemadmodum illa Sisyphus explicat. Quae cum ita sint, non intelligo, quare haec sententia, si esset Euripidis, ab antiquis illis, quotquot versum Hippolyti poëtae crimini dederunt, non potius commemorata, vel explosa fuisset, Aristoph. Ran. 102, 1519, Thesmoph. 282. Plat. Theaetet. p. 154 D, Sympos. p. 199 A. Aristot. Rhet. III, 15. Justin. Mart. Apolog. I. p. 67 B. Eustath. ad Hom. p. 1239. Suid. s. v. Ἀνώμοτος, Μῶρος. Cic. de Offic. II, 29. Spanhem. ad Aristoph. Ran. 102. Valcken. ad Eurip. Hippolyt. l. l.

Neque Cephisodorus, auditor Isocratis, Jons. Script. Hist. Ph. I, 13, 1, cum liberiora dicta poëtae colligeret, haec silentio praeterire potuit. Athen. III. p. 122. Itaque ea ratio veterum, qui levius impietatis indicium multifariam commemorant, gravius omittunt, vix poterit explicari, nisi versus Sisyphi cuipiam alii olim magis sumemus, quam Euripidi esse adscriptos. Porro Sisyphus Euripidis satyrica fabula fuit. Aelian. Var. Hist. II, 8. Valcken. Diatrib. p. 14, 218, Bach. l. l. p. 72. In quo genere cum leporibus ac facetiis delectaret animos spectatorum, fragmentum, quod est apud Sextum, nunquam locum habuisse potest. Nam sive res spectatur, poëta de summis ac gravissimis rebus disserit, originem ac vim religionis explicans, sive oratio consideratur, acutum, severum graveque dicendi genus adhibet, quale tragicis fuit usitatum. Porro Euripides, tametsi homines ad speciem hominum temporumque insitam animo non finxit talesque in scenam induxit, quales erant, nec vero esse debebant, et quanquam saepius in eo peccavit, quod personas disputando et alios philosophos imitari et sophistas maxime fecit, tamen is, vero quodam rei scenicae sensu imbutus, nunquam locum philosophiae longe lateque patentem hoc modo copiose tractavit. Sed is, qui Sisyphum fecit, nos movet similiter, ac si Salomonem, sapientissimum illum regem, placitis Kantii, Fichtii aliorumque virorum sapientium utentem audiamus. Est dictio acuta pariter ac frigida, quamvis nonnulla lumina habeat, qualia poësis requirit. Aliud denique argumentum Porso ex proprietatibus versuum duxit ad Eurip. Med. 284; quod, quia paullo argutius est, illi facile relinquimus.

Sed haec ipsa poësi Euripidiae non valde congruentia nos rursus adducunt, ut Critiae fabulam vindicemus. Is enim, audito Protagora, qui dubitavit, utrum dii essent, nec ne, cum animum sanguinem cordi suffusum ideoque mortalem esse statuisset, Galen. T. I. p. 264, Tertullian. de Anim. 5, Macrob. Somn. Scip. I, 14, nullos omnino deos esse praecepit. Sext. Empir. Hypotyp. p. 182: *θεοὺς γὰρ οἱ μὲν πολλοί φασιν, τινὲς δὲ οὐκ εἶναι, ὥσπερ οἱ περὶ Διαγόραν τὸν Μήλιον καὶ Θεόδωρον καὶ Κριτίαν τὸν Ἀθηναῖον.* Ubi conjungitur cum hominibus, quos antiquitas propter hanc opinionem maxime nefariam appellare consueverat. Cic. de Nat. Deor. I, 1: „*Nul-*

los esse omnino (deos) *Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt*". Pari modo Plutarchus de Superstit. V, 42. Sed altera sententiae pars, quae inest in illis versibus, in doctrinam Critiae optime cadit. „*Totam enim*, ut verbis Ciceronis de Nat. Deor. I, 42 utar, *de diis immortalibus opinionem fictam esse dicit ab hominibus sapientibus reipublicae caussa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret.*" In hoc enim placita sophistarum, cum orator publicoque vitae generi deditus esset, suum ad arbitrium usumque accommodavit. Jam illi quidquid rectum ac bonum haberetur, id cum rectum per se ac bonum non esset, legibus olim sancitum moribusque esse confirmatum statuerant. Plat. Gorg. p. 482 E; de Leg. p. 889 E, 890 A; Protag. p. 337 D; Theaetet. p. 172 A [1]). Itaque ut singulas ideas non esse statuerunt, sic Critias negavit esse deum, in quo quidem omnes species una essent conjunctae. Et illi quidem homines, cum convenissent inter se legesque fecissent, instituisse putarunt, quid bonum ac verum esset habendum; itemque Critias opinionem deorum, quae natura mentes omnium imbuit, ex fortuito decreto unius viri deduxit. Accessit quod ingeniosus juvenis, in quo egregiae opes, maximaeque fortunae vel temeritatem, vel insignem audaciam in dies augebant, paullo liberius, quam Euripides, novam ac plane inauditam doctrinam ad splendorem publicae vitae augendum professus est, cum poëta tanta audacia haud dubie dubitaret, gratiam civium perdere, quam per longum vitae spatium sibi comparaverat. Et W. Ern. Weberus de Crit. p. 17 tyrannum, qui exsul in Thessaliam ejectus est, Xenoph. Hellen. II, 13, impietatis crimine damnatum esse suspicatur. Eam vero in scena optime potuit ostendere. Erat autem in fabulis, quae ad Sisyphum pertinebant, argumentum tragoediae idoneum, quod Aeschylus Σισύφῳ Πετροκυλιστῇ subjecit. Welcker. Trilog. p. 551. Aristot. Poët. 18. Et Euripides, non tam aetatis usu, quam suae proprietati obsecutus, servavit quandam poësis naturam, cum in summo ejus ingenio species personarum insiderent.

1) Similis est quaedam opinio de iis, qui civitatibus jura descripserint, ap. Cic. de Rep. I, 2. Quanquam hos ille putat non tam ipsos, quid bonum quidque pravum esset, ad arbitrium suum vel invenisse, vel instituisse, sed legibus confirmavisse, quo melius cives ad virtutem educarentur.

Grupp. Ariadn. p. 743 etc. Sed ceteri poëtae ejusdem aetatis, mediocres atque communes hominum mores, ut in vulgari vita apparebant, magis magisque expresserunt. Quod peccatum quam late circa aetatem Critiae censes patuisse? A quo hic parum sibi cavit, quod, in actione rerum vitaeque usu requiescens, inanem, aut mancam animi contemplationem fugit. Adest autem illa dictionis natura, quam Critiae propriam fuisse ex elegorum fragmentis cognovimus. Item nonnullae sententiae, nec paucae locutiones inveniuntur, e quibus oratorem virumque reipublicae deditum possis agnoscere. Quo valent: ἡ δίκη τύραννος, ἄτακτος βίος, ἰσχύος ὑπηρέτης, νόμοι κολασταί aliaque ejusdem generis. Quae cum ita sint, dubitare non licet, quin Critias scripserit fabulam Sisyphum, a Sexto Empirico citatam. Difficilius est judicare, quae fragmenta, cum e Sisypho desumpta dicantur, Valcken. Diatr. p. 209, in tragoediam tyranni quaeque in satyricam Euripidis fabulam debeant transferri. Sed id omittimus, quod indolem Critiae non admodum adumbrat.

Pari modo qui de Pirithoi scriptore aliquid memoriae prodiderunt, in magna varietate ac dissensione constituti sunt. Nam plurimi eam fabulam Euripidi, aut Critiae tribuunt; alii neutri eorum adscribere conantur; sunt, qui fabulam sine nomine laudent poëtae. Nam in Vita Eurip., quam Elmslejus e Mediolanensi libro edidit, commemoratis Mnesarchidae fabulis, adjicitur: τούτων νοθεύεται τρία Τέννης, Ῥαδάμανθυς, Πειρίθοος. Easdem fabulas intelligit ab eoque abjudicat auctor Vitae, a Zimmermanno in Diar. Scholast. 1828. P. II. n. 2. propositae, qui plenum fabularum, quas Euripides fecerit, numerum significat ac monet: σώζεται δὲ οχ', τούτων νοθεύεται τρία. Nam Boeckhius, qui Gr. Tr. Pr. p. 232 haec de Rheso accipienda esse opinatur, perpetuam in duobus monumentis rerum verborumque convenientiam parum animadvertit. Vide Pflugk. Praefat. in Euripid. LXXI. Sed Euripidem, ut scriptorem Pirithoi, Stobaeus Serm. 121 (ed. Gesn.), Ph. Eclog. VIII, 4, Eustathius ad Dionys. Perieg. 1134, Gregorius Corinth. in Hermog. Rhet. Gr. Vol. VII, 2. p. 1312, Scholiasta ad Apollon. Rhod. Argonaut. IV, 144, ad Aristoph. Av. 179, ad Eurip. Orest. 970, Suidas s. v. πόλος perhibent. Verum enim Athenaeus X. p. 496 B disceptare non ausus est, uter

eorum fecerit Pirithoum. Neque eadem dubitatio fortasse in caussa non fuit, quod Stobaeus particulas hujus fabulae, non appellato poëta, bis laudavit, Serm. 15, 37, quanquam aliis etiam locis similis negligentiae argui potest. Valcken. Diatrib. p. 198. Hermannus Element. Doctr. Metr. II, c. 14, 9 Pirithoum, ut fabulam Euripidis, citat. Grotius autem in Excerpt. p. 454 dubitat alterum alteri praeferre. Valckenarius modo nomen veri poëtae in medio relinquit, p. 198, modo ex fragmento hujus fabulae p. 39 colligit, quid de diis senserit Euripides. Et Bachius, quanquam in eo est, ut Pirithoum tribuat Critiae, tamen in hunc fere modum dubitanter loquitur p. 77: „*Itaque si quid veteribus in medio relinquendum fuit, quippe qui integram consulere potuerint tragoediam, hodie id prorsus ad liquidum perducere velle hominis est tumidi*". Quanquam ne nos quidem opprobrium, quod nugari videamur, usque adeo pertimescimus, ut sententiam ejus, ad quam nuper nobilissimi viri, Müllerus Hist. Lit. Gr. T. II. p. 178 et Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1009, accesserunt, etsi non certis, probabilibus tamen argumentis non confirmemus.

Est enim in scriptis veterum memoriae proditum, Euripidem de schola Anaxagorae, quem audierit, Cic. Tusc. III, 14, in fabulas plurima traduxisse. Diodor. I. p. 46. Schol. ad Apollon. Rhod. IV, 269. Et nonnulla hujus rei indicia etiamnunc ap. Valcken. Diatrib. c. 4 inveniuntur. Sed permulti poëtae, ubi animum ad philosophiam appulerunt, praeceptum Neoptolemi sequuntur, quod is apud Ennium defendit, qui, cum non adspernaretur sapientiae studium, paucis tamen philosophandum sibi putavit. Cic. Tuscul. II, 1; de Orat. II, 37. Itaque Euripides in contemplatione rerum Clazomenio addictus non omnem ejus doctrinam expressit, propterea quod nonnulla sibi explicavit, prout indoli poëticae convenirent, aliaque ex scholis aliorum, aut vulgari hominum opinione assumpsit. Quare illa, quae de natura deorum probavit, non solum ad mentem illustris philosophi, sed ad communes, usitatas perceptasque cognitiones deorum in animum sibi induxit. Nam ille physicus mentem esse deum statuerat, eundemque, licet omnes naturas moveret atque misceret, ipsum tamen nec mobilem esse, neque aliis rebus misceri. Atque haec sententia, quam Cicero de Nat. Deor. I, 11 obscure significavit, prima-

ria in doctrina Anaxagorae fuit. Aristot. Ph. Auscult. VIII, 5: *διὸ καὶ Ἀναξαγόρας ὀρθῶς λέγει, τὸν νοῦν ἀπαθῆ φάσκων καὶ ἀμιγῆ εἶναι, ἐπειδήπερ κινήσεως ἀρχὴν αὐτὸν ποιεῖ εἶναι. οὕτω γὰρ ἂν μόνως κινοίη ἀκίνητος ὢν καὶ κρατοίη ἀμιγὴς ὤν.* Simplic. in Ph. Ausc. F. 285: *Ἀναξαγόρας τὸν νοῦν τὸ πρῶτον κινοῦν ὑποθέμενος, ἀκίνητον αὐτὸν καὶ ἀμιγῆ καὶ ἁπλοῦν ὑπέθετο, ὡς οὕτω μόνως δυναμένου τοῦ πρώτως κινοῦντος κρατεῖν τῶν ὅλων, εἰ καὶ ἀκίνητος εἴην.* Cic. de Nat. Deor. I, 11. Sed Valckenarium miror, doctissimum et acutissimum virum, quod, sententiam Euripidis de natura deorum rerumque omnium singulari studio indagare conatus, eam poëtae opinionem fuisse asseverat, ut is deum mentem puram, aeternam infinitamque esse putarit, quae nec materiae esset infusa, neque arcte cum ea copulata. Id enim, nisi loco Pirithoi, de quo ambigit, Euripidi, an Critiae adscribi debeat, omnino non potuit demonstrare. In eundem errorem incurrit II. Winiewskius in Mus. Praec. Rhen.-Westph. T. I. Fasc. I. p. 48. Sed est alterum Valckenarii peccatum, quod magnum sententiarum discrimen non sensit, cum, quae versibus Pirithoi continentur, ab Euripidis sententia, qualem ceteris e locis cognoscimus, plurimum differant. Is enim et vetustam vulgi opinionem et narrationes cosmogoniis vulgatas probavit, duo principia omnium rerum eaque corporea sumens, unum aethera, alterum terram, quibus mentem non junxit, cujus vi ac ratione descriptio et modus rerum designaretur. Quod pulcherrimus locus Chrysippi Fragm. 6 indicat:

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθὴρ,
ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
ἡ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους
παραδεξαμένη τίκτει θνατοὺς,
τίκτει δὲ βορὰν, φῦλά τε θηρῶν,
ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται.

Ubi duo principia significantur, quae Vitruvius Euripidi tribuit, Praefat. L. VIII, id est, Aether et Terra. Nam cum *Διὸς αἰθὴρ* dicit, videtur quidem aethera a Jove diversum habere, praeter corporea elementa, deum animantem eodemque nomine vocatum fingens, quo summum numen appellabatur. Sed nihilominus doctrinam Euripidis falso interpretemur, aethera

a Jove distinguentes. Nam ipse vim potestatemque, quam Graeci Jovis, tanquam summi dei, esse voluerunt quamque summum numen omnino habeat necesse est, diserte vindicat Aetheri, quem et hominum et deorum patrem dicit (ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ). Pari modo in ea jurisjurandi formula, quae fuit in Melanippa:

ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός.

Welcker. Trag. Gr. P. II. p. 847, cujusque mentionem comicus fecit, ut nova commenta poëtae desideret, aether, quasi esset domicilium, ab Jove bene distinctus est. Aristoph. Ran. 100, Thesmoph. 279. Quem nisi dei loco habuisset sapiens mulier, non obtestari potuisset; ipsam enim domum testem veritatis appellare nequimus. Sed multo clarius mentem illis Cressarum versibus illustravit, quos ap. Valckenar. Diatrib. p. 56 legimus:

ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις.
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

Quod ita Cicero praeclare de Nat. Deor. II, 25:

Vides sublime fusum, immoderatum aethera,
Qui tenero terram circumjectu amplectitur.
Hunc summum habeto divum: hunc perhibeto Jovem,

Idem comparat hoc Ennii:

Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Ubi princeps deorum, quem vulgo Jovem dicebant, cum Aethere aperte confunditur. In quo tanta orationis perspicuitate ac vi utitur, quantam de iis rebus, quas maxime explorate perceptas habemus, dicentes fere ostendimus. Itemque Cornutus de Nat. Deor. p. 184 (104 ed. Osann.): Κορυφὴ δὲ θεῶν, κατὰ τὸν Εὐριπίδην, ὁ περὶ χθόν' ἔχων φαεινὸς αἰθήρ. Divinam igitur vim respiciens, multa, quae coeli essent propria, aetheri dedit, alia vero a divina potestate petita, ut, cum ἁγνὸν, δῖον, ἱερὸν, σεμνὸν eum vocavit. Eur. Iphig. T. 1178. Androm. 28. Neque alienum est, versus e Latinis poëtis in medium proferre, cum, quae sensit Euripides, ea bene videantur recepisse. Ut Ennius ap. Cic. de Nat. Deor. II, 25, III, 16, ibid. 4:

Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Luculentius alio loco ap. Varronem, quem Joseph. Scaliger Conject. in Varron. p. 30 illustrat:

Isthic est is Jupiter, quem dico, quem Graeci vocant
Aërem, qui ventus est et nubes, imber postea
Atque ex imbre frigus; ventus mox fit, aër denuo.

Vide etiam Pacuvium ap. eundem, p. 72. Varietas igitur, vel obscuritas, qua sententiam de summo nomine significavit, hoc consilio ab Euripide forsitan quaesita est, ut, cum a vulgari deorum agnitione aliquantum abesset, ne nimis libere, quae sentiebat, enuntians invidiam opprobriumque civiam, vel etiam capitis periculum susciperet.

Sed illud, quod scriptor Pirithoi de hoc loco sibi persuaserat, tantum ab Euripidis distat doctrina, quantum disciplinae Clazomenii propius videtur. Induxit enim chorum ita loquentem:

Σὲ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ
ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ',
ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία,
νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτός τ' ἄστρων
ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.

Clem. Alexand. Strom. V. p. 717. Euseb. Praep. Evang. XIII. p. 681 B. Deum igitur numen ex se genitum (αὐτοφυές) voluit et animans esse, si quidem id e compellatione colligi potest, neque ad poëtae mentem ea plane referenda est, eundemque, licet omnes res moveret, ipsum tamen ita immobilem esse, ut dies et nox et cuncta sidera circa eum ferrentur orbemque suum conficerent. Itaque Clemens, in deo, qui per se esset ac viveret, mentem agnovit, a qua totum mundum et conditum et dispositum esse Anaxagoras existimasset: l. l. ἐνταῦθα γὰρ τὸν μὲν δημιουργὸν νοῦν εἴρηκεν· τὰ δ' ἑξῆς ἐπὶ τοῦ κόσμου τάσσεται, ἐν ᾧ καὶ ἐναντιότητες φωτός τε καὶ σκότους. Quae falso Bachius p. 84, cum versibus, quos proposuimus, nequaquam subjecta sint, ex perdito fabulae loco, qui cum iis fuit conjugatus, desumpta esse arbitratur; nam dei notio, quam Clementi videtur secundum Anaxagorae placita definiisse, hoc fragmento accurate expressa est. Quis vero Pirithoum fabulam Euripidis habeat? Ut enim multi, cum deorum rerumque naturam exponunt, saepius a se discedant inprimisque poëtae alio tempore alias easque contrarias sententias sequantur, quippe quorum studium elegantiae vincat veritatem; tamen Euripidi tantam varietatem, inconstantiam, cre-

bramque sententiarum varietatem non facile tribueris, Valck. Diatrib. p. 180 C, ut is modo facilem ac venustam veterum theologorum doctrinam, quae ad poëticam indolem aptissima esset, modo auctoritatem Anaxagorae probarit, gravissimi philosophi, quem, alioquin admiratus, hoc loco gravissimis tantum de caussis potuit relinquere [1]). Neque ea omittere licet, quae Matthiaeus disputavit contra eos, qui Pirithoum dicunt Euripidis esse. Welcker. Tragoed. Gr. P. II. p. 592. Rem enim apud inferos agi fecit. Itaque cum hanc terribilem scenam delegisset, quam maximos fecit spectatorum horrores, id quod recentiores poëtas potissimum secutos animadvertimus. Nihilominus in illa dictione cum summa vi acuta quaedam subtilisque dicendi indoles conspicua est, ab illecebris ac venustatibus remotior, quas Euripides fabulis adspersit. Exstant vero fragmenta Pirithoi ap. Gregor. Corinth. Com. ad Hermog. Orat. Graec. T. VIII. p. 498, Stob. Serm. 37, 121, Eclog. Eth. VIII, 4; Clem. Alexand. Strom. V. p. 667, 717. Euseb. Praep. Evang. XIII. p. 681 B. Athen. X. p. 496 B. — Sed vereor, ut de Atalanta, quae tyranno tribuitur, aliquid certius possis eruere. Hanc enim solus laudat Jul. Pollux VII, 10. ed. Basil.: *ὁ δὲ κωμικὸς Πλάτων ἔφη ἀκλώστους στήμονας καὶ ἁρπεδόνας δὲ τὰ νήματα Ἡρόδοτος. Κριτίας δὲ ἐν Ἀταλάντῃ·*

ἁρπεδόνην τε λύσιν ἴστου.

Sic in plerisque scriptum est exemplaribus. Atqui duo sunt libri, qui *Ἀριστέας* pro *Κριτίας* habeant, unus, quem Jungermannus, alter, quem Falckenbergius excussit. Sed Pollux Critiam, de quo saepe facit mentionem, bis cum Ae-

1) Fuerunt quidem nonnulli, quibus summa his in rebus inconstantia posset opprobrio dari. Ut Cic. de Nat. Deor. I, 13: „*Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros; et tamen modo mundum, tum mentem divinam esse putat: errantibus etiam stellis divinitatem tribuit sensuque deum privat et ejus formam mutabilem esse vult eodemque in libro rursus terram et coelum refert in deos. Nec vero Theophrasti inconstantia ferenda est. Modo enim menti divinum tribuit principatum, modo coelo, tum autem signis sideribusque coelestibus.*" Non dubitaveris fortasse, similem inconstantiam Euripidi tribuere; sed, nisi aliis constat argumentis, nequaquam id ita facere licet, ut omne quaestionis fundamentum tollatur.

schylo jungit, ut II. p. 132, VII, 22; Aristeam semel commemorat. Et fieri potuit, ut nomen Critiae, hominis et praestantia scriptorum clari et turpitudine vitae famosi, in alterius locum inferretur, quoniam memoria Aristeae Phliasii haud diu viguit. Porro dixerit fortasse quispiam, si tragoedia fuerit, Critiae, sin satyrica fabula, Aristeae fuisse Atalantam. At nihil est, ex quo indolem ejus cognoscere possis. Nam si materiem spectas, eodem nomine Pacuvius tragoediam vocavit, comoedias autem Callias Euthycles, Philetaerus aliique comici scripserunt, ut e rebus, quae ad eam pertineat, satyricum argumentum peti potuisse appareat. Nec fragmentum quidquam aut tragici, aut comici succi habet. Quod enim Weberus p. 24 negat, vocem τραγικώτερον posse explicari, nisi locus e tragoedia sumptus sit, alteram vocabuli vim ignorat, propterea quod ea vox indolem locutionis fabulae, unde ille petitus est, tam convenientem potest, quam contrariam consignare. Quare totam rem in medio relinquimus. Sunt autem alia hujus poëtae fragmenta, quae cum certo fabulae nomine conjungi non possunt. Nam versus, quem Stobaeus Serm. ap. Wech. 104 habet, in omnibus libris, ut unum Trincavelli omittamus, Critiae adscribuntur. Quem duo versus ibidem insequuntur, quibus in Cod. A nomen Σωσικρα, in libro Trincav. Σωσικρά appositum est. Iidem vero cum illo priore copulati ap. Maxim. Sermon. ap. Wech. 105 tyranno vindicantur. Pari modo dictum, quod est ap. Stob. Serm. 64, Critiae pleraque Maximi 215 exemplaria tribuunt. Item sunt fragmenta tyranni ap. Stob. Serm. 238. Eclog. Ph. I, 11 (ed. Cant.).

Itaque Critias duabus fabulis, cum principes talia argumenta sibi sumpsissent, poenas, quas impii apud inferos luere putabantur, repraesentavit eo consilio, ut sententiam illam primariam ac gravissimam confirmaret, a deo, qui nihil ignoraret, quique justissimus esset, unumquodque post mortem scelus puniri. Id enim nisi constaret omnibusque esset persuasum, neque religionis, neque pietatis, neque legum, neque publicae denique vitae fundamentum esse existimavit, ut ex fragmento Sisyphi intelligimus. Neque ceterae sententiae morales tam graves ipsi videbantur, propterea quod idem bonum atque honestum habuit, quod legibus esset confirmatum, tantamque vim legibus tribuit, ut nefarias cupiditates et licentiam civium com-

muni saluti perniciosam iis coërceri censeret. Indicat locus ap. Sext. Empir. l. l.

κἄπειτά μοι δοκοῦσιν ἄνθρωποι νόμους
θέσθαι κολαστὰς (ἀνομίης), ἵν' ἡ δίκη
κρατῇ τύραννος, τήν θ' ὕβριν δούλην ἔχῃ.

Quare jam illa vitae praecepta, quae legislatores sanxerant, cum tragoediis probari supervacuum putavit, poenae, quam in Orco scelesti exspectare debebant, metum in administratione civitatis necessarium potius excitare voluit. Quod quo magis est consectatus, eo terribiliorem calamitatis descriptionem fecit, eo foedius portenta depingeret necesse fuit, quae in illa sede esse credebantur. Itaque fabulis magis horrorem commovit, quam misericordiam. Unde res Pirithoi apud inferos agi fecit. Et Sisyphus, quemadmodum ille sermo ostendit, personam habuit sophistae. Qui sententias ejusmodi defendens, ut ap. Stob. Serm. 238.:

σοφῆς δὲ πενίας σκαιότητα πλουσίαν
κρεῖσσον σύνοικόν ἐστιν ἐν δόμοις ἔχειν.

lucri cupidinem, quam secuti sunt isti sapientiae doctores, breviter commendat. Concludimus igitur, eam tragoediam in sophistas fuisse scriptam. In quo non offendimur inconstantia quadam mirabili, quod ipse ad hanc disciplinam se addixit. Meminerimus enim, hunc idiotam inter philosophos fuisse et philosophum inter idiotas. Schol. ad Platon. Tim. l. l.

Vir autem, qui omni vita de summa dignitate generis humani sibi nihil ostendit persuasum esse, personas, quas in scenam induxit, neque ad speciem earum potuit, neque ad vitae similitudinem effingere. Sententias igitur, quales iis affinxit, quoniam ipse nequaquam probabat, sed ad notiones potius ingeniorum morumque, quos instituere curavit, accommodatas composuit, in fragmentis summam opinionum varietatem exhibuit, quae nullo modo inter se conciliari possent. Namque modo deos, ut sophista, esse negat omnesque deorum notiones evellit ex animis, modo divinam esse mentem atque ex se genitam docet, Anaxagoram secutus, modo aeternum temporis flumen, Clem. Alex. Strom. p. 667:

ἀκάμας τε χρόνος περί γ' ἀενάῳ
ῥεύματι πλήρης φοιτᾷ, τίκτων
αὐτὸς ἑαυτόν κ. τ. λ.

describit, quemadmodum Heraclitus aeternum rerum flumen finxerat, probatum a Protagora, quem hac in re tyrannus fortasse ante oculos habet, Plat. Theaet. p. 152, modo legem pluris ducit, quam morem, quanquam hic naturali tantum boni justique sensu continetur, modo Aeacum inducit, Stob. Serm. 37, ut is morem praeferat legi, modo argumentationes maxime copiosas perfecti oratoris instar inculcat, modo maxima damna queritur legibus, id est justitiae per eloquentiae abusum esse illata. Stob. l. l. Ex quo apertum est, Critiam, studium philosophiae colentem, non tam constantem aequabilemque rerum cognitionem summaque vitae praecepta, quam philosophicam doctrinam et splendorem scientiae esse consecutum.

In tragoediam conveniunt, quae de dictione tyranni judicavimus. Nam etsi hoc genus et copia dicendi et perspicuitate et sublimitate valde conspicuum est, tamen non magnam poësis similitudinem habet. Inest sinceritas et nobilitas quaedam et brevitas verborum major, quam illa aetas videtur ferre potuisse. Nam chorus tali modo deum alloquitur ap. Clem. Alexandr.:

σὲ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ κ. τ. λ.

Eadem orationis sublimitas in altero loco, qui est de temporis decursu, animadverti potest, cum ad melicum genus proxime assurgat.

Multa vero habemus in fragmentis exempla licentiae, qua rationem metrorum instituit. Est enim quadragesimus apud Sext. Empir. adv. Phys. p. 262 versus:

τὴν ἀνομίαν τε τοῖς νόμοις κατέσβεσεν,

in quo dactylus primum pedem efficit. Eandem commutationem in altero versu

ἦν χρόνος, ὅτ' ἦν ἄτακτος ἀνθρώπων βίος

invenimus. Est tribrachus pro iambo ibid. v. 37, Greg. Corinth. l. l., Stob. Serm. ap. Wech. 238, Ph. Eclog. I, 11. Maxime memorabilis est versus, a Maximo, ap. Wech. Serm. 105, Critiae adscriptus:

ἀγαθοὶ δὲ τὸ κακὸν ἔσμεν ἐφ' ἑτέρων ἰδεῖν,

in quo praeter unum anapaestum duplicem tribrachum reperimus. Caesuram vero post tertium pedem, cum interrumpat ac disjiciat versum, in tragicorum trimetris raram neque aliter a Sophocle admissam, nisi vim quandam orationis augere vo-

luit, Porso ad Eurip. Hecub. Praef. 26. Hermann. Element. Doctr. Metr. p. 109 etc. Epitom. §. 143. Grupp. Ariadn. p. 778 et 783, viginti quatuor locis in tanta fragmentorum paucitate usurpavit. Sext. Empir. adv. Phys. v. 8, 12, 14, 18, 20, 21, 22, 23; 26, 27, 29, 30, 38, 39, 40. Greg. Corinth. l. l. 4, 5. Stob. Serm. ap. Wech. 64, 136. v. 2, 3; Eclog. Eth. VIII, 4. v. 1, 2. Anton. 105, 215. v. 2, 3. Minus illis offendimur versibus, in quibus caesuram plane omisit. Reisig. Conject. I, 1. Hermann. Element. p. 111.

Dicaeogenes. De hoc Suidas s. v. *Δικαιογένης, ὄνομα κύριον. ὃς τραγῳδίας καὶ διθυράμβους ἔγραψεν.* Eadem ap. Eudoc. Viol. p. 131. Jam Vossius p. 88, qui de aetate hujus nihil memoriae proditum cognoverat, in poëtis incertae aetatis Dicaeogenem habuit. Sunt autem plura indicia, e quibus facile, quando vixerit, intelligimus. Quod enim dithyrambos et tragoedias scripsit, sub mortem Euripidis tragicos poëtas haec duo carminum genera conjunxisse animadvertimus. Porro tum delectus argumentorum fabularumque compositio, tum natura versuum, quam mox attingere licet, ostendit, earum tragoediarum, quarum loci restant, originem esse ponendam ante octogesimam nonam Olympiadem, qua metrica ars tragicorum omnino perversa est. Et Ecclesiazusae Aristophanis ab hoc versu incipiunt:

ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ τροχηλάτου λύχνου.

Ad quae cum vetus quidam doctusque scholiasta addiderit: *ὑποπτεύεται δὲ ὁ ἴαμβος ἢ τοῦ Ἀγάθωνος, ἢ τοῦ Δικαιογένους*, haec comicum ex Agathone, aut Dicaeogene videri sumpsisse, hunc, antequam illa comoedia ageretur, docuisse fabulam necesse est. Quae cum ita sint, Dicaeogenes inter Ol. LXXXIX et Ol. XCVI, 4 viguit.

Jam duo carmina Dicaeogenis commemorantur, unum, quod Medea inscriptum fuit, alterum nomine Cypriorum. Mentionem ejus Schol. ad Eurip. Med. 164 facit: *Τιμαχίδας ἐπὶ τὰ πρόχειρα πᾶσιν ἐνεχθεὶς, τὸν Ἄψυρτόν φησι λέγειν αὐτὴν, τοῦ Εὐριπίδου μήτε ἐνταῦθα, μήτε ἐν τῷ Αἰγεῖ δηλώσαντος τὸν Ἄψυρτον ὀνομαστί. Ὁ δὲ Φερεκύδης διὰ τοῦ ξ́ ὀνομάζει αὐτόν. Δικαιογένης δὲ ἐν τῇ Μηδείᾳ Μεταπόντιον αὐτὸν ὀνομάζει.* Ex Medea fortasse desumpti sunt versus, quibus vis amoris effertur, quo quidem saepe peregrinis

arctius, quam necessariis jungamtur. Stob. Serm. ap. Wech. 185. De Cypriis Aristoteles Poët. 16, cum diversos agnitionis, quae in tragoedia fiat, modos dinumerat: *τρίτη δὲ ἡ διὰ μνήμης (ἀναγνώρισις) τῷ αἰσθέσθαι τι ἰδόντα, ὥσπερ ἡ ἐν Κυπρίοις τοῖς Δικαιογένους· ἰδὼν γὰρ τὴν γραφὴν ἔκλαυσεν.* Unde Hermannus de tragoedia ejus nominis cogitat. Quaeritur, qui titulus fuerit, ut ipsum fabulae argumentum cognoscamus. Atqui Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1045 *Κύπριοι* scribit, eandem arbitratus Cypriorum fuisse materiem, quam Eurysace Sophocles explicaverit. Ibid. P. I. p. 203. P. III. p. 1045. Sed is mihi, cum omnes rationes sententiae desint, neutrum persuasit. Quemadmodum enim poëtae fuisse dicuntur, qui cunctos epici carminis mythos comprehenderint una tragoedia; sic Dicaeogenes quoque hac fabula exponere potuit, quidquid nobilissimo carmine, cui nomen erat *Κύπρια*, continebatur. Audiamus vero Ritterum contra haec in Commentar. ad Aristot. Poët. p. 199 disputantem: *Dicaeogenis tragoediam fuisse et Dicaeogenem tragicum aliunde non cognitum existimant; sed quis tragoediam eo nomine consignaverit, quo notissimum apud Graecos carmen epicum cyclo illo comprehensum et insigni rerum ambitu vocatum fuisse constat? hoc minus etiam probabile nobis videbitur, ubi viderimus, continuo item ex epico poëmate alterum exemplum proferri*". Equidem haud satis scio, qui hoc Rittero acciderit, ut poëtam, de quo sua lexicographi produnt, cujusque tragoediae et nomen et reliquias accepimus, tragicum nuncuparet aliunde non cognitum. Haud vidit, Aristotelem, de tragoediae atque epici carminis differentia monentem, ad certum hominum ordinem respicere, qui haec duo genera permiscuerant. Omittit, quod ipse talem fabulam tribuit Agathoni p. 216: „*Agatho in tragoedia quadam a se edita totam excidii urbis Trojae historiam videtur comprehendisse*" [1]). Nos quidem, quoniam epos inter Dicaeogenis carmina nequaquam commemoratur, testimonio Aristotelis Dicaeogeni tragoediam tri-

1) Similis ratio Heinrichium fefellit, hominem inprimis acutum. Nam Juvenalis Sat. I, 2 Theseidem memorat, quae, Scholiasta teste, tragoedia fuit: „Cordus hic poëta fuit vitiosus, qui tragoediam Thesei scripsit". Quod in dubium vocavit ille, cum non tragoediae, sed epico carmini nomen conveniret. Commentar. ad h. l.

buimus, *Κύπρια* nominatam. Fragmentum incerti loci ap. Stob. Serm. 198 exstat.

In Medea haud dubie tam vim amoris significavit, quam atrocitatem facinorum, quibus ipsum argumentum plenissimum est, ut aemulus, aut imitator Euripidis, amantius expressit; Cypria vero scribens ad Agathonis exemplar se contulit, si quidem is primus scripsit tragoedias, quarum epica compositio erat. Finxerat hac in fabula personam, quae, cum neque cognita esset, neque ipsa, quae esset, profiteretur, adspectu picturae ad lacrimas adeo commota est, ut agnosceretur. Itaque animos spectatorum nimis attendendo vehementer incitavit, fortuita neque opinata agnitione delectavit lacrimisque, quas commotus aliquis profudit, lamentabili modo perturbare conatus est. Quae artes, vel illecebrae alienae sunt ab operibus Sophoclis. Item ad cognoscendum Dicaeogenis studium nihilominus illud habeo gravissimum, quod in certa dialogi parte de magno amoris impetu disputatur. Stob. Serm. ap. Wech. Serm. 185:

ὅταν δ' ἔρωτος ἐνδεθῶμεν ἄρκυσι,
θᾶττον θυραίοις τὴν χάριν ποιούμεθα,
ἢ τοῖς ἀνάγκης ἐν γένει πεφυκόσι [1]).

Alius vero locus commendat pietatem erga parentes. Licentiam metricam supra reprehendimus. Sunt enim duo versus, in quibus et tribrachus occurrit et secundum pedem primi metri efficit anapaestus. Stob. Serm. ap. Wech. 198:

αὐτὸς δὲ τραφεὶς τῶν φυτευσάντων ὑπὸ [2])
καλῶς τὸν αὐτὸν ἔρανον αὐτοῖσι νέμεις.

Diogenes. Et patriam et aetatem Diogenis, qui septem tragoedias fertur scripsisse, Suidas, cum Atheniensem eum fuisse illoque tempore vixisse testatur, quo dominatio triginta virorum sublata est, tam certe tamque distincte significat, ut si testes, quorum auctoritate instructus fuit, neque ambiguum quidquam reliquerint, neque ullo modo inter sese discreparint.

---

1) Qui versus in exemplari Tauchn. perperam tribuuntur Diogeni, cum index nomen Dicaeogenis habeat.

2) Sed ratio metrorum hoc in versu ita comparata est, ut emendationem ducamus necessariam et scribamus:

αὐτὸς δὲ τραφεὶς τῶν κ. τ. λ.

Ait vero s. v. *Διογένης ἢ Οἰνόμαος Ἀθηναῖος τραγικὸς, γέγονεν ἐπὶ τῆς τῶν λ' καταλύσεως.* Eadem fere Eudoc. Viol. p. 132. His autem adversatur Diogenes L. VI, 2, 12, qui fabulas a Suida Diogeni, quem Oenomaum cognominare videtur, tributas adscribit Diogeni Sinopensi, qui quidem olim *Κύων* appellatus est. Etenim modo eas in opera philosophi refert, modo dictum Cynici ex Thyesta illa fabula profert. VI, 2, 7. Quapropter hinc duplex eruditorum hominum sententia exstitit, cum aut duo scriptores consentire arbitrarentur, quasi cynicus cognomen Oenomai habuisset, aut tragicum poëtam longe alium ac philosophum fuisse adversus Diogenem Laërtium contenderent. Atque in illa cuncti perstiterunt opinione, quot susceperunt eam quaestiunculam, ut Lil. Gyraldus Dialog. VII. p. 281, Hugo Grotius Excerpt. ex Trag. et Com. Annotat. p. 672, Vossius p. 45, Fabricius Bibl. Gr. T. II. p. 295, tragicum a philosopho discernentes, perseverarunt etiam nostra memoria Passowius Lineament. Hist. Lit. Gr. p. 86, Welckerus Tragoed. Gr. P. III. p. 1037, Bodius Hist. Rei Scenic. p. 558. Mirabili vero id casu accidisset, ut duo homines commutarentur, quamvis inter se et patria et cognomine et meritis essent diversi. Porro si fabulae ad alterum Diogenem, tanquam scriptorem, aliquando relatae fuissent isque cognomen habuisset Oenomai, mirarer, quod hanc opinionem nec Diogenes, neque ceteri veterum scriptorum praeter Suidam et Eudociam non praeterivissent silentio, cum varia judicia de scriptore harum fabularum copiose proponerent, mirarer, eum inter Diogenes ap. Diogen. L. VI, 2, 13 nullum locum tenere, nisi quis falso hunc quinto loco appellatum esse Tarsicum censet, qui et poëticas quaestiones tractavit, Diogen. L. l. l., et carmina tragica fecit. Strabo XIV. p. 675. Sed multo recentior est aetas Tarsicorum poëtarum. Adversamur igitur huic sententiae, quippe quae parum probabilis videatur. Illud vero nobis quaerendum est, utrum Suidas de altero, quem isti fingunt, Diogene disputet, an ea, quae proponit, in Cynicum conveniant. Omnium primum utrique nomen Diogeni fuit; deinde ambobus eaedem fabulae tribuuntur. Nec mentio patriae obstat, quod, cum Sinopensis philosophus fuerit, tragicus poëta patriam traditur Athenas habuisse. Nam quippe is, patria relicta, Athenas se contulit ibi-

que diu commoratus est, Diogen. L. VI, 2, 2 ed. Long., pro patria nuncupari deversorium potuit, quod quidem antiqui saepenumero fecerunt, partim propter ingentem Athenarum gloriam, ubi sapientiae studiis inclaruit, partim quia ei, tanquam tragico poëtae, Atheniense genus jure quodam deberi videbatur. Neque cum aetatis rationem habueris, quod contra moneas, facile invenies. Nam Diogenes Suidae vixit, cum dominatio triginta virorum sublata est, Ol. 94, 4. Et Melanthius, qui ab Ol. 89, 3 usque Ol. 102, 3 vixit, fabulas ejus reprehendit. Plutarch. de Audit. 5. Jam philosophus, si nonaginta annos habuit, cum mortuus est, et si eodem die decessit, quo Alexander diem supremum Babylone obiit, Diogen. Laërt. XI, 79. Suid. s. v. Petav. Ration. Temp. II, 13, 12, Ol. 91, 3 natus fuit. Ergo tertium decimum annum attigerat, quo tempore Athenienses tyrannidi finem imposúerunt. Quae cum ita sint, in philosophum cadunt, quae Suidas scribit. Sed quid est, quod de interpretum sententia dicitur Oenomaus? Hoc enim cognomen ei a Suida tributum plerique homines eruditi, Lilius Gyraldus l. l., Vossius l. l., Fabricius l. l., Grotius l. l., Wyttenbachius ad Plutarch. de Rect. Rat. Aud. 7, Bodius p. 558, affirmarunt. Quod Welckerus cum olim ita probavisset, ut Diogenem Oenomaum in iis numeraret, qui Achillem scripsissent, ab ea sententia nuper discessit, verbaque ἢ *Οἰνόμαος* inde profecta esse existimavit, quod Oenomaus Gadarensis philosophus, de quo postea dicemus, tragoedias scripsisset. Sed ex verbis ejus nequaquam intelligitur, quomodo locum Suidae interpretari, aut corrigere voluerit. Burmannus, aliquod mendum subesse ratus, *Οἰνόμαον* nomen non poëtae, sed fabulae fuisse statuit ad Ovid. Trist. II, 385. Jam et animum memoria nullius loci subit, quo nobilissimo philosopho demonstremus tributum hoc nomen esse, quod inprimis apud veteres rarum fuit, et si id revera habuisset, ineptius tamen eo notatus videretur, propterea quod alterum, quod gessit, cognomen *Κύων* longe fuit illustrius. Neque id cuiquam fuit aliorum, qui Diogenes appellati (Diogen. L. VI, 2, 13) sunt, quoniam non solum aliis temporibus viguerunt, sed suum quisque cognomen habuerunt, quo satis ab aliis distinguerentur, nec quisquam eorum Athenis patria usus est. Hoc autem vocabulum et librorum mendo et errore in-

terpretum ad Diogenem refertur. Quis enim lexicographo, si hoc nomen voluisset Diogeni vindicare, scribendum fuisse *Διογένης ὁ Οἰνόμαος* neget? Apud Eudociam librorum fide Villoisonus *Διογένης ὁ καὶ Οἰνόμαος* edidit. Quapropter conjectura omnem controversiam tollere mihi videor. Cum veteres dubitarent, utrum Diogenes Cynicus condidisset tragoedias, quae ei tribuebantur, an Philiscus Aegineta, aut Suidas, aut grammaticus, quem in usum vocavit, tam aliis rationibus, quam auctoritate Oenomai philosophi motus, qui paullo ante Porphyrium de Cratete et Diogene scripserat, Syncell. p. 349, Suidas s. v. *Οἰνόμαος*, Jons. de Script. Hist. Ph. III, 7, 8, Diogenem nobilissimum inter cognomines viros velut scriptorem fabularum, de quibus ambigere coeperant, in tragicos poëtas retulit, verbis, quae etiamnunc Eudocia habet, leviter mutatis: *Διογένης, ὃ καὶ Οἰνόμαος (ἔφη), Ἀθηναῖος τραγικός.* Atque haec apud Suidam restitui possunt. Sed neque illa Welckeri suspicio mihi prorsus displicet, quam supra memoravimus. Nam veteres, quamvis multa de incerto poëta contenderint, tamen in eo consentiunt, ut cynicum fuisse eum omnes fere statuant. Fieri potuit, ut in tanta opinionum varietate de Oenomao cogitarent, quem compositioni tragoediarum operam dedisse esse cognoverant. Julian. Orat. VII. p. 210.

Restat nunc altera quaestionis pars, ut definiamus, quis scripserit illas tragoedias. Jam primum omnis videtur antiquitas eas cynico philosopho tribuisse. Nam sive antiquissimum erroris, si quis est, indicium repetieris, invenies eum illo jam tempore ortum, quo fabulae de Melanthio fingi omniumque ore sunt coeptae divulgari, quod quidem in primum post Melanthii aetatem seculum incidit, seu novissimum terminum quaesieris, apud Stobaeum, quinti seculi scriptorem, nonnullos versus Diogenis nomine leges [1]. Atque homines multi iique gravissimi Diogenem laudant, neque id ullo modo dubitanter faciunt, sed ita, quasi dissensionem aliorum aut ignorarint, aut tam levem existimarint, ut nullus locus pateret errori. Exstiterunt vero, cum Graeci artem criticam coepissent excolere, homines nec tenuis ingenii, neque criticorum studiis leviter

1) Mirum est, Diogenem a Photio, Cod. Bibl. p. CLXVII, in eos poëtas non esse relatum, e quibus Stobaeus sua desumpsit.

ornati, qui, a Diogene aut omnia, aut nonnulla opera abjudicantes, tragoedias partim ab eo non scriptas, partim aliis esse tribuendas existimarent. Nam e duobus illis, qui scripta Diogenis exstare negarunt, unus Satyrus, aequalis et amicus Aristarchi, fuit, cujus liber habuit titulum *βίων*. Jons. de Script. Hist. Ph. II, 4. Alter vero Sosicrates, cujus nomen Casaubonus Diogeni L. l. l. recte restituit, cum antea *Σωκράτης* perperam legeretur, etsi aequalis non fuit Sotioni, quemadmodum id conjecit Brandisius Hist. Phil. T. I. p. 30, tamen Hermippo saltem recentior fuit, quippe quem laudavisse feratur. Diogen. Laërt. I, 206. Sotio autem, Ptolemaeo Epiphane regnante, Brandis. l. l. p. 31, tragoedias exemit ex numero eorum operum, quae adscripsit Diogeni. Item duo fuerunt auctores, qui fabulas, quoniam non esse videbantur Diogenis, nominatim aliis vindicarunt. Ut Satyrus ille Philiscum Aeginetam, nobilissimum Diogenis discipulum, Diogen. L. VI, 2, 12, ibid. 7, Phavorinus vero Pasiphontem quendam Luciano natum post mortem Diogenis eas scripsisse perhibuit. Julianus denique in sententia Satyri fuit. Orat. VI. p. 186, VII. p. 210.

Isti vero haud dubie illud rationibus, neque argumentis confirmarunt, quae plurimum in historia valent, ut parum moverint eos, qui haec opera majorum opinione tribuerunt Diogeni. Fieri poterat, ut indolem hujus ac mores a studio poësis longe recessisse judicarent, quod cum acrius mentis acumen, quam sensum ad res pulcherrimas vel percipiendas, vel fingendas proniorem habuisse, tum et musicam et geometriam et astrologiam contempsisse, inprimis vero scenicis certaminibus, quasi miraculis stultorum, irrisisse perhibetur. Diogen. L. VI, 2, 8: *μουσικῆς τε καὶ γεωμετρικῆς καὶ ἀστρολογίας καὶ τῶν τοιούτων ἀμελεῖν*, ibid. 4: *ἀγῶνας μεγάλα θαύματα μωροῖς ἔλεγε*. Erant autem in iis fabulis nonnulla ex Stoicorum disciplina desumpta, ut non solum dubitationes criticorum declarant, qui in tanta opinionum varietate aliquem e Cynicis habuerunt scriptorem, sed etiam Julianus luculenter ostendit, cum, qui locum attigerint, omnes dubitare neget, quin illae fuerint a cynico conscriptae. Julian. Orat. 7. p. 210: *τὰς ἀναφερομένας δὲ εἰς τὸν Διογένη τραγῳδίας, οὔσας μὲν καὶ ὁμολογουμένας* (l. *ὁμολογουμένως*) *κυνικοῦ τινος συγγράμματα*. Nec raro antiquitus acciderat, ut qui in poësi, aut

philosophia, aut historiae compositione ad exemplar magnorum hominum se contulerant, scripta ipsis eorum, quos imitati fuerant, nominibus fraudulenter ederent, haec, si magistrorum proponerentur nominibus, vel magistris meritum decus allatura, vel in hominum favorem facilius esse ventura sperantes. Quae quidem omnia illi fortasse secum reputarunt, qui Diogenis, quae ferebantur, non esse tragoedias voluerunt. Quodsi autem iidem de Philisco Aegineta cogitarunt, e discipulis nobilissimi principis videntur eum delegisse, qui unus omnium maxime floruisset. Suid. s. v. Neque enim liquet, quare Satyrus eam opinionem probaverit. At si argumenta ex historiae scenicae fontibus petere, quam sola assequi conjectura maluisset, nequaquam intelligerem, quomodo Phavorinus potuisset de Pasiphonte cogitare. Nec Julianus illustrioribus argumentis sententiam Satyri denuo instructam proposuit, seu illi in vetusto inveteratoque versari errore videbantur, seu specimen doctrinae obsoletum atque oblivione pridem obrutum voluit exhibere. Sed quanti judicium Phavorini habendum est? De Pasiphonte nihil nisi ex Diogenis loco comperimus. At grammatico defuit haud dubie copia doctrinae, quam ne Satyro quidem adhibere licuit.

Diogenes Laërtius VI, 2, 12 Sinopensi illi philosopho nominatim septem tragoedias adscribit: τραγῳδίαι ἑπτά· Ἑλένη, Θυέστης, Ἡρακλῆς, Ἀχιλλεύς, Μήδεια, Χρύσιππος, Οἰδίπους. Omisit nomen Semelae, ab Athenaeo XIV. p. 636 A laudatae. Sed de toto hoc numero Eudocia et Suidas consentiunt. Fragmentum ex Hercule Tertullianus Apolog. 11, e Thyeste Diogenes Laërtius VI, 2, 6 citavit. Sunt aliae reliquiae ap. Clem. Alex. II, p. 412 B. Stob. ap. Wech. Serm. 139, 194, 246. Etym. Magn. s. v. ἀνακβαλλίδες, ἄναυρος [1]).

Itaque tragoediis materiem subjecit tum acceptissimam, quae vel atrocitate animos spectantium graviter commovere posset, vel ad favorem effeminati populi amoribus describendis aptissima esset, ut aliae earum corruptionem artis, aliae effusam morum mollitiem ostenderent. Atrocis enim generis Hercules,

1) Ex Lipsiensi exemplari video, locum ap. Stob. Wech. Serm. 139, quem Diogeni tribuimus, ab aliis Dionysio esse adscriptum. Nihilominus de illis ap. Etym. Magn. locutionibus potest dubitari.

Medea, Oedipus fuerunt; in altero autem numero Achillem, Chrysippum, Semelam habemus. Etenim Achilles sine dubio illius similis fuit, quem ab Aristarcho fictum commemoravimus. In Chrysippum incestos puerorum amores Euripides dudum intulerat. Porro lugubrem obitum Semelae, quamvis obscoenas ac sordidas descriptiones, a Timotheo in dithyrambum ejusdem nominis inclusas, aspernatus, nisi cum maxima pudicitiae offensione non poterat explicare, seu petitionem attigit, qua ira Jovis suscitata est, seu mirabilem partum mulieris pluribus descripsit. Praeterea ne hoc quidem in eadem fabula est praetermittendum, quod turbulentum ac sonorum Semelae cultum, ut ex Athenaeo suspicamur, in scena repraesentavit, quo, auribus spectatorum gravius percussis, majorem occupationem et admirationem, quam miserationem et purgationem affectuum, ut verum tragoediae finem, consequeretur.

Si quid autem ex fragmentis de fabularum indole potest cognosci, neque is color ab omni operum genere fuit alienus, qui in singulis eorum partibus apparet; poëta, quicunque fuisse creditur, philosophicas sententias ex ipsa scholae doctrina sumptas et argumentationes nimis longas adhibuit. Nam quod ipsius fortasse Thyestae est, in Thyeste fabula neque cibum quenquam immundum, neque detestabilem esse victum carnis humanae contendit, propterea quod in omnibus rebus eadem elementa inessent, nec aliae gentes eo cibo non vescerentur. Diogen. L. VI, 2, 6. Scilicet hoc ad eorum pertinet praecepta, qui, Pythagoram secuti, aut omnem carnem, aut certa ejus genera e cibis eximebant. Philosophorum more rationes, quas opponit, partim ex rerum natura repetit, partim ex gentium consensu. Atomicorum doctrinae convenit, quod omnes res quamvis diversas iisdem principiis monet constare. Deplorat miseram conditionem humani generis. Anton. et Maxim. ap. Wech. Serm. 246:

ὦ θνητὸν ἀνδρῶν καὶ ταλαίπωρον γένος,
ὡς οὐδὲν ἐσμεν, πλὴν σκιαῖς ἐοικότες,
βάρος περισσὸν γῆς ἀναστρωφώμενοι.

En trita vulgo et obsoleta sententia, quae non solum a tragicis, sed etiam lyricis Graecorum poëtis multifariam exornata fuit. Pind. Pyth. VIII, 95, Aeschyl. Prometh. 231 etc. Ita significavit fortasse despectum, quo vulgare hominum genus

contemnebat, libidinibus deditum in iisque effusum. Reprehendit mollitiem vitae, Clem. Alex. l. l., ut Cynici laborem hominibus afferre voluptates arbitrabantur, invidiam a plurimis tragicorum reprehensam. Stob. Serm. 139. Fortunam vero laudat in iis, qui bonos liberos relinquant. Ibid. 149. Quae sententia cum apud multos poëtas ejusdem aetatis occurrat, in eo tum maxime conspicuum fuisse conjecerim, quantam labem ingenia moresque hominum traxissent, quod liberi parentibus ingratum animum ostenderent, aut indolem valde degeneratam omnino habere viderentur.

Dictio Diogenis, qualem in tragoediis adhibuit, non modo ipsa philosophicorum placitorum, quibus redundabat, multitudine, sed etiam tumore verborum ad intelligentiam perquam difficilis fuit. Nam ita Melanthius ap. Plutarch. de Rect. Rat. Aud. 7: *ὁ μὲν γὰρ Μελάνθιος, ὡς ἔοικε, περὶ τῆς Διογένους τραγῳδίας ἐρωτηθεὶς, οὐκ, ἔφη, κατιδεῖν αὐτὴν ὑπὸ τῶν ὀνομάτων ἐπιπροσθουμένην.* Neque exempla hujusmodi in paucis versibus desunt; eaque Welckerus Tragoed. Gr. P. III. p. 1039 satis exposuit. Non fluit sententiarum tenor et raris et obscuris interruptus vocabulis, quae arte quadam conquisita videntur [1]).

Quod ad metricam compositionem attinet, in paucis, quos habemus, versiculis et tribrachi et anapaesti pro iambis leguntur aliaque corruptae artis indicia occurrunt, quae notissima atque alibi exposita sunt.

Dionysius senior ille Syracusarum tyrannus [2]), ubi bellis Carthaginiensium finem imposuit, inertissimo affluens otio cum alia literarum genera tractare, tum poësin colere instituit. Ex quo partim res historicas conscripsit, Suid. s. v., partim in carminum compositione diu multumque operam collocavit. Diodor. XV, 6: *διὸ καὶ ποιήματα γράφειν ὑπεστήσατο μετὰ πολλῆς σπουδῆς.* Ac filius quidem, cum a Philippo, rege Macedonum, quaereretur, quo tempore pater tot opera condidisset: Eo, inquit, quod nos solemus conviviis terere. Plutarch.

---

1) Quae sententia est Diogenis ap. Stob. Serm. 139:

Ζηλωτὸς, ὅστις εὐτύχησεν ἐν τέκνοις
Καὶ μὴ 'πισήμοις συμφοραῖς ὠδύρατο

ex Euripidis Orest. 535 iisdem fere verbis aperte exscripta est.

2) Sunt, qui prave juniorem intelligant.

Timol. Nimirum bellicam gloriam minoris habuit, quam nomen poëtarum. Diod. l. l.: ἐκαυχᾶτο πολὺ μᾶλλον ἐπὶ τοῖς ποιήμασιν, ἢ τοῖς ἐν πολέμῳ κατορθώμασιν. Ac maximo inprimis studio ac singulari industria tragoedias fecit. In qua arte quo facilius quoque certius ad summum perfectionis gradum eveheretur, neque operae pepercit, nec sumptibus, tanquam animi virtutes, natura sibi denegatas, vel pecunia, vel laboribus consequi posset. Pugillares enim, quibus Aeschylus usus fuerat, magno opere sibi comparavit. Lucian. adv. Ind. c. 15: οὗτος τοίνυν πυθόμενος, ὡς ἐγγελᾶται τὸ Αἰσχύλου πύξιον, εἰς ὃ ἔγραφε σὺν πολλῇ σπουδῇ, κτησάμενος αὐτὸ ᾤετο ἔνθεος ἔσεσθαι. Pari modo schedas Euripidis emisse fertur. Legimus enim in vita, quam e libro Mediolanensi manu scripto Ern. Zimmermannus in Diariis Scholasticis ann. 1828. P. II. p. 2 nobiscum communicavit: Λέγουσι δὲ καὶ Ἕρμιππον, τὸν Σικελίας τύραννον, μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ Εὐριπίδου τάλαντα τοῖς κληρονόμοις αὐτοῦ πέμψαντα λαβεῖν καὶ τὴν δέλτον καὶ τὸ γραφεῖον. ἅπερ ἰδόντα κελεῦσαι φέροντας ἐν τῷ Μουσῶν ἱερῷ ἀναθεῖναι καὶ ἐπιγράψαι τοῖς αὐτοῦ Εὐριπίδου ὀνόμασι. Lectio haud dubie corrupta est. Quis est enim, qui de Hermippo, Syracusarum tyranno, aliquid rescierit? At in Dionysium res bene cadit. Quare Pflugkio plane assentior, qui de eo narrationem intelligi jubet. Est autem longe difficilior modus, quo studet explicare locum, scribens: Λέγει δὲ καὶ Ἕρμιππος, Διονύσιον τὸν Σ. τ.; haec enim a vulgata nimis recedunt. Scribimus: λέγουσι δὲ καθ' Ἕρμιππον, τὸν Σικελίας τύραννον, nequaquam dubitantes, quin a grammatico omitti potuerit nomen tyranni, cum studium ejus, in tragica poësi collocatum, et notissimum esset et a sexcentis fere scriptoribus vel derisum, vel contumeliose memoratum. Habebat secum illustres poëtas, quorum opera in componendis, aut eliminandis corrigendisque fabulis utebatur. Diodor. XV, 6: τοὺς ἐν τούτοις δόξαν ἔχοντας.... τῶν ποιημάτων ἐπιστάτας καὶ διορθωτὰς εἶχεν. In quo numero Antiphon, Carcinus, Philoxenus, Xenocrates, Sophronis filius fuerunt. Cum magnam tragoediarum multitudinem scriberet iisque Siciliam magis quam scenam obrueret, alias ipse declamabat amicis, alias vero et in Olympiis recitandas et Atheniensibus in theatro proponendas curabat. Sunt autem sex-

centae veterum scriptorum narrationes, quibus exponitur, quam inani studio tyrannus honorem expetierit, quantoque et familiaribus fuerit et toti Graeciae ludibrio, ut recte dubites, an plura rectius ficta, quam vere tradita videantur. Quemadmodum Philoxenus in lautumias missus, neque inde nisi maximis assiduisque amicorum precibus liberatus est, quod recitatis Dionysii fabulis irriserat, aut non exspectatum significaverat favorem. Diodor. l. l. Lucian. adv. Indoct. 15. Plutarch. de Fortit. Alexand. II, 1. Aelian. Var. Hist. XII, 44. Ammian. Marcellin. XV, 5. Stob. Serm. 13, 16. Eustath. ad Hom. Od. p. 1691. Suid. s. v. *Φιλόξενος*. Apostol. XIX, 26. Append. Vatic. in Corp. Paroemiogr. Gotting. T. I. Cent. II, 26. Wyttenbach. ad Plutarch. l. l. Leutsch. ad Append. Vatican. l. l. Haudquaquam dubitamus, quin tragoediis irriserit, si modo creditur irrisisse; eas enim Plutarchus, Eustathius, Suidas diserte nuncupant, cum quidem ceteri aut de versibus, aut de poëmatis parum accurate loquantur. Additur autem id, veteri proverbio tritum, Philoxenum, ex publico carcere reductum, cum tragoedias ejus iterum audire ac laudare juberetur, indignabundum exclamasse: *„Mitte me denuo in lautumias: illic enim aetatem degere satius est, quam tam mala poëmata audire"*. Opponitur vero his alia injuriae ratio, qua Dionysium volunt violatum esse, dicentes, Philoxenum perpessum esse eam injuriam, quod tragoediam, quam emendandam accepisset, una litura totam correxisset. Atque id memoriae prodit Plutarchus, l. l., cujus testimonium Welckerus p. 1232 ita praetermittit, ut Tzetzam reprehendat, tanquam is Chiliad. V, 160, levissimos fallacissimosque scriptores secutus ea retulerit. At si hoc ipsum, quod varii scriptores inter se discrepant, admonere nos debet, ne talibus narratiunculis temere fidem habeamus, alia aliunde caussa cognoscitur, cur dithyrambicus gravi poena fuerit affectus, eaque ut iis, de quibus mentionem fecimus, dissimilior est, sic veri similior procul dubio habeatur oportet. Nam vetus Scholiasta ad Aristoph. Plut. 290: *λέγουσι δὲ, ὅτι ποτὲ Γαλατείᾳ τινὶ, παλλακίδι Διονυσίου, προσέβαλε καὶ μαθὼν Διονύσιος ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς λατομίαν. φεύγων δὲ ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Κυθήρων καὶ ἐκεῖ δρᾶμα τὴν Γαλάτειαν ἐποίησεν, ἐν ᾧ εἰσήνεγκε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας.* Vide Athenaeum I. p. 7, Suidam s. v. τρετ-

ταυελό. Itaque de caussa ejus poenae dissentiunt, nisi statuimus, poëtam bis esse in vincula conjectum. Atque ut maxime furore poëtico exarserit tyrannus utque prae hoc et belli gloriam contempserit et otii dulcedinem; dolor tamen, ex amicae injuriis ortus, ad iracundiam eum facilius potuit excitare, quae quidem natura est generis humani, quam aut ipsa tragoediae contemptio, aut petulantia, qua eum lacessere ausus est. Nihilominus in dubium vocavimus, quae de Antiphontis nece traduntur, cum diversa sint atque pugnantia. Porro ut eodem loco nancisceretur victoriam, unde Hiero propter egregium studium rei equestris aliquando superior e ludicris certaminibus discesserat, Ol. 98, 1, cum splendidis *θεωρίαις*, praestantissimis equis rarissimisque tentoriis, quae auro ac purpura erant ornata, excellentissimos histriones in Graeciam misit, qui tragoedias ipsius in Olympiis decantarent. Diodor. Sicul. XIV, 109: *τοὺς εὐφωνοτάτους τῶν ὑποκριτῶν διαθησομένους ἐν τοῖς ὄχλοις μετ' ᾠδῆς τὰ ποιήματα.* Qui quidem auctor, ubi de tyranni poëmatis loquitur, tragoedias ejus aperte intelligit. Neque enim alius generis carmina fuisse, ex iis apparet, quae Stephani Scholiasta ad Aristot. Rhet. III, 2, 11 in Crameri Anecdot. Gr. Paris. I. p. 303 tradit: *ἐν τῇ στήλῃ γοῦν οἶμαι τοῦ Διονυσίου ἐγράφησαν ἐλεγεῖα τοιάνδε τὸν νοῦν· ὅτι, ὦ ξένε, ὦ ὁδῖτα, προσαγορεύω σε ἐγὼ ὁ χαλκοῦς Διονύσιος· ἐρωτᾷς δέ με τίς εἰμὶ, ὦ ξένε; ἐγὼ ὁ βασιλεὺς Σικελῶν, τιμήσας καὶ τοὺς λόγους καὶ τὸν ποιητήν. ἀπέστελλε γὰρ οὗτος κατὰ τὸν νενομισμένον καιρὸν ἐν Ὀλυμπίᾳ δράματα αὐτοῦ τραγικὰ καὶ σκηνὴν ἀξιόλογον. καὶ ἀνεγινώσκοντο. ὅθεν καί ποτε ὑποβρύχιος γέγονεν ἡ λέμβος ἡ τὴν σκηνὴν φέρουσα καὶ ἀπέσκωψάν τινες εἰς τὸ πρᾶγος, εἰπόντες, ὡς, ἐπεὶ ἀναξία ἦν καὶ ἀπροσφυὴς ἡ δραματουργία τοῦ τυράννου, διὰ τοῦτο ἅμα αὐτοῖς καὶ τοῖς χοροῖς καὶ τοῖς σκεύεσι καὶ ἡ τραγῳδία ἀπώλετο.* Sed quanquam omni, quo potuit, splendore oculos et aures audientium delectare conatus est, mirationem tamen, initio egregia histrionum declamatione motam, ubi misera ipsius poësis natura apparuit, tantus subito risus sibilusque omnium insecutus est, ut, contumeliarum libidine perturbati, tentoria statim diripere aggrederentur. Diodor. XIV, 109. Quod haud dubie fecerunt auctore Lysia. Nam is Graecis persuaserat, ut, dominatu tyranni sublato, in liber-

tatem vindicarent Siciliam ejusque rei initium a dirutione tentorii caperent. Dionys. Halic. de Lys. Jud. 29: *ἔστι δή τις αὐτῷ πανηγυρικὸς λόγος, ἐν ᾧ πείθει τοὺς Ἕλληνας, ἀγομένης Ὀλυμπίασι τῆς πανηγύρεως, ἐκβάλλειν Διονύσιον τὸν τύραννον τῆς ἀρχῆς καὶ Σικελίαν ἐλευθερῶσαι, ἄρξασθαί τε τῆς ἔχθρας αὐτίκα μάλα, διαρπάσαντας τὴν τοῦ τυράννου σκηνήν.* Pseudo-Plutarch. Vit. X Orat. Rex autem id ubi audivit, hoc gravius eam contumeliam tulit, quo magis res necopinato male ceciderat. Diodor. l. l. 7: *ὁ δὲ Διονύσιος, ἀκούσας τὴν τῶν ποιημάτων καταφρόνησιν, ἐνέπεσεν εἰς ὑπερβολὴν λύπης.* Nihilominus post in Atheniensium scena expertus est, quid efficere posset. Semel Lenaeis vicit, cum archon Nausigenes esset, hoc est, Ol. 103, 1. Diodor. XV, 74. Jam multa praeter veritatem, aut fidem de magna vi gaudii narrantur, quo tam prosperum acerrimae contentionis successum audierit. Nam cum die festo, quo gratias diis solenniter agendas decreverat, nimium poculis indulsisset, non morbo tantum gravissimo affectus, sed etiam morte oppressus est, ne irritum esset oraculi responsum, quod ad Carthaginiensium bellum semper retulerat, fore, ut moreretur, cum validiores devicisset. At Plinius Nat. Hist. VII, 53: „*Gaudio periere praeter Chilonem, de quo diximus, Sophocles et Dionysius, Siciliae tyrannus, uterque accepto tragicae victoriae nuntio*". Quem sequitur Petavius Ration. Temp. P. I. 3, 10. Longe alia Plutarchus Dion. 6 e Timaeo de ejus obitu scribit, aliaque Cornel. Nep. Dion. 1 memoriae prodit. Sed vix auctoritate eorum est opus, ut ea plane refellantur, quae et per se sint parum credibilia et originem, a qua fluxerunt, nobis quodammodo ostendant. Nimirum haec veteres, ut multa hujusmodi, finxerunt, quo poëticum tyranni furorem irriderent. Nam indicium talis dissimulantiae ex eo maxime cognoscitur, quod excessum gloriosi Sophoclis, tanto viro dignum, cum moreretur illa felicitate perfusus, quam per omnem vitam plurimi duxerat [1]), cum interitu tyranni compararunt, tanquam in summa honoris cupidine haud prosperum sibi eventum aucupatus esset conaminis. Quae res multum habet acrimoniae. Ergo comicis fortasse, quorum magna pars Dionysium per-

1) Müller. Hist. Lit. Gr. T. II. p. 113.

struxit, totam narrationem debemus. Dubitari non potest, quin plures tragoedias Athenis docuerit. Quis enim credit, eum prima fabula confestim vicisse? Et si vere prima fuit, quid in caussa fuisse putamus, cur, tam secundam nactus fortunam, omiserit alios conatus? Quare narrationem Tzetzis Chil. V, 178:

Οὕτως ὁ Διονύσιος, πολλὰς μὲν τραγῳδίας
ἐν ταῖς Ἀθήναις ἀναγνοὺς, δεύτερος, τρίτος ἦλθεν

non plane rejicimus, quamvis ex malis eam fontibus hauserit eidemque addiderit aliquid, quo fieret plenior omnibusque numeris absolutus versuum cursus. Sed non est praetermittendum, quod Suidas s. v. tyranno vindicavit comoedias. Cui cum olim eruditi haberent fidem, Thesmophoros, fabulam ab Athenaeo IX. p. 404 E citatam, Siculi fuisse et Vossius de Poët. Gr. p. 42 et Casaubonus ad Athen. l. l. contenderunt. At eam quidem recte Meinekius l. l. p. 525 pro comoedia habuit Dionysii Sinopensis. Ipsum vero commentum Suidae vincit Aelianus, monens, indolem ac mores tyranni a comica poësi abhorruisse. Aelian. Var. Hist. XIII, 15: *Διονύσιος, ὁ τῆς Σικελίας, τραγῳδίαν μὲν ἠσπάζετο καὶ ἐπῄνει καὶ οὖν καὶ δράματα ἐξεπόνησε τραγικά. ἀλλοτρίως δὲ πρὸς τὴν κωμῳδίαν διέκειτο, ὅτι οὐκ ἦν φιλόγελως.* Meinek. Hist. Crit. p. 524.

Ex magno tragoediarum, quas scripsit (Themist. Orat. IX. p. 126), numero paucae laudantur, nec multa nobis fragmenta restant. Adonin Athenaeus IX. p. 401 F commemorat. Alcmena. Stob. Serm. ap. Wech. 247. Leda. Est locus ap. Stob. Serm. 251, in quo versus ex hujus Leda citantur. Nam ibi fragmento trium versuum in exemplaribus Gesneri et Grotii:

θνητῶν δὲ μηδεὶς μηδὲν ὄλβιόν ποτε
κρίνῃ, πρὶν αὐτὸν εὖ τελευτήσαντ' ἴδῃ·
ἐν ἀσφαλεῖ γὰρ τὸν θανόντ' ἐπαινέσαι.

apponitur: Leda Dionys. tyrann. Sed Elmslejus ad Eurip. Med. p. 74 *Μήδεια* pro *Λήδα* censet scribendum esse, propterea quod, cum facillima sit ea mutatio, argumentum Ledae, qualecunque id cogitetur, non tam tragicum, quam comicum videri debeat. At ex ea facilitate id tantum conficitur, non esse repudianda omnino, quae conjectura fuerit suspicatus. Quod vero in fabulis de Leda nihil reperiri ait, tragoediae

admodum conveniens, vehementer miramur, eum hac ratione aliquid confirmare voluisse, praesertim cum de poëta agatur, qui aetate, usu suaque ipsius indole longe remotus a perfecto tragicorum genere fuit, qui tam idoneo fabularum delectu, quam ipsis compositionis virtutibus praeprimis eminuerunt. Recentiores enim poëtae, cum ars senescere coepisset, non senserunt discrimen, quod inter tragoedias et comoedias interesset. Dionysium vero in tragoediis non una re ad comicorum artem descendisse infra monebimus. Ac Ledam fabulam duo comici, Eubulus et Sophilus docuerunt. Meinek. Hist. Crit. p. 425, 365. Qui cum hoc argumentum sumerent, fortasse poësin tragicorum, a quibus id erat exornatum, quam ipsam materiem deridere maluerunt. Sic Eubulus quidem singulari opera fabellam perstrinxit, quemadmodum comoedia in ipsum tyrannum invectus est. Sed de his alii aliter judicent; in scriptura librorum, qui videntur congruere, plane acquiescimus. Est probabilior conjectura, qua fragmentum ex Dionysii Medea sibi invenisse videtur. Nam duo versus

τὸ θρέψαι δ' ἐν βροτοῖσι πολλάκις
πλείω πορίζει φίλτρα τοῦ φῦσαι τέκνα

quibus ap. Stobaeum Serm. 78 (ed. Gesn.) titulus „Euripidis in Medea" additur, quique a Clemente Alex. Paedagog. I. p. 127, 15 sine poëtae carminisque nominibus laudantur, in ea Euripidis tragoedia, quam superstitem habemus, neque nunc leguntur, neque olim unquam locum tenuerunt. Brunck. ad Med. 401. Boeckh. de Trag. Gr. Pr. p. 171. Müller. ad Eurip. Med. German. vers. p. 106. Pflugk. Eurip. Trag. Vol. I. Sect. 1. p. 10. Atqui Brunckio teste, in libro Parisiensi Stobaei legitur: βιότου ἐκ Μηδείας. Recte dubitatur, num Biotus unquam poëta tragicus fuerit. Quare ut manifestum corrigat mendum, Elmslejus βιότου ex διο. τυ. ortum esse existimat, quibus quidem literarum notis hic nomen Siculi tyranni fuerit consignatum [1]. Infelicem eam correctionem, vel conjecturam habet Welckerus Trag. Gr. P. III. p. 1233; mihi autem sexcentis videtur aliis ea felicior, quibus eruditi multifariam vim ingenii vel periclitari, vel jactare vo-

1) Est error certe vetustus; nam Biotum in poëtis Photius Cod. LXXVI numeravit, a quibus sententias Stobaeus haberet.

luerunt. Nescio enim, num varietas lectionis facilius possit explicari, quam cum ea, quae Elmslejus statuit, vera habemus. Nam librarii, quemadmodum de aliis locis dubitarunt, Euripidine, an Dionysio tribui deberent, ut Stob. Serm. 129. Anton. et Maxim. 128; sic potuerunt ambigere, utri poëtae hos versus potissimum adscriberent. Nihilominus ingeniosa est illa Elmsleji opinio, qua versus ap. Stob. Serm. 247:

εἰ δ' ἀξιοῖς σοι μηδὲν ἀλγεινόν ποτε
μηδὲν ἔσεσθαι, μακαρίως ἔχεις φρενῶν·
θεῶν γὰρ ἕξειν βίοτον, οὐ θνητῶν, δοκεῖς

quos Grotio auctore e tyranni Alcmena esse contendimus, cum Gesnerus modo poëtam nuncupet, ad Medeam transfert, in altero versu *Μήδει'* pro *μηδὲν*, inani pronomine, scribens. Tametsi vero conjectura praestat levitate eoque maxime commendatur, quod apud Aristophanem, Equit. 934, quoque *μηδὲν* in *μὴ 'δει* mutatum est, tamen eam, quia locus in libris luculenter indicatur, cum Welckero aegre rejicio. *Σωτεῖραι* Stob. Serm. 279. Sunt libri, qui non Dionysii, sed Diodori nomen habent. *Ἕκτορος Λύτρα* commemorat Tzetzes Chil. V, 178:

εἰς λύτρα δὲ τοῦ Ἕκτορος καλούμενόν τι δρᾶμα
ἀναγνωσθὲν ἐνίκησεν πάντας ἐν ταῖς Ἀθήναις.

Ἡρακλῆς. Mentionem ejus Eustath. ad Iliad. XI, 514 fecit: *Γελοῖος οὖν, φασί, καὶ Διονύσιος, ᾧ πεποίηται νοσῶν Ἡρακλῆς καὶ Σειληνὸς κλύζειν αὐτὸν πειρώμενος.* Copiosius eadem scholiasta ad h. l.: *διὰ γὰρ τὸ ἀπρεπὲς παρῆκε τὴν δίαιταν. αἰσχρὸν γὰρ ἦν, τὸν ἥρωα πυρέττοντα παραλαβεῖν καὶ κινούμενον τὴν γαστέρα ἢ προπατιζόμενον. ταῦτα γὰρ κωμικά. ὡς καὶ Διονυσίῳ πεποίηται ἐν Λιμῷ τῶν νόσων Ἡρακλῆς, Σειληνὸς δὲ κλύζειν πειρᾶται τὸν Ἡρακλέα.* Neque inepte Welckerus huc locum Dionis 78 transtulit, ex quo non modo argumentum, sed etiam pars fabulae cognoscitur: *τὸν γοῦν Ἡρακλέα φασίν, ἐπειδὴ οὐκ ἐδύνατο ἰάσασθαι τὸ σῶμα ὑπὸ νόσου δεινῆς, κατεχόμενον τοὺς υἱοὺς καλέσαι πρώτους, κελεύοντα ὑποπρῆσαι λαμπροτάτῳ πυρί· τῶν δὲ ὀκνούντων καὶ ἀποστρεφομένων, λοιδορεῖν αὐτοὺς ὡς μαλακούς τε καὶ ἀναξίους αὐτοῦ καὶ τῇ μητρὶ μᾶλλον ἐοικότας, λέγοντα, ὡς ποιητής φησι·*

ποῖ μεταστρέφεσθ', ὦ κακοὶ

καὶ ἀνάξιοι τῆς ἐμῆς σποράς,
Αἰτωλίδος ἀγάλματα μητρός.

Praeterea inveniuntur aliquot reliquiae, quarum sedem, quae olim fuit, ignoramus. Versum, qui est apud Anton. et Maxim. Serm. 128, in exemplaribus Stobaei Serm. 129 modo Dionysii, modo Euripidis nomine legimus. Exstat idem ibid. 139. Pari modo, ut supra monuimus, nequaquam constat, illiusne principis, an Siculi regis sit versus, quem Stobaeus Serm. 148 habet:

ἡ γὰρ τυραννὶς ἀδικίας μήτηρ ἔφυ.

Is enim cum in Cod. N tribuatur Euripidi, liber Parisinus A nomen Dionysii obtinuit. Sequuntur illum Gesnerus, Valckenarius ad Eurip. Phoeniss. 559, Musgravius in Eurip. Fragm. 45, sive hi tragicam alterius poësin minus cognitam habentes, seu versus similitudine moti, quem Euripides in Phoenissis l. l.:

τί τὴν τυραννίδ' ἀδικίαν εὐδαίμονα
τιμᾷς

expressit. Sed quid comparatione duarum sententiarum efficitur, praesertim cum alia fragmenta declarent, tyrannum exemplar nobilissimi poëtae imitatum esse? Procul dubio Plutarchus, auctor non levis, fidem facit, qui, hoc versu nominatim Dionysio tributo, demonstrat de Fortit. Alex. II, 5 quantum inter facta et dicta tyranni fuerit discrimen. Quare eum jure Grotius, Porso aliique Dionysio vindicarunt; ad eamque opinionem Welckerus p. 1234 et Leutschius Corp. Paroemiogr. P. I. p. 415 accesserunt. Sententia usu tritissima fuit. Append. Vat. III, 99. Fragmentum Stobaei Serm. 279. Valckenarius ad Eurip. Phoeniss. p. 489 correxit. Apud eundem Ph. Eclog. I, 4, 19 duo versus in margine codicis Vaticani titulum Διονυσίου habent; iidemque a Theophilo ad Autolyc. p. 196 Dionysio vindicantur. Cf. Heeren. ad h. l.

Multa in fabulis Dionysii similitudinem quandam speciemque habebant comoediarum, partim illata, quod veram tragoediae vim naturamque minus perspexerat, partim temere admissa, cum mediocritate ingenii ad scurriles lepores valde esset propensus. Nam recte quidem monet Elmslejus, tragoediae nec Adonidis, neque Ledae argumentum satis convenisse; quod si ejusmodi non fuit, vehementer dubitamus, quin ipse poëta tantum vel ingenii habuerit, vel etiam artificii, ut,

quod materiae deesset, id forma immutanda quodammodo resarciret. Quin consulto Platonem, illum philosophorum principem, ita exagitavit, ut fabula, qua id agebat, non modo colorem succumque comicum habere, sed omnis etiam de eo scripta videretur. Tzetz. Chil. 525:

ἐν δὲ τῷ κατὰ Πλάτωνος δράματι γεγραμμένῳ
πλέον μὲν κωμικωτέρῳ ἢ τραγῳδίας ὄντι
δοκῶ, τὸν στίχον ἔλεξεν, ὃς τῇ ἀρχῇ ἐγράφη·
αὐτοῖς γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μωροὶ βροτῶν.

Nihilominus risum concitaret necesse fuit, cum deploraret ita mortem uxoris:

Δωρὶς τέθνηκε, ἡ Διονυσίου γυνή.
Οἴμοι γυναῖκα χρησίμην ἀπώλεσα.

Lucian. adv. Ind. 15. Scilicet uxorem habuit Dorin. Cic. Tusc. V, 20, Diodor. XIV, 44, Valer. Maxim. IX, 13, 4. Aelian. Var. Hist. IX, 8. Poëta enim, qui descriptionem vetustarum rerum, quae olim tragoediis explicabantur, intermittit, de rebus praesentibus dicens, aut iis, quae modo recentes fuerunt, quique de sua calamitate, seu infelicitate queritur, id agit perquam ridicule, propterea quod, cum res tam antiquitate remotas, quam ad ambitum mirabilis cujusdam magnitudinis effictas exspectamus, delusi ea cognoscimus, quae sunt vulgaria atque humilia, nec saepenumero non occurrunt in quotidiano usu quaeque in locum, quem forte tenent, alienissimum importune translata sunt. Quanquam ne Sophoclem quidem, neque Euripidem tradunt a sui suorumque commemoratione in scena abstinuisse [1]). Sed ex cumulo sententiarum, quas vel inanes per se et gravibus et sonoris verbis ornavit, vel orationis corrupit latitudine, cum usus earum frequentissimus esset, risus etiam vehementior exsisteret fuit necesse. Nam ita ridiculum aliquid duplici modo excidit poëtae, cum et futilem prudentiam

---

1) Jul. Poll. IV, 16 (p. 224 ed. Basil.), Euripid. Phoeniss. 1777, Orest. 1706, Suppl. 180, Fragm. 29. Welcker. Trag. Gr. P. II. p. 857. Plutarch. ap. eund. l. l. p. 644. Qui omnes de hac ratione Euripidis dicunt. Sed idem Sophocles fertur fecisse. Vide Jul. Poll. l. l. (Welcker. P. I. p. 429), Vit. Soph. (Welcker. ibid. p. 257). Et simillimum est, quod amorem Theoridis in chori carmine declarasse, conf. Athen. p. 592, dicitur.

iis proponeret, qui gravissima praecepta propter tragoediae exspectabant dignitatem, nec sententiae sono verborum, quibus erant subjectae, satis responderent. Apud Stobaeum Serm. 139 fortunis tantum ac bonis docet invidendum esse. Nimirum id res ipsa confirmat, neque ei tanto tot verborum strepitu usus erat. Vereor ut quis felicem deorum conditionem in disceptationem vocarit eique statum humani generis opposuerit. Quare displicent, quae apud Stob. Serm. 251 fusius loquitur. Celeberrimam sententiam, qua Solo monuisse Croesum traditur, ne hominem, priusquam moreretur, temere fortunatum existimaret, a Deianira pronuntiatam in Sophoclis Trachiniis init. ac multifariam antiquitus laudatam, Diogen. L. I, 2, 4, cum invidiam deorum optime declararet, facillime sensu percipies, quantopere Dionysius longitudine elocutionis corruperit. Serm. 251:

θνητῶν δὲ μηδεὶς μηδέν' ὄλβιόν ποτε
κρίνῃ, πρὶν αὐτὸν εὖ τελευτήσαντ' ἴδῃ·
ἐν ἀσφαλεῖ γὰρ τὸν θανόντ' ἐπαινέσαι.

Nam in illo sententiae usu, quae priorem ejus partem sequuntur, otiosa sunt atque inania. Mittamus autem inutile studium, quo gravitatem dictorum auxit. Etenim quam ridicula et scurrilia est ratio, qua justitiae sibi oculum finxit, quasi e persona cuncta observantem! Stob. Eclog. Ph. I. l.:

Ὁ τῆς Δίκης ὀφθαλμὸς, ὡς δι' ἡσύχου
λεύσσων προσώπου, πάνθ' ὅμως ἀεὶ βλέπει.

Quod numen cum tragici saepius memorare consuevissent, ut Aeschylus Sept. contr. Theb. 662, Eumen. 539, Sophocles Antigon. 854, Oedip. Colon. 1382, Euripides Electr. 775, ita invocaverat:

Ὦ θεοὶ, Δίκη τε πάνθ' ὁρῶσ', ἦλθές ποτε.

Hac omnia videndi facultate debebat esse instructa, quippe quam nulla hominum scelera latere oporteret. Namque similiter et Jupiter, penes quem est summa impios castigandi potestas, cuncta videre dicitur et Eumenides ita describuntur, ut nihil adspectu praetermittant. Soph. Oed. Colon. 43: τὰς πάνθ' ὁρώσας Εὐμενίδας. Nos autem neque hoc, neque illud reprehendimus, quod voce ἡσύχου majestatem aliquam, seu eam numinis virtutem significavit, qua nullis vexatum animi perturbationibus, nulla opinione praeoccupata, deberet judicare. Sed quid est, si modo recte verba intelligimus, quod ornave-

rit eam persona [1])? In quo vereor, ut quis sculptor Dionysium sequi animum inducat. Ac talis ornatus a legibus statuariae artis alienus et novus et plane absurdus fuit. Unde satis intelligitur, Dionysium, cum ingenii haberet acumen, quod Polybius valde collaudat, quanquam de natura et repraesentatione rerum multa recte sentiret, minus tamen eam vim animi habuisse, quae poëtam efficit, frustraque nonnunquam contendisse, ut cogitationes, animo bene conceptas, imaginibus poëtarum more exprimeret. Pari modo quoniam poëtarum inprimis proprium esse sensit, ut proprietates rerum efferrent epithetis, magnam invenit copiam eorum, quibus magis internam quandam vim, quam externam rerum speciem describeret, qualem poëta sub adspectum subjicere solet. Atque hoc est maximam partem inane ac ridiculum locutionum genus. Audiamus vero Helladium ap. Phot. Cod. 279. p. 532: *ὅτι παρὰ Εὐφορίωνι, τῷ φύσει μὲν Χαλκιδεῖ, θέσει δὲ Ἀθηναίῳ, κακοζήλους ἔστιν εὑρεῖν λέξεις. — παρεζήλωσε δὲ τὸν πρῶτον Διονύσιον, τὸν Σικελίας τύραννον, ὃς ὑπὸ τῆς ἐξουσίας καὶ τῶν κολάκων καὶ τῆς τρυφῆς διαφθειρόμενος ἐπεχείρησε καὶ τραγῳδίας γράφειν, ἐν αἷς καὶ τοιαῦτα συνεφόρησε ῥήματα, τὸ μὲν ἀκόντιον καλῶν βαλάντιον, τὸν δὲ κάδον ἐλκύδριον, σκέπαρνον δὲ τὸ ἔριον, τὴν δὲ χλαῖναν ἐριώλην, οἷον ὄλεθρον οὖσαν τῶν ἐρίων καὶ πολλὰ τοιαῦτα καταγέλαστα. Ὅτι ὁ τῆς θυΐας τριβεὺς δοῖδυξ μὲν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομάζεται, ἀλετρίβανος δὲ παρὰ τῇ συνηθείᾳ καὶ οὐδὲν ἧττον παρὰ Ἀθηναίοις, Διονύσιος δὲ ὁ προειρημένος τύραννος θυέστην τὸν δοίδυκα ἐκάλει. εἰκότως ἄρα τῆς τῶν τοιούτων ἀκροάσεως τὰς λατομίας μᾶλλον ᾑρεῖτο Φιλόξενος.* Qualis igitur ineptus ille ac ridiculus usus verborum fuit? Hastam vocavit *βαλάντιον*, quia mitteretur. Quam nominis caussam, quae per se satis intelligitur, apponunt Athenaeus III. p. 98 C et Melampus ap. Bekkerum Anecdot. Gr. T. II. p. 734, 27: *πάλιν ἔν τισιν ἱστοριογράφοις τὸ δόρυ εὑρίσκομεν λεχθὲν βαλάντιον, τῆς συνηθείας*

1) Ita enim recte verba intelligere videmur, quae tranquillum etiam vultum possunt significare. — Tranquillitatem animi habere deam oportet, quae, cum civium motus coërceat, et Pacem dicitur et Tranquillitatem filias genuisse. Pind. Ol. XIII, 6, Pyth. VIII, 1.

ἡμᾶς εἰς ἄλλο φερούσης· ὁ δὲ διὰ τὸ βαλεῖν κατεναντίον οὕτως ἐκάλεσε. Eadem habent lexicographi Etym. Magn. s. v. βαλάντιον τὸ ἀκόντιον διὰ τὸ βάλλειν τοὺς ἐναντίους. Etym. Gud. c. 103, 33: βαλάντιον, ἢ διὰ τὸ βάλλειν ἐν αὐτῷ τὰ φυλαττόμενα, ἢ διὰ τὸ βάλλειν τοὺς ἐναντίους καὶ σημαίνει τὸ βέλος. Itaque proprium vocabulum aspernatus est, ut caussam, cur id rejecerit, idoneam invenire non possimus, aliamque vocem delegit, quae origine quidem propius accederet ad eam vim, quam consignare volebat. Quanquam id modo comicis datur, ut vocabula ipsi aut nova fingant, aut nova significatione usurpent propter solam verborum interpretationem, qua, cum inepta sit, non tam aliqua rei effigies conficitur, aut affectus animi commovetur, quam acies mentis atque ars facetiarum exercetur. Sed hoc inventum tyranni etiam ea de caussa ineptius fuit, quod βαλάντιον Graeci solebant appellare crumenam. Similiter cadum, eodem Helladio teste, nominavit ἑλκύδριον, tanquam instrumentum, quo aqua posset hauriri, ortum id esse ratus ex ἕλκειν et ὕδωρ. At ulcusculum vere Graecis erat ἑλκύδριον. Exponit hanc significationem, fabulas Dionysii haud dubie respiciens, Etymolog. Magn. s. v. ἑλκύδριον . . . τὸν κάδον, ὅτι ἀνέλκει τὸ ὕδωρ. Lanam, quae arietem tegit (ἔριον), dixit σκέπαρνον, quanquam hac voce securis vulgo notabatur. Scilicet id nomen ab ἀρνὸς et σκέπειν productum opinabatur. Usurpavit ea vi jocosa vocem Artemidorus IV, 24, eandemque Melampus ap. Bekker. l. l. 25: ἐπειδή τινες λέξεις, ἅπαξ που ἢ δὶς εἰρημέναι εἰσὶν, ἃς οὐ πᾶσα ἀνάγκη εἰδέναι τὸν γραμματικὸν, οἷον οἱ γρῖφοι. τί δέ εἰσιν οἱ γρῖφοι; τὰ ζητήματα ἤτοι τὰ νοήματα. ἢ ὡς ἔν τισιν εὑρίσκομεν τὸ δέρμα τοῦ ἀρνὸς κληθὲν σκέπαρνον ἢ ἐκ πρώτης ἀκοῆς νομίσειεν ἄν τις εἰρηκέναι τὸ τεκτονικὸν ἐργαλεῖον. Porro tunicam (χλαῖναν) vocavit ἐριώλην, ut verbum ex ἔριον et ὄλειν conjunctum ὄλεθρον τῶν ἐρίων, quem afferat laena, expressius declaret. ἐριώλη autem procella dicebatur. Schol. ad Aristoph. Eq. 508. Jam Aristophanes vulgarem significationem similiter mutaverat. Vesp. 1148:

οὔκουν ἐριώλην δῆτ' ἐχρῆν ταύτην καλεῖν
δικαιότερον ἢ καυνάκην.

Ubi Scholiasta 1143: ἐριώλην, ἐρίων ἀπώλειαν παρὰ τὸ τὰ

ἔρια ἀναλῶσαι. Quem Dionysius fortasse secutus est. Vide etiam Apollon. Rhod. I, 1132. Δοίδυκα vocavit θυέστην, ut vehementem instrumenti motum vocabulo significaret, quod a θύειν, θύνειν esse videretur. Est alia eaque similis nominum copia, quibus orationem tragicam Dionysium auxisse scribit Athanis ap. Athen. III. p. 98 C: πολλῶν ὀνομάτων ποιηταὶ καὶ πολλοὺς παρασάγγας ὑπερδραμόντες τὸν Σικελιώτην Διονύσιον, ὃς τὴν μὲν παρθένον ἐκάλει μένανδρον, ὅτι μένει τὸν ἄνδρα· καὶ τὸν στῦλον μενεκράτην, ὅτι μένει καὶ κρατεῖ. βαλλάντιον δὲ τὸ ἀκόντιον, ὅτι ἐναντίον βάλλεται. καὶ τὰς τῶν μυῶν διαδύσεις μυστήρια ἐκάλει, ὅτι τοὺς μῦς τηρεῖ. Ἄθανις δ' ἐν τῷ πρώτῳ Σικελικῶν τὸν αὐτόν φησι Διονύσιον καὶ τὸν βοῦν γαρόταν καλεῖν καὶ τὸν χοῖρον ἴακχον. Quemadmodum igitur instrumento nomen Thyestae imposuit, duobus est usus vocabulis, quibus homines vulgo notabantur, quo rectius significarentur res illae, quarum proprietates vocibus, e quibus ea copulata censebat, designabantur. Ex his alterum μένανδρον dixit pro παρθένον, perinde ac si virgini nihil potius viri desiderio esset. Quod seu jocose affirmavit, seu serio, moveret risum necesse fuit. Item vereor, ut multi, μενεκράτης apud Dionysium legentes, de columnis earumque natura statim cogitarint. Qui autem singulari sunt mentis acumine assecuti, quod poëta voluerat intelligi, animo ab admiratione atque commiseratione infelicium rerum, quae repraesentabantur, paullisper abstracto, in pusilla vocabulorum interpretatione haud dubie aegre haerebant. Sed ne plura de ancipiti verborum significatione persequamur, quae neque accuratiore modo res notandi, neque ipsis etymologiae argutiis valde commendantur; ex duobus nominibus impietatem cognoscimus, qua Dionysium dicunt res divinas contempsisse. Etenim loca, quo mures confugiunt, nomine a μῦς et τηρεῖν deducto, μυστήρια vocavit[1], et ἴακχος ob grunnitus similitudinem in porcos transtulit, cum nomen Dionysii proprium esset. Quid vero fuit, quod agricolam confunderet cum bove,

1) Hanc vocis originem Iamblichus quoque in Dram. 10 sumit: Καὶ διεξέρχεται ὁ Ἰάμβλιχος μαγικῆς εἴδη, μάγον ἀκρίδων καὶ μάγον λεόντων καὶ μάγον μυῶν· ἐξ οὗ καλεῖσθαι καὶ τὰ μυστήρια ἀπὸ τῶν μυῶν· πρώτην γὰρ εἶναι τὴν τῶν μυῶν μαγικήν.

γαρότην eum appellando? Sed rationem earum locutionum omnino comicam perhibui. Nam cum est contra gravitatem ac sublimem tragoediae naturam, nova nomina fingere, nisi novis ea rebus imponantur, ne poëta praeter gravissimam actionis expositionem videatur inutilem quandam ac levem inventionis gloriolam captasse, neve lector, eventum rerum perquam lugubrium magno cum desiderio exspectans, singulis vocabulorum retineatur argutiis, quo quidem scripturae genere taedium excitetur necesse est, tum ambiguitate, de qua exposuimus, nominum proprietates comoediae adeo expressit, ut existimari possit, eum non modo unam, cujus fontem indicavimus, sed alias quoque locutiones e comoediis esse mutuatum. Inusitatum enim leporem quendam ac salem consecutus tragoediis est, seu dissimillimas res ineptius confudisse, seu proprietates in iis significasse videbatur, quae naturam earum minime efficerent leviorisque essent momenti. Is autem qui voces commutat, facile sperat, fore ut ipsum multi sequentes iisdem utantur. Itaque in eo, quod tantum sibi indulsit, superbiam tyranni inprimis ridiculam miramur. Sed quid refert scriptor epistolarum, quae Socratis nomine leguntur? Facit enim, Ep. 35, Philippo talia scribentem: *πρῶτον μὲν οὖν συγχαίρω Συρακουσίοις, ὅτι πέπαυνται τὸν χοῖρον ἴακχον καλοῦντες καὶ τὸν βοῦν γαρόταν καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἤδεα πομψὰ ταῦτα, καρποτόκον τε μῆνα, ὅτι καρπὸς ἐν αὐτῷ γίνεται,* quasi usus loquendi, quem Dionysius instituit, apud Syracusanos unquam aut ipso, aut filio regnante latius increbuerit. At ea ratio fuit hominibus, qui in talium scriptorum compositione elaborarunt, ut reconditam doctrinam proponerent, aut male acceptam, aut importuno loco adhibitam. Quare iis ne nimium tribuamus. Nec gravioris est ponderis, quod Casaubonus ex grammaticorum veterum studio vim vocabuli *βαλάντιον* interpretandi cogit, eam vocem multifariam olim valuisse. Hi enim ob famosam tyrannidem atque ipsam locutionum novitatem eodem jure poësin Dionysii poterant spectare, quo de aliis memorarunt. Melampus Bekkeri l. l. mentionem facit historicorum, apud quos illo sensu vox *ἀκόντιον* legatur: *πάλιν ἐν τοῖς ἱστοριογράφοις κ. τ. λ.* Hi vero, ut bene monet L. Dindorfius Thes. Ling. Gr. Vol. II. Fasc. 1. p. 75, non tam ipsi hoc nomen ita collocarunt, quam perversam videntur tyranni

dictionem commemorasse, ut Athanis, quem Athenaeus nominatim appellat. Quanquam Tzetzes, cum in animo exemplum Dionysii haberet doctrinamque vellet ostendere, Antehom. 202:

ταύροις γάρ τε βόεσσιν πολεύει γειαρότῃσι,

Posthom. 214:

ζεύγεα βοῦς καὶ δάμματα πρὸς δ' ἄρα γειαροτῆρας.

Haec ludicra fabularum indoles fuit, quae eas non modo in contemptionem hominum, quorum stipatus corona solebat carmina recitare, sed in despicientiam omnium Graecorum ac totius antiquitatis adduxit. Et Philoxeni quidem judicium ap. Lucianum de Non Cred. Calumn. 14: *ἐχλεύαζε . . . . τὰ ἔπη καὶ διάφωνα καὶ ἄμετρα εἶπε καὶ κακοσύνθετα* invenimus, si quid veri omnino narratiunculis inest, quas scriptores de Dionysio literis mandarunt; sin illae parum veri simile continent, qui finxit eam sententiam, tragoedias tyranni cognovisse de iisque hoc ipse videtur judicasse. Alia, quae vituperantur, latius patent atque ita generatim enuntiata sunt, ut proprietates neque clare attingant, neque certe significent. Velut Ammianus Marcellinus XV, 5 versus ejus absurdos vocat atque inconcinnos. Cicero reprehendit tyrannum, quippe qui cum fugitivis, facinorosis barbarisque hominibus commercium habuerit, contemptum, quo dignas ejus tragoedias existimabat, ita significans, ut opinio tyranni de suis ipsius virtutibus, quas carminibus illis ostenderet, communi hominum licentiae comparetur, de se qualicunque modo judicandi. Ait enim Tuscul. V, 22, 63: „(*Dionysium*) *musicorum vero perstudiosum, poëtam etiam tragicum — quam bonum; nihil ad rem —: in hoc enim genere nescio quo pacto magis, quam in aliis suum cuique pulchrum est: adhuc neminem cognovi poëtam (et mihi fuit cum Aquinio amicitia), qui sibi non optimus videretur.*" Philoxenus tandem carmina Dionysii *οἰκτρὰ* dixisse traditur. Eustath. ad Hom. Od. p. 1691. Sed hoc fortasse nescio cui fabularum debemus inventori, qui ancipitem locutionis vim et dissimulantiae Cytheraei convenire et in malas tragoedias apprime cadere arbitrabatur.

Dorillus. Multifariam versus legitur, apud alios scriptores aliter scriptus, quo Aristophanes hunc in Lemniis tam leviter tamque obscure perstrinxit, ut eum, nisi interpretatio grammaticorum hoc ipsum postularet, ne possemus quidem de

poëta, vel homine ullo intelligere. Sed nomen ejus in plerisque libris corruptum est; quod nisi restituitur, irrisio comici non satis potest explicari, quoniam similitudine ejus continetur. Etymol. Magn. s. v. *Δοριαλλος, λέγεται καὶ δόριλλος. Ἀριστοφάνης·*

αἱ γυναῖκες τὸν δορίαλλον φράγνυνται.

ἔστι δὲ τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον ἐφ᾽ ὕβρει τραγῳδοποιοῦ Δορίλλου, ἢ παρὰ τὸ δείρειν τὸ τυπτόμενον, ἢ τὸ τιλλόμενον τὰς τρίχας (Aristoph. Lysist. 151) *καὶ οἱονεὶ ἐκδερόμενον. οὕτω γὰρ πάλαι ἐψίλουν.* Sic Aldus edidit. Vide Etym. Gud. p. 159, 49. Sed Scholiasta ad Aristoph. Ran. 519 in versu, quem servavit, *δορίαλον* pro *δορίαλλον* scribit. Similiter Gudius *δορύαλος* habet. In Hesychii libris cum nomen *Δοξύλλος* esset, Albertius *Δόρυλλος* commendavit. Ultimo loco Suidam nominemus, qui s. v. *Δόριλλος τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον ἐφ᾽ ὕβρει τραγῳδοποιοῦ Δορίλλου.* Sic exemplar habet Aldinum. Quare, quomodocunque cetera vocabula scribuntur a grammaticis, duplex poëtae nominis forma restat, una *Δόριλλος*, quam Etymologus Magnus praeter Suidam tuetur, altera *Δόρυλλος*, quae Hesychio conjectura fortasse vindicata est. Atque haec quidem num in aliquo codice reperiatur, dubium est; illam vero et fides librorum et auctoritas Arcadii et Theognosti confirmat. Nam Arcadius p. 54, 14 nomen *Δόριλλος* in vocabula retulit in *ιλλος* desinentia; Theognostus p. 62, 13 formam *Δώριλλος* commendat.

Sed illi vehementer errant, qui censent, poëtam, non tam similibus vocabulis, quam aequalibus ludentem, ipso tragici nomine cunnum significasse. Quod qui fieri potuerit, equidem non video. Itaque rem aliter explicemus, quamvis habeat aliquid obscenitatis. Aristophanes, ut muliebria nominaret, novam invenit vocem, quae nomini poëtae simillima esset, idque in animos audientium revocaret. Usitatissimum est vero genus dicendi, quo veteres mentulam aut hastae, Priap. XLIV, 4. Auson. Cent. Virg., aut telo, Martial. XI, 79, 6, Priap. VIII, 14, Justin. XXXVIII, 1, compararunt, idque Graecis non inauditum fuisse, ostendit dictum Diogenis Sinopensis ap. Diogen. L. VI, 53. Unde comicus, cum in nominibus vulvae inveniendis valde ingeniosus esset, cunnum hasta capiendum, vel captum *δοριάλωτον* potuit vocare. Sed delegit aliam formam eadem

significatione δοριάλου, Buttmann. Gr. Gr. T. II. p. 337, qua, duabus syllabis, quae in medio vocabulo collocatae sunt, in unam contractis, admonitio simul fieret Dorilli poëtae.

Quae cum ita sint, Etymologus Magnus et Hesychius δοριάλος ut nomen bene intelligunt, quo poëta significaverit cunnum, aliud nomen iidem censentes fuisse tragici. Et ille, si explicationem ab eo propositam accuratius consideraverimus, nihil aliud dixisse videbitur, quam cunnum, qui pleno literarum numero δοριάλλος appelletur, συναλοιφῇ vocitatum esse δόριλλον, id quod in versum Aristophanis caderet. Unde minus docta, aut corrupta apparebit explicatio Suidae, qui neque aliud muliebrium vidit, aliud poëtae fuisse nomen, nec vocem Δορίλλου iisdem explicare dubitavit, quibus vetustiores grammatici vim δοριάλου explanaverant. Eodem errore Riemerus et Passowius decepti sunt. Cf. Lexic. s. vv. Tali modo jam ipsa, quam dispeximus, origine formae confirmantur, quas ob fidem librorum praestare diximus. Neque enim Aldus in Etymol. Magn. recte δοριάλλος habet, quod etymologiae adversatur; nam duplex υ ferri non potest. Quod vitium si tollitur in nomine, quod Hesychius praebet, δορύαλος redit, quae quidem forma ab altera δοριάλος eodem diversa est modo, quo δοριάλωτος a δορυάλωτος differt. Atqui δοριάλωτος sine dubio praestat, quamvis υ in libris saepenumero occurrat eorumque saepe consensu commendetur. Wesseling. ad Diodor. XVI, 20, Lobeck. ad Soph. Aj. p. 160. Pari jure scribimus δορίαλος, quod Kustero teste, Scholiasta ad Aristoph. Ran. 519 servavit. Apud Etym. Magn. s. v. sic emendandum est: δορίαλος λέγεται καὶ δόριλλος. Ἀριστοφάνης·

Αἱ γυναῖκες τὸν δορίαλον φλάττουσαι.

Quare quod in nominis origine, quo rem obscenam notavit, animadvertimus ludibrium, idem toti sententiae subjectum est. Mulieres enim cunnos, quos occupatos teneant mariti, religiose custodire dicuntur. Sed Dorillus nominum similitudine comparatur cum vulva, quasi libidinosus atque effeminatus homo, quemadmodum Horat. Sat. I, 2, 36, 3, 107 mulieres cunnos nuncupat, eumque cominus ab alienis uxoribus ait arceri, quarum castitatem tentare conabatur.

Dorillus igitur, Aristophanis aequalis, poëta ignobilis fuit, qui malis moribus longe majorem ignominiam, quam celebri-

tatem poësi consecutus, tam libidinosus adulter fuit, quam feminis ipse perosus.

Gnesippus. De hoc multos Athenaeus XIV. p. 638 comicorum servavit versus, qui genus, aetatem poësinque ejus illustrant. Sed totam loci sententiam contemplemur, quoniam plurimas habet angustias. Ait igitur: Ὁ δὲ τοὺς εἰς Χιωνίδην ἀναφερομένους ποιήσας Πτωχοὺς Γνησίππου τινὸς μνημονεύει, παιγνιογράφου τῆς ἱλαρᾶς Μούσης, λέγων οὕτως·

ταῦτ᾽ οὐ μὰ Δία Γνήσιππος, οὐδ᾽ ὁ Κλεομένης
ἐν ἐννέ᾽ ἂν χορδαῖς κατεγλυκάνατο.

καὶ ὁ τοὺς Εἵλωτας δὲ πεποιηκώς φησι·

Τὰ Στησιχόρου τε καὶ Ἀλκμᾶνος Σιμωνίδου τε
ἀρχαῖον ἀείδειν. Ὁ δὲ Γνήσιππος ἔστ᾽ ἀκούειν,
ὃς νυκτερίν᾽ εὗρε μυχοῖς ἀείσματ᾽ ἐκκαλεῖσθαι
γυναῖκας ἔχοντας ἰαμβύκην τε καὶ τρίγωνον.

Κρατῖνος ἐν Μαλθακοῖς·

Τίς ἆρ᾽ ἔρωτα μ᾽ οἶδεν, ὦ Γνήσιππ᾽; ἐγὼ πολλῇ χολῇ.
Οἴομαι γὰρ μηδὲν οὕτως μῶρον εἶναι καὶ κενόν.

σκώπτει δὲ αὐτὸν εἰς τὰ ποιήματα καὶ ἐν Βουκόλοις·

Ὃς οὐκ ἔδωκ᾽ αἰτοῦντι Σοφοκλέει χορόν,
τῷ Κλεομάχου δ᾽, ὃν οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ
ἐμοὶ διδάσκειν, οὐδ᾽ ἂν εἰς Ἀδώνια.

Ἐν δὲ ταῖς Ὥραις·

Ἴτω δὲ καὶ τραγῳδίας
ὁ Κλεόμαχος διδάσκαλος, παρατιλτριῶν
ἔχων χορὸν Λυδιστὶ τίλλουσῶν μέλη
πονηρά.

Itaque id animo primum bene anticipandum est, quod diserte asseverat Athenaeus, Gnesippum, ad quem haec fragmenta cuncta pertineant, ludicrum poëtam, id est, ludicris carminibus insignem fuisse. Cui singularem poësis mollitiem Chionides objecit, comicus, quem propter hanc ipsam rem aequalem Cratini facimus. Meinek. Hist. Crit. p. 28. Is enim ut veterum de vero hujus fabulae scriptore dubitationem, Athen. IV. p. 137. E, omittamus, dulcem quandam poësin, de qua loquitur, molliorem carminibus et Gnesippi et Cleomenis esse ait, velut praecipuis suo in genere exemplaribus. Cleomenes, quem Scholiasta Aristoph. Nub. 332 cum Cinesia et Philoxeno jungit, Rheginus genere, scripsit dithyrambos, Athen. IX. p. 402 A,

ut Gnesippum aemulum, scriptorémque dithyramborum habeas. Porro Eupolis inter comicos solus Helotes fecit. Quam fabulam ei praeter Athenaeum, qui cum et hoc loco et alibi, IX. p. 400, de scriptore dubitanter loquatur, ad sententiam de poeta vulgarem semel confugit, IV. p. 138 F, Jul. Pollux IX, 74, X, 98, Meinek. Hist. Crit. p. 130, assignat. Induxit igitur hominem, qui vetusta carmina Alcmanis, Simonidis, Stesichori, cum mollibus, qui tum erant, homunculis minus placerent, prae Gnesippi contemnerent versibus, quibus temulenti juvenes, Athenis circa januas discurrentes, mulieres evocare solebant. Hi igitur, ut ipsa res loquitur, petulantes, vel libidinosi essent necesse erat. Sed in fragmento, quod e Cratini Malthacis servatum est, pro *ἐρῶντα*, quod omnes libri tuentur, cum Dalecampio scribimus *ἐρῶντι*. Ait quidam, amorem stultum atque inanem esse, inde se vehementer poenitere, quod clandestinis amoribus indulserit. Tali modo Gnesippum appellans cum occultos amores reprehendat in se, objicit ei haud dubie apertas libidines. Jam difficillima quaestio oboritur, quonam illa, quae sequuntur, maxime pertineant. Nam in prioribus versiculis de Gnesippo, ludicro poeta, dicitur; inferiores autem ad Cleomachum spectare videntur. Quare tam nomina, quam studia duorum diversa habemus. Itaque Casaubonus, contextum verborum ante *σκώπτει δὲ αὐτὸν* censet interruptum esse, ut exciderit nomen poetae, ad quem sequens fragmentum pertineat. Huic Dindorfius assentitur. Neque id Odofr. Müllerus Hist. Lit. Gr. T. II. p. 185 improbavit, Cleomenem fortasse filium Cleomachi fuisse existimans, ad quem fragmentum debeat referri. Nimirum in altero versu fragmenti, quod ex Horis desumptum est, libri constanter, vel communi consensu *ὁ Κλεομάχου* tuentur, quod, Dalecampio duce, Casaubonus in *ὁ Κλεόμαχος* mutavit. Pari modo cum locus uterque ad unum poetam spectet, pro *τῷ Κλεομάχῳ* legimus *τῷ Κλεομάχου*, quoniam hae formae aut nihil, aut parum diversae sunt. Quod quidem Meinekius Fragm. Com. Gr. T. I. p. 28, Müllerus l. l., Welckerus Tragoed. Gr. T. III. p. 1025 concesserunt. Sed cum diversa studiorum genera secuti dicantur, unus ludicra carmina fecerit, alter tragoedias, alium censent Gnesippum, alium vero filium Cleomachi fuisse, ad quem verba, ante *σκώπτει* deleta, referri de-

beant. Atque haec quidem Müllerus l. l. Sed ego, quod recentiores poëtae dithyrambicum ac tragicum poësis genus solebant conjungere, prioribus fragmentis eundem censeo significari potuisse, ad quem posteriora pertineant, si Gnesippus, quemadmodum quidem dicitur, natus Cleomacho fuit. Officiunt, quae ab Athenaeo praemittuntur, quibus comici, quot laudantur, indolem ejus omnino consignent. Sed haec minus officiunt, quoniam negligentius dicta videntur. Bene nobiscum Meinekius Fragm. Com. Gr. et Welckerus l. l. faciunt. Quae cum ita sint, de Gnesippo ea accipimus, quibus Cratinus in Bucolis et Horis filium Cleomachi lusit. Jam primo fragmento eum vituperat, qui filium Cleomachi praetulerit Sophocli, cum chorum ei concesserit. Quo reprehenditur archon eponymus. Sed quid exprobrat in prole Cleomachi? Nimirum is dicitur indignus, qui chorum in Adoniis ducat. Sed qualis hic chorus? Est mulierum, mortem dei lacrimosis ut ita dicam carminibus deplorantium. Itaque ne his quidem tristibus ac femineis cantilenis poëmata Gnesippi licet comparare 1). Adjicimus locum ex Horis, qui mollitiem ac luxuriam eorum egregie declarat. Sunt enim prava poëmata. Quae mulierculae Lydiis, id est, mollissimis modis cantant. Athen. XII. p. 515 E. p. 516 B. Casaubon. ad Aristoph. Eq. 520. Et quam humile genus feminarum, quod incipit cantum! Sunt illae, quae pilos vel sibi vel aliis de inguine ceterisque corporis partibus vellunt, quo teneriores eae videantur. Aristoph. Ach. 31, Lysistr. 89. 151. Quae quidem, sicut ipsae mollissimae sunt, sic carminibus candorem quendam ac splendorem turpissimis modis conciliant. Quare si omnia, quae ad poësin ejus spectare videntur, accurate ex versiculis exegerimus, Gnesippum, poëtam tragicum, qui filius Cleomachi fuit, aequalis Cratini Ol. 89, 2 mortui et Eupolidis, quem Ol. 91, 1 obiisse suspicantur, Meinek. Hist. Crit. p. 44 et 105, idemque Sophoclis aetati conjunctus omnes, opinor, aemulos effeminato poësis genere vicit, adeo ut ne turpes quidem descriptiones ab ea plane excluserit.

---

1) Quin illo die festo homines libidinibus se maxime dedisse videntur. Vide Diphil. ap. Athen. VII. p. 292 D. Namque eodem sacra Veneri faciebant, Schol. ad Aristoph. Lys. 390, quae dissolutis plerumque mulieribus locum furendi et bacchandi dabant.

Hieronymus, Xenophanti filius, quem ab eruditis hominibus in numero tragicorum plane praetermissum miror, aequalis Aristophanis fuit, a quo tribus locis reprehenditur. Namque chorus Acharnensium Dicaeopolin monet, ne sermonibus trahendis afferat moram, sed cunctationem omnem abjiciat, armisque optimis instructus certamen velit obire 385:

τί ταῦτα στρέφει τεχνάζεις τε καὶ
πορίζεις τριβάς; λαβὲ δ' ἐμοῦ γ' ἕνεκα
παρ' Ἱερωνύμου
σκοτοδασυπυκνότριχά τιν' Ἄϊδος κυνῆν
εἶτ' ἐξάνοιγε μηχανὰς τὰς Σισύφου,
ὡς σκῆψιν ἁγὼν οὗτος οὐκ εἰσδέξεται.

Quibus igitur armis in gravi certamine utendum esse suadet? Ex optimo genere. Nam quid artibus Sisyphi, cui summam sollertiam inter mortales vetustissimae fabulae tribuerant, Welcker. Trilog. p. 550, callidius cogitari poterat? At galea terrorem injicit, nigris densisque crinibus obducta. Quae quare dicitur Hieronymi esse? Is et melicus et tragicus poëta fuit, ut scribit Scholiasta: *οὗτος ὁ Ἱερώνυμος μελῶν ἐστι ποιητὴς καὶ τραγῳδοποιός*. Suid. s. v. *Ἄϊδος κυνῆν*. Jam in apparatu scenico veteres personas habebant cum aliis rebus, tum capillorum ornatu maxime diversas, quemadmodum quoddam specimen ejus generis Jul. Pollux IV, 19 describit: *ὁ δὲ πάγχρηστος πρεσβύτατος τῶν νεανίσκων, ἀγένειος, εὔχρους, μελαινόμενος, δασεῖαι καὶ μέλαιναι αἱ τρίχες*. Hoc autem tegumentum qualecunque fuit, similitudinem habebat galeae, qua Aïs utebatur. Sunt autem de Aïdis galea primi poëtae epici locuti, Hom. Il. ε, 845, Hesiod. Scut. Herc. 227; quod post ita pervulgatum est, ut qui evanuisset, nec usquam conspici posset, galea Aïdis tectus diceretur. Suid. l. l., Zenob. I, 41, Diogenian. I, 39, Apostol. II, 3, Gregor. Cypr. I, 33, Heyn. ad Apollod. B. I. p. 76, Heinrich. et Goettling. ad Scut. Herc. l. l., Schol. ad eund. loc., Leutsch. ad Zenob. l. l. Fortasse galea, qualem Hieronymus in apparatu scenico habebat, terribili quodam adspectu commovit spectantium animos, ut illa Aïdis galea perquam terribilis habebatur. Quae cum ita sint, hunc tragicum poëta perstrinxisse putandus est, quod nimis lugubrem fabularum exitum omni compositione omnique histrionum ornatu perficere studuit. Jam de Philocle

supra disputantes exstitisse diximus interpretes, qui Didymi more cuncta vituperia comici cupidius ad externum eorum, qui irridentur, habitum referrent. In quorum numero fuit, qui alteram scholii partem adjunxit, neque ab eadem illam manu profectam, cui priorem debemus, neque illo ei nomine comparandam: ἐκωμῳδεῖτο δὲ, ὡς πάνυ κομῶν· διόπερ Ἄϊδος κυνῆν ἔφη αὐτὸν, παίξας κωμικῶς τὸν κουριῶντα. Quam explicationem qui excogitavit, locum Aristophanis ex Nubibus 347 desumptum fortasse ob oculos habuit, ubi Socrates cum nubes centauri aut pantheri, aut tauri, aut lupi speciem nonnunquam offerre confirmavisset idque a Strepsiade concedi videret, adjecit:

γίγνονται πάνθ᾽ ὅτι βούλονται κᾆτ᾽, ἢν μὲν ἴδωσι κομήτην,
ἄγριόν τινα τῶν λασίων τούτων, οἷόνπερ τὸν Ξενοφάντου,
σκώπτουσαι τὴν μανίαν αὐτοῦ Κενταύροις ᾔκασαν αὑτάς.

Addit Scholiasta, Xenophanti filium fuisse Hieronymum quendam, poëtam dithyrambicum: Ἱερώνυμον δὲ λέγει τὸν διθυραμβοποιὸν, ὃς Ξενοφάντου μὲν ἦν παῖς; eundem, credo, qui cum in Acharnensibus tragici poëtae loco habeatur et a Scholiasta μελῶν ποιητὴς appellatus et ipsa ludibrii ratione, quam infra declarabimus, quasi dithyrambicis quodammodo designatus est. Cui Aristophanes promissum capillum, quod tum animi effeminati ac luxuriosi indicium videbatur, Schol. ad Aristoph. Equit. 577, Spanhem. ad Plut. 170, magnamque cum centauris similitudinem tribuit, propterea quod veteres in hoc genere animantium profundas libidines cognoverant. Sed pravos mores pravumque ingenium luculentius etiam declarat, cum eum ἄγριόν τινα nuncupat, qua voce recentiores Graeci spurcum puerorum amorem significare consueverant. Plat. Phaed. p. 81 A. Plutarch. De Solert. Anim. p. 972 D. Bekker. Anecdot. Gr. T. 1. p. 200, 21. 339, 23. Etym. Magn. s. v. Harpocrat. s. v. Suid. s. v. Wyttenbach. ad Platon. Phaedon. p. 207. Tertio denique loco verba commemorare licet, quae comicus, Ecclesiaz. 202

Ἀργύριος ἀμαθής, ἀλλ᾽ Ἱερώνυμος σοφός,

habet. Ubi quem nomine irriserit Aristophanes, neque ex ipso sententiarum tenore perspicitur, nec indicat Scholiasta. Palmerius quidem, Kustero teste, de Hieronymo Atheniensi ea censet capienda esse, qui Conone ad Artaxerxem profecto,

classem Persarum cum Nicodemo una duxerit. Diodor. XIV, 81. Et quemadmodum in ipsa fabula nonnulla invenimus, quae Scholiasta ad v. 196 ad expeditionem Cononis refert, sic apprime sermoni Praxagorae congruens est, si mentionem ducis fecisse putatur. Verum enim non liquet, num poëta fuerit ille dux.

Quodsi jam ea demum ante oculos posuerimus, quae ex conviciis comici poëtae sequuntur, Hieronymum, tragicum poëtam, tam luxuriae, quam puerorum amoribus valde deditum fuisse apparebit. Idem et dithyrambos praeter tragoedias scripsit in eoque poëtarum numero fuit, qui ex depravato hoc genere melico cum alias proprietates, tum vocabula nimio longiora in tragoediam transferrent, et terrores tantum fabulis excitare conatus, quo facilius id assequeretur partim atrocissima quaeque argumenta delegit partim ornatum scenae quam maxime fecit lugubrem.

Hippias. Socrates Platonis reprehendit Hippiam, in eo gloriantem, quod multarum exemplaria artium, quae ipse confecerit, in his epica carmina, tragoedias, dithyrambos, aliaque opera attulerit Olympiam, soluta oratione scripta. Plat. Hipp. Maj. p. 368 D: *πρὸς δὲ τούτοις ποιήματα ἔχων ἐλθεῖν καὶ ἔπη καὶ τραγῳδίας καὶ διθυράμβους καὶ καταλογάδην πολλοὺς λόγους καὶ παντοδαποὺς συγκειμένους.* Ad haec Cicero Orat. III, 32: „*Ex quibus Eleus Hippias, cum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret: nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem et poëtarum atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur: sed anulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse*". Ubi sophistam Socrates haudquaquam mendacii, sed inanis ostentationis arguit, quippe qui omnia se cognita usuque trita habere profiteretur, quae in cognitione literarum artiumque studio consisterent. Quapropter eum in tragicos jure retulit Lil. Gyrald. p. 102. Hoc si verum est, duas res praetermittere non licet, ad historiam literarum gravissimas. Nam quod disciplina sophistarum, qua plurimi poëtae eruditi sunt, magnam vim in genus scribendi habuit, quid fu-

turum fuisse censemus, ex quo nobilissimus sophista vires in eadem poësis specie exercuit? Nimirum hoc modo sophisticus ornatus et crevit et plane perfectus est. Et in singula literarum genera magna damna inde redundarunt, quia nonnulli poëtae, in plurimis earum versantes, neque invenerunt, nec retinuerunt proprietates, quibus singula genera erant distincta. Quis vero plura an magis diversa opera condidit, quam Hippias fertur fecisse?

Ischander. Demosthenes in oratione, quam de corona habuit, irrita Aeschinis studia, quae collocarit in actione tragoediarum, acerrime carpit p. 173. ed. Bremi. Vide Philost. Vit. Soph. 1. Plutarch. Vit. X Orat. Etym. Magn. s. v. *ἰαμβοφάγος*. Cicero de Rep. ap. Augustin. de Civ. Dei II, 10. Quaeri jam potest, cujus poëtae egerit tragoedias. Indicat ignotus auctor, qui vitam Aeschinis scripsit: *Δημοχάρης δὲ, ὁ ἀδελφιδοῦς Δημοσθένους, φησὶν Ἰσχάνδρου, τοῦ τραγῳδοποιοῦ μὲν τριταγωνιστὴν γενέσθαι τὸν Αἰσχίνην καὶ ὑποκρινόμενον Οἰνόμαον διώκοντα Πέλοπα αἰσχρῶς πεσεῖν καὶ ἀναστῆναι ὑπὸ Σαννίωνος, τοῦ χοροδιδασκάλου.* Quod Demochares in dialogis memoriae prodidit, teste Harpocrat. s. v. *Ἴσχανδρος — δοκεῖ δ' αὐτῷ συνυποκρινόμενος Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ ἐν Κολυττῷ καταπεσεῖν, καθά φησι Δημοχάρης ἐν τοῖς διαλόγοις.* Ruhnken. Hist. Crit. p. 359. Ex quo liquet, Ischandrum scriptorem tragoediarum fuisse.

Meletus. Priusquam de fabularum genere, quas famosus accusator Socratis scripsit, nunc dicere aggredimur, forma nominis, quod habuit, accuratius nobis cognoscenda est, ne aut pravam id scribendi sequamur rationem, aut errores comprobemus, quales ex nominum similitudine cum alibi existere soleant, tum antiquis hic pridem hominibus offusi videantur. Est igitur duplex ratio, qua in libris tum manu scriptis, tum editis vulgo literis consignatur; una eorum, qui *Μέλητος* habent, altera *Μέλιτος* comprobantium. Atque haec quidem falsa tametsi videtur, tamen antiquitus orta sic sensim increbuit, ut, quisquis paullo ante Fr. Aug. Wolfii aetatem edidit scriptorem, non dubitarit *Μέλιτος* scribere. Antiquam enim originem hujus scripturae partim ex eo, quod Suidas Melissum philosophum cum Meleto confudit, quod nisi qui accusatorem Socratis nuncuparet *Μέλιτον*, non potuit facere, partim ex

interpretatione Eustathii ad Hom. Od. XIII, 106 intelligimus, a *μέλι* esse *Μέλιτος* opinantis. Sed mox alterum scripturae genus praetulerunt editores, quippe quod in optimis Aristophanis, Platonis oratorumque libris inveniretur. Vide Dobr. ad Aristoph. Ran. p. 371. Bekker. Aristot. Rhet. III, 18. Dindorf. Aristoph. Ran. 1312. Stallbaum. Platon. Euthyph. p. 2 B. Heid. Plat. Apolog. 3 etc. Buttmann. Gr. Gr. T. I. p. 36. Müller. Hist. Lit. Gr. T. II. p. 185. Quos, quia auctoritatem librorum sequuntur, hoc rectius judicasse existimem, cum Socrates Platonis eam nominis formam saepius significarit. Apolog. p. 24 C. D, 25 C, 26 D. Videtur *Μέλητος* in *Μέλιτος* mutatum, ex quo vocalis *η* ad sonum *τοῦ ι* accessit. Sed tempus hujus mutationis accurate nequaquam licet definire, quod neque constat, quando coeperit illa pronuntiatio valere, nec quamdiu, sono dudum inflexo, antiqua scriptura remanserit.

Itaque Meletum, Atheniensem, ex pago Pittheo ortum, Plat. Euthyphr. p. 1 B. Schol. Ruhnken. ad h. l., qui Socratem in capitis discrimen vocavit, tragoedias scripsisse constat. Schol. ad Aristoph. Ran. 1337: *προείρηται, ὅτι τραγικὸς ποιητὴς ὁ Μέλιτος. οὗτος δέ ἐστιν ὁ Σωκράτην γραψάμενος.* Suid. s. v. *Μέλιτος, τραγῳδίας ποιητὴς ὑπόψυχρος . . . οὗτός ἐστιν ὁ Σωκράτην γραψάμενος.* Ex quo perspicuum est, quod Meletum Socrates affirmat pro poëtis stetisse, cum Anytus demagogos defenderet, Lyco autem rhetores. Apolog. p. 24 A. Heid. ad h. l. Diog. L. II, 5, 18. Nimirum cum ipse poëta esset, debebat poëtas defendere. Quapropter equidem vereor, ut quem obscuritas illa moveat nonnihil, quam in accusatore Socrates contemnit [1]), Groen van Prinsterer Prosopograph. Platon. p. 165, tanquam nomini tragici poëtae, a quo Euripides nonnulla habuisse dicitur, non satis conveniat. Nam ea vis in Socratis oratione apparet, ut accusationem contemnendam esse doceat, cum is neque ingenio praestet, nec vitae usu, ratione quidem criminis habita, admodum excellere videatur, a quo impietatis juvenumque corruptionis erat insimulatus. Patrem Meletum habuit. Nam aetate Phavorini in

---

1) Plat. Euthyphr. l. l.: *Οὐδ' αὐτὸς πάνυ τι γιγνώσκω, ὦ Εὐθύφρον, τὸν ἄνδρα. νέος γάρ τίς μοι φαίνεται καὶ ἀγνώς.*

Metroo Atheniensium exemplar actionis asservabatur, quod tali modo exorsus erat: *Μέλιτος* (*Μέλητος*), *Μελίτου Πιτθεύς, Σωκράτει, Σωφρονίσκου Ἀλωπεκῆθεν.* Diogen. L. II, 5, 19. At Suidas tradit, patrem Meleti nomen *Λάρου* habuisse. Suid. s. v. *Μέλιτος Λάρου, Ἀθηναῖος ῥήτωρ. οὗτος ἐγράψατο Σωκράτην μετὰ Ἀνύτου. πεποίηνται δὲ αὐτῷ καὶ τραγῳδίαι. κατελιθώθη δὲ ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων. καὶ ἦν ἐπὶ Ζήνωνος τοῦ Ἐλεάτου καὶ Ἐμπεδοκλέους χρόνων. ἔγραψε περὶ τοῦ ὄντος. ἀντεπολιτεύσατο δὲ Περικλεῖ καὶ ὑπὲρ Σαμίων στρατηγήσας ἐναυμάχησε πρὸς Σοφοκλῆν, τὸν τραγικὸν Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ τετάρτῃ.* Ubi quis est, quin Atheniensem, qui filius Lari dicitur, rhetorem cum Melisso commutatum videat, qui Samius genere fuit, qui Ithagene patre usus est, quique tam philosophiae studiis, quam usu rerum civilium ac belli gloria viguit. Nam is, quod circa Ol. 84, Apollod. ap. Diogen. L. IX, 24, floruit, et Empedoclis, qui eidem olympiadi adscribitur, Diogen. L. VIII, 74, et Zenonis Eleatae aetati suppar censendus est, quem Ol. 79 floruisse, Diogen. L. IX, 29, arbitrantur. Idem et librum *περὶ τοῦ ὄντος* scripserat, quemadmodum ex Alexandro Aphrodisiensi refert Bessario adv. Calumn. Platon. II, 11, et classi Samiorum praefectus proelium navale Pericli et Sophocli fecit, cum hi ab Atheniensibus essent missi eam insulam oppugnatum. Diogen. L. IX, 24. Aelian. Var. Hist. VII, 14. Athen. XIII. p. 603. Thucydid. I, 116. Strabo XIV, 18. Argum. Soph. Antig. Suid. l. l. Cic. de Off. I, 40. Justin. III, 6. Bentl. Ep. ad Mill. p. 528. Boeckh. Tr. Gr. Pr. p. 107. Quem errorem quemadmodum hominibus similitudo nominum attulit, Wex. Prolegom. ad Soph. Antig. I, 7; sic quaeri potest, rhetoremne ejusdem nominis confuderit cum Socratis adversario. Et fuit quidam Meletus, qui mysteria contempsisse et Hermas dejecisse et Ol. 93 adversus Andocidem dixisse fertur. A quo multi nobiscum philosophum in jus vocatum esse existimant, ut Taylorus, Droysenius Mus. Rhen. III, 190, Hoelscher. de Lys. p. 68, propterea quod, cum rationes temporis et mores et ingenium in eum conveniant, non liquet, quare duo diversos habere debeamus. Alia Krüger et Forchhammer ap. Welckerum T. III. p. 972 docent. Videtur quidem officere nobis, quod Philochorus et Suidas de patris nomine dissentiunt. Nam haud dubie emen-

datio Clintoni probari debet, qui *Λαίου* pro *Λάρου* refecit. Aristophanes enim in Agricolis Meletum ob incestum amorem irridens, quo Calliam dilexit, *Λαΐου υἱὸν* facete vocaverat [1]; idque grammaticus tam rationis, quam doctrinae expers de vero patre intellexit. Nunc si de spatio aetatis quaeritur, Apollodoro mortem Socratis, qui ab eo accusatus est, in Ol. 95, 1 idque Demetrio Phalereo, Diogen. L. II, 5, 44, suffragante, ponenti doctissimus quisque assentitur, tametsi Philochorus insignem philosophum ante Euripidem, hoc est, Ol. 93, 1 necatum esse contendit. Valcken. Diatrib. p. 191 A. Quem cum in capitis judicium arcessivit, nondum valde adoleverat; etenim Socrates tam in Euthyphrone l. l., quam in Apologia Platonis p. 25 E hoc identidem significat, quod, cum ipse sit juvenis, accusator tamen juvenum corruptionem sibi dederit crimini. Itaque illo tempore vix triginta annos compleverat. Mature igitur coluit poësin, propterea quod Aristophanes Ranis Ol. 93, 3 ex carminibus Meleti ait nonnulla ab Euripide in fabulas esse translata. Cum poësi artem oratoriam conjunxit. Ex iis autem, quae supra memoravimus, Meletum, quem accusatio sapientissimi moribusque integerrimi hominis in contumeliam invidiamque civium adduxit, contemptu deorum et atrocitate facinorum exempla summae impietatis exhibuisse apparet. Idem bis periclitatus est, quid in judiciis posset efficere; nam et Socratem accusavit, et caussam adversus Andocidem egit. Nec libidinibus abstinuit, quod turpi Calliae cujusdam usu, est consuetudine. Schol. Platon. ap. Bekker. p. 330: *ἐν δὲ Γεωργοῖς ὡς Καλλίαν περαίνοντος αὐτοῦ* (*Μελήτου*) *μέμνηται* (*Ἀριστοφάνης*). Et Socrates cum *τετανότριχα* eum appellet, Euthyphr. p. 2, mollitiem morum in eo reprehendit, quoniam capillos mollissimi tantum homines consueverant alere; eundem *πάνυ εὐγένειον* esse propter levitatem ac petulantiam negat, qua juvenis ad accusationem abreptus est; *ἐπίγρυπον* nominat, ut pertinaciam atque arrogantiam castiget, quia homines ejusmodi tam pertinaces, quam arrogantes vulgo habebantur [2]). Plato de Rep. V. p. 474 C. Haec Stallbaumius

---

1) Schol. Platon. ap. Bekk. l. l.: *ὡς Ἀριστοφάνης Βατράχοις, Πελαργοῖς Λαΐου υἱὸν αὐτὸν λέγων*.

2) Vide Apolog. p. 24 C. Namque haec animi vitia ex iis optime perspicimus, quae perconctanti Socrati respondet.

argute ac vere explicavit, cum vitia, quae is ex corporis habitu a Socrate putat agnosci, diserte Meleto alibi exprobrentur. Apolog. p. 26 E: *ἐμοὶ μὲν γὰρ δοκεῖ οὑτοσὶ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πάνυ εἶναι ὑβριστὴς καὶ ἀκόλαστος καὶ ἀτεχνῶς τὴν γραφὴν ταύτην ὕβρει τινὶ καὶ ἀκολασίᾳ καὶ νεότητι γράψασθαι.* Erat in eo summa gracilitas et infirmitas corporis, ut ex Athenaeo XII. p. 551 E intelligimus. Sed ubi mox Athenienses injuriae poenitere coepit, qua hominem integris moribus supplicio dederant, Meletum, quasi culpae suae auctorem, rursus capitis damnatum lapidibus cooperuerunt. Diogen. L. 1. l. 43: *Ἀθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσαν . . . Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν.* Diodor. XIV, 37. Suid. s. v. *κατελιθώθη δὲ ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων.* Eudoc. s. v. Quod si aut uno, aut pluribus annis post Socratem mortuum factum est, aut Ol. 95, 2 aut Ol. 95, 3 trucidatus videtur.

Oedipodeam scripsit, eodem anno doctam, quo Aristophanes dedit Ciconias. Id Scholiasta ad Plat. l. l. ex didascaliis Aristotelis refert: *ἐπεὶ ῷ ἔτει οἱ Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιποδείαν ἔθηκεν, ὡς Ἀριστοτέλης διδασκαλίαις.* Atqui nescio, quare Welckerus Trilog. p. 527 aut comoediam, aut tragoediam Meleti cum Ranis, id est Ol. 93, 3 editam, putet, nisi Ciconias forte cum Ranis confudit. Dubitamus annon cunctam fabularum seriem ea comprehenderit, cognomini carmini epico subjectam illiusque generis exemplar condiderit, quod cum aliis fertur Agatho instituisse. Quanquam, propter nominis formam Welckerus Trilog. p. 527. Tragoed. Gr. T. III. p. 970 de trilogia cogitavit. Porro tam scolia, Aristoph. Ran. 1302, quam amatoria carmina scripsit, ut ex Epicratis versibus, Athen. XIII. p. 605 E, liquet [1]). Poëtam amori, qui pueros diligens flagitiosissime deserviit, quemque versibus celebravit, qui carminibus Sapphus comparantur, nihilominus amplum in tragoediis locum dedisse, verisimile est.

---

1) Athen. l. l.:

Κἀγὼ δὲ κατὰ τὴν Ἐπικράτους Ἀντιλαΐδα
Ταρωτίκ' ἐκμεμάθηκα ταῦτα παντελῶς
Σαπφοῦς, Μελήτου, Κλεομένους, Λαμυνθίου.

Cleomenes Rheginus ibid. IX. p. 402 A, Lamynthius Milesius ibid. XIII. p. 597 A fuit.

Pari modo scolia ejus Aristophanes conjungit l. l. cum luctuosa poësi:

οὗτος δ' ἀπὸ πάντων μὲν φέρει πορνιδίων
Σκολίων Μελήτου καὶ Καρικῶν αὐλημάτων.

Nam Καρικὰ αὐλήματα lacrimosa erant. Jul. Poll. IV, 10: θρηνῶδες γὰρ τὸ αὔλημα τὸ Καρικόν. Suid. s. v. Quam proprietatem in fabulas haud dubie transtulit, ut moerorem ac luctum quam maximum redderet. Enimvero poësis ejus perquam prava fuit ac frigida. Schol. Platon. l. l.: Μέλητος δὲ τραγῳδίας, φαῦλος ποιητής. Schol. ad Aristoph. Ran. 1337: κωμῳδεῖται δὲ καὶ ὡς ψυχρὸς ἐν τῇ ποιήσει; eaque indoles fortasse inde ducenda est, quod rhetor fuit artesque oratorias inanes operose in poësin congessit [1]). Suspicari licet, Meletum tantum odium in Socratem concepisse, quod tragoedias suas irriserat. Nam Plato Apolog. p. 23 E: ἐκ τούτων καὶ Μέλητός μοι ἐπέθετο . . . ὑπὲρ τῶν ποιητῶν ἀχθόμενος.

Morychus. Hic quoque in numero poëtarum fuit, de quibus quidquid attinet indagare, e comoediis omne conquirendum est. Aristophanes igitur eum primum Acharnensibus Ol. 81, 3, deinde Vespis Ol. 89, 2, postremo Pace vexavit; Plato autem, qui ei nihilo magis pepercit, primam fabulam Ol. 88 docuit, Cyrill. adv. Julian. I. p. 13 B, neque ultra Ol. 96 vitam perduxisse videtur. Schol. ad Aristoph. Plut. 179. Ex quo poëtam, quem comici per duos ac triginta annos Athenis ludibrio habuerunt, in hac urbe, licet genere non fuerit civis, diu tamen commoratum esse apparet; idque Plato significat, philosophus, qui Lysiam ait, Athenas profectum, in Morychi aedes devertisse. Phaedr. p. 337 A: ἀνὴρ Λυσίας ἦν, ὡς ἔοικεν, ἐν ἄστει; Φαιδρ. Ναὶ παρ' Ἐπικράτει ἐν τῇδε τῇ πλησίον τοῦ Ὀλυμπίου οἰκίᾳ τῇ Μορυχίᾳ. Timaeus Lex. p. 131 ed. Ruhnk.: Μορυχαία οἰκία τις, ἐν ᾗ καὶ Ἄρτεμις Μορυχαία ἀπὸ τοῦ καθιδρύσαντος. Atque haec ad helluonem Hermias refert, agitatum illum comoediis, qualis noster fuit poëta: Ὁ δὲ Μόρυχος γάστρις τις ἄνθρωπος. καὶ ἡ κωμῳδία αὐτὸν ὡς γαστρίμαργον διαβάλλει.

---

1) Qui epistolam Aeschinis ad Xenophontem scripsit, Meletum fere ita actionem illam instituisse dicit, quemadmodum Menoeceus ejus in tragoedia philosophorum more disputarit. Vide Welcker. Gr. Tr. P. III. p. 972.

Tragicam hujus poësin, Schol. ad Aristoph. Acharn. 885: τραγῳδίας δὲ ποιητὴς οὗτος. Suid. s. v., intactam reliquit comoedia, quia vulgo contemnebatur. Sed tam mollissimarum vestium usu, quam effuso vitae genere valde insignis fuit. Nam illas Aristophanes Vesp. 1141:

ἀτὰρ δοκεῖ γέ μοι
ἐοικέναι μάλιστα Μορύχου σάγματι

carpit; sed subtiliorem ejus gulam irridet, anguillam a Morycho plurimi aestimatum iri asseverans, quoniam is ganeo celeberrimus de ea poterat optime judicare. Acharn. 885:

ὦ φιλτάτη σὺ καὶ πάλαι ποθουμένη,
ἦλθες ποθεινὴ μὲν τραγῳδικοῖς χόροις,
φίλη δὲ Μορύχῳ.

Addit Scholiasta: Ὁ Μόρυχος ἐπὶ ὀψοφαγίᾳ κωμῳδεῖται. ἦν δὲ καὶ ἡδέως βιούντων. Suid. s. v. Pari modo cum multi ganeones commemorantur, primum locum inter eos Morychus obtinet. Pac. 1008:

Μορύχῳ, Τελέᾳ, Γλαυκέτῃ, ἄλλοις
τένθαις;

Sunt enim gulosi homines τένθαι, ut Timaeus Lex. p. 180: τένθης, ὁ γαστρίμαργος explicat. Cf. Hesych. s. v. τένθει. Ceterum in summa vitae luxuria rerumque affluentia omnium beatus sibi videbatur, ut eum Bdelycleo, tanquam exemplar felicitatis, Vespis 502, nominaverit:

τὸν πατέρ' ὁτιὴ βούλομαι . . . . .
ζῆν βίον γενναῖον, ὥσπερ Μόρυχος.

Atque haec ipsa indoles fuit, quam Plato, poëta comicus, in animo habuit voluitque significare, qui comparatum hominibus, quorum otii atque epularum cupiditas omnium ore ferebatur, felicem omni ex parte perhibuit. Nam legimus apud Schol. ad Aristoph. Nub. 109. Πλάτων λέγει·

ὦ θεῖε Μόρυχε, τέως γὰρ εὐδαίμων ἔφυς
καὶ Γλαυκέτης, ἢ Ψῆττα, ἢ Λεωγόρας,
οἳ ζῆτε τερπνῶς, οὐδὲν ἐνθυμούμενοι κ. τ. λ.

Vide Suidam s. v. Φασιανοί. De primi versus scriptura, quae quidem ad sententiam leviora videntur, copiose Reisigius Conject. in Aristoph. p. 72 disputavit. Sed cum mores atque indoles eorum spectantur, quibuscum comparatus est, abunde eos illustrat Suidas, monens: οὗτοι ἐπὶ μαγγανείᾳ διεβέβληντο,

id quod Ruhnkenius ad Tim. p. 132 in οὗτοι ἐπὶ λαιμαργίᾳ διεβέβληντο mutavit. Et Leogoram, patrem Andocidis, oratoris celeberrimi, eodem nomine aliis quoque tragoediarum locis vexatum invenimus. Cf. Schol. ad Aristoph. l. l. Athen. IX. p. 387 A. Aristoph. Nub. l. l. Vesp. 1261. Eupolis Autolyc. ap. Schol. ad Aristoph. l. l. Duobus autem ceteris nomina ex voluptatibus indita sunt, quibus se dediderant, unum propter libidinosum splendorem oculorum, alterum a piscium genere ductum, quod in oculis habere coeperant. Schol. ad Aristoph. Lysist. 115. Suid. s. v.

Quare si quid ex hoc ludibrio comicorum licet colligere, Morychus aequalis Aristophanis et Platonis tantam celebritatem luxurioso vitae genere assecutus est, ut in proverbii consuetudinem venerit. Poëtica ejus laus aut nulla, aut exigua fuit; neque enim tragoediae ab humilitate atque contemnenda mediocritate, qualem moribus ostendit, procul poterant abesse. Sed olim in Graecorum proverbio fuit, ut eum μωρότερον Μορύχου appellarent, qui, re familiari neglecta, iners omnino ac desidiosum otium sequebatur. Vide Zenob. V, 13, Apost. XIII, 50, Arsen. 359, Plutarch. Prov. I, 40. Suid. s. v. Quod quanquam Polemo quidam, ut Suidas nominatim cum Zenobio scribit, in epistola ad Diophilum ad Dionysum spectare contendit, cum is Morychi nomen apud Siculos habuerit, Clem. Alex. Protrept. IV, 47, idque unanimi voce comprobent cuncti; tamen vehementer dubitandum est, num vel ratio, vel auctoritas Polemonis tantum evincat, ut de tragico poëta eodemque tam luxuria, quam desidia famoso nemo audeat cogitare. Nam de otio ac segnitie dei quidquid veteres praedicavissent, ex antiquitatis monumentis frustra cognoscere studui.

Moschio. Quis ille Moschio fuisset, nobilissimus poëta, quo haud quisquam eorum, de quibus scribere statuimus, aut plures nobis, aut probabiliores reliquit versiculos, quam patriam habuisset, quibus parentibus, quoque loco fuisset natus, nec vetusti auctores memoriae prodiderunt, neque illi doctorum hominum indicarunt, qui eas quaestiones videntur vix omittere potuisse. Quin Lilius Gyraldus, Martinus Delrius, Gerhardus Vossius ne commemorarunt quidem eum in choro tragicorum. Itaque disputationem, quae in integro nobis relicta est, testimoniis minus, quam rationibus per-

ficiendam, ita explicabimus, ut iis, quae de viris cognominibus traduntur, copiose propositis, omnia, quae de poësi ejus exquirere potuimus, aetatem, qua vixit, accuratius definiant, aut in unum eorum Moschionum conveniant, qui quidem in Graecorum historia memorantur, eumque ipsum nobis hunc poëtam fuisse persuadeant. In quo si quid habui, quod accedit ad veri similitudinem, facile acquiesco; certiora alii inveniant, qui semper probabilia adspernantur, etiamsi verum iis non liceat dispicere.

Itaque apud veteres memoria duorum hominum exstat [1]), quibus nomen Moschionis fuit. Est enim unus, qui de nave Hieronis scripsit. Athen. V. p. 206 D — 209 E. Qui cum et illum Syracusarum regem amicissimum Romanis et Archimedem, mathematicum nominet, tragoedias certe non ejus generis fecit, quod in versibus poëtae animadvertitur. Alterum plures comici medii ordinis, qui inter Ol. 96 et Ol. 110, 3 floruisse dicuntur, Meinek. Hist. Crit. p. 271, Roeder De trium, quae Graeci coluerunt, comoediae generum ratione p. 123, ludibrio habuerunt. Nam Alexis, ut ab eo capiamus initium, qui inter Ol. 97 et Ol. 123 vixit, Meinek. l. l. p. 376, in Trophonio haec, Athen. VI. p. 242 C:

εἶθ' ὁ Μοσχίων
ὁ παραμασήτης ἐν βροτοῖς αὐδώμενος.

Quo maledicto cum luxuries poëtae figeretur, in proverbium quodammodo abiisse eique nomen videtur ganeonis dedisse. Eodem spectat apprime sententia Stratonis, qui Moschionem una cum Nicerato et Philino, famosis, opinor, parasitis, nominatim quasi hominem significat, quem ad epulas hospes invitaverit. Athen. IX. p. 382 D. Item Axionicus, quem Meinekius l. l. p. 417 medio comoediae generi adscripsit, in

1) Medicum omittimus. Cum illa scriberem, fateor me nondum cognitum habuisse locum Dionysii Halic. de Dinarch. 11, quo orationes dinumerat, quae falso Dinarchi nomine legantur. Is igitur haec scribit de oratione, quae hujus oratoris esse putetur: *Κατὰ Μοσχίωνος, ἀπογραψαμένου αὐτὸν Νικοδίκου· υἱὸν ἀποψηφισάμενον, ὦ ἄνδρες, τουτ Μοσχίωνος συμβαλών.* Quam cum habitam existimet, priusquam nobilissimus patronus vigesimum aetatis annum attigerit, ipse tragicus a Nicodico in judicium fortasse vocatus est. Quae si vera esse censemus, ex ipso Dionysio intelligimus, Moschionem Atheniensem Dinarcho fuisse superiorem aetate.

Phileuripide, cum dubitetur quidam cibus quomodo optime parari debeat, exquisitam Moschionis rationem, qua illum consueverit edere, habet praestantissimam. Est enim locus ap. Athen. VIII. p. 342:

καὶ λίχνων ἀνδρῶν ἀγάπημα φέρω κατ' ὤμων.
τίνα τῶδ' ἐνέπω τὴν σκευασίαν;
πότερον χλωρῷ τρίμματι βρέξας,
ἢ τῆς ἀγρίας
ἅλμης πάσμασι σῶμα λιπάνας
πυρὶ παμφλέκτῳ παραδώσω;
ἔφα τις, ὡς ἅλμῃ θερμῇ
τοῦτο φάγοι γ' ἑφθὸν ἀνὴρ
Μοσχίων φίλαυλος.

Ubi noli praetermittere, quod, cum omni verborum sensu tanquam gurges describatur, cognomen simul φιλαύλου habet. Macho denique, poëta novi generis, numeravit Moschionem in aquae potatoribus. Athen. II. p. 44 D: Μάχων ὁ κωμικὸς ὑδροπότου Μοσχίωνος μέμνηται. Ibid. VI. p. 246 B:

Τὸν ὑδροπότην .... Μοσχίωνα λεγόμενον
ἰδόντα φασὶν ἐν Λυκείῳ μετά τινων
παράσιτον ὑπὸ γραὸς τρεφόμενον πλουσίας,
Ὁ δεῖνα, παράδοξόν γε ποιεῖς πρᾶγμ', ὅτι
ἡ γραῦς ποιεῖτ' ἐν γαστρὶ λαμβάνειν ἀεί.

Jam dixerit fortasse quispiam, comicum alia cogitasse, alia in hominem dixisse, qui se totum dedisset voluptatibus. Quemadmodum vero haudquaquam id maxime egit, ut Moschionem derideret, sed tota irrisionis vis in parasitum quendam directa est, quem Moschio castigat; sic neque in proverbio, a quo duxit hoc nomen (τὸν ὑδροπότην .... λεγόμενον), dissimulatio valere solet, neque haec sententia illis, quae primo loco attulimus, Athenaei probatur verbis, quae declarant, nihil ironiae agnoscendum in eo nomine esse. Nec vero caussa est, quare de alio Moschione cogitemus, licet Macho non fuerit poëta medii comoediae generis. Ex quo efficitur, Moschionem, quisquis fuit, quamvis avidum epularum, ab ebrietate procul abfuisse. Porro quod hominem graviter reprehendit, quem opes, quas in victum impenderet, inhonestis sibi modis comparantem vidisset, ipse sensum recti pulchrique haud dubie servaverat integrum, neque ex abjecto erat hominum grege,

qui ingenium ac mores omni genere libidinum inquinare parum dubitabant. Callicrates tandem tota comoedia eum perstrinxit, quae Moschio fuit inscripta. Athen. XIII. p. 586 A: *καὶ περὶ μὲν τῆς Σινώπης Ἡρόδικος . . . . . φησὶν καὶ Καλλικράτης ἐν Μοσχίωνι.*

Quodsi nunc omnia, quae comici in Moschione cavillati sunt, comparamus, undique collecta; Moschio Athenis illo tempore vixit, quo media comoedia maxime floruit. Nam quod vel patriam, vel domicilium habuit Athenas, ex Machonis narratione intelligimus, eum non procul Lyceo in ganeonem, a muliercula nutritum, esse invectum, ne illud moneam, quod, nisi Athenis fuisset in omnium ore, a tot poëtis in scena vix derideri potuisset. Ut in bibendo summa ejus temperantia fuit; sic vehementem epularum amorem sequebatur. Nihilominus decus quoddam tenere, nec aliorum impensis ventri voluit servire, adeo ut parasitum dicterio figeret, qui praeter voluptatem ac pudicitiam escas consectabatur.

Sed hunc ipsum, quem comici verbis castigarunt, tragicum poëtam fuisse, hoc facilius persuadebimur, quo accuratius omnia momenta observata fuerint, quae exstant in ejus reliquiis. Nam et saepe tum accidit, ut luxuria diffluerent poëtae, utque comoediis hoc nomine exagitarentur, et fama, quae parasito certe maxima fuit, cum magnitudine favoris optime congruit, quem talibus quidem versiculis sibi, quales condidit, compararet illo tempore necesse erat. Nec multum fallimur, poëtam Athenis vel natum, vel commoratum esse, vel fabulas edidisse putantes. Quod praeprimis ille locus declarat, qui est apud Stobaeum Serm. ap. Wech. 66:

ὅμως τό γ' ὀρθὸν καὶ δίκαιον οὔποτε
σιγῇ παρήσω· τὴν γὰρ ἐντεθραμμένην
ἀστοῖς Ἀθάνας, τῇ τε Θησέως πόλει,
καλὸν φυλάξαι γνησίως παῤῥησίαν.

Ubi quis est, quem insignis ille fugiat modus, quo tam genus Atheniensium, quam libertatem loquendi (*παῤῥησίαν*) effert, optimum illum publicae libertatis fructum, universis civibus, seu servi, seu liberi erant, concessum, quem oratores multimodis laudant? Vide Plat. Gorg. 487. Demosth. Philipp. III, 3. Rudiger ad Demosth. de Pac. p. 178 Doun. et Beck. ap. eund. Quae cum videatur superbiae spectatorum dedisse, quo

gratiam eorum inirent, eam fabulam Athenis, opinor, docuit. Pari modo quae de temporis ratione colligimus, ea tragici poëtae eandem aetatem fuisse demonstrant, qua vixit, quem comici luserunt. Nam prima in fabula, quam libet nominare, Euripidem ita secutus est, ut, cum primus is Telephum egenum ac laceratis utentem vestibus fecisset, eandem personam miseriis pugnantem de iisque querentem induceret Moschio. Nam inde haec sumpsit Stobaeus Eclog. Ph. I, 5, 1:

ὦ καὶ θεῶν κρατοῦσα καὶ θνητῶν μόνη
Μοῖρα, λιταῖς ἄτρωτε δυστήνων βροτῶν,
πᾶν τλῆμ' ἀνάγκης στυγνὸν, ἢ κατ' αὐχένων
ἡμῶν ἐρείδεις, τῆς τε λατρείας ζυγόν.

Quare qui Euripidem est imitatus, is hoc principe natu minor fuerit necesse est. Apud Stobaeum, Serm. ap. Wech. 168, versus e Themistocle translati sunt, quibus aliqua pars pugnae navalis descripta videtur. Meinek. Hist. Crit. p. 522. Quid igitur caussae habuit poëta, quod historicam materiem subjecerit tragoediae, cum argumenta e mythis vulgo peterentur? Hanc enim legem a tragicis Graecorum servatam esse contendimus, ut, nisi publicarum rerum rationes adessent ipsis gravissimae, quae res paullo ante gestas suaderent in scena repraesentandas, nullam rem ex historia sumptam tragoedia ornarent. Quod igitur factum in caussa fuisse censemus, quare Moschio scripserit Themistoclem? Quae res in Atheniensium historia aut par, aut similis facinori fuit, quo Themistocles ingentes Persarum copias apud Salamina devicit? Nam hoc magnificentissimum ejus factum praeprimis laudatur. Equidem non dubito, quin pugnam navalem, quae circa Cnidum est facta, Salaminiae comparaverint, iidemque Cononem, cujus opera victoriam sibi paraverant, alterum habuerint Themistoclem. Nam ibi, quanquam exercitus barbarorum oppressi non sunt, quibus ipsum Graecorum nomen erat invisum, tamen hostis est victus, qui non odio externae gentis, sed dominationis cupidine ductus, cum felicissima essent Agesilai arma, libertati Graecarum civitatium summum periculum parare videbatur [1]). Et opes Spartanorum adeo fractae ac debilitatae sunt,

---

1) Corn. Nep. Con. 4: *Qua victoria non solum Athenae, sed etiam cuncta Graecia, quae sub Lacedaemoniorum fuerat imperio, liberata est.*

quamvis Athenienses victoriam facili opera consecuti dicantur, ut non solum Agesilaus communem illam calamitatem gravissime ferret, sed etiam Lacedaemonii nec Cononem et Pharnabazum, hostili modo littora Laconiae aggressos, propulsare, neque Corinthios possent prohibere, quominus fretum Achaiae, et Lechaei occuparetur. Xenoph. Hellen. IV, 3. Quod rerum discrimen debebant inprimis Cononi, qui, cum classi Graecorum praeesset, multis Persarum navibus auctae cumque inprimis dimicaret, non modo fortissimum se praebuerat, sed rem ipse quoque ad victoriam illam perduxerat. Quod autem similitudinem Cononis cum Themistocle maximam fecit, Atheniensibus muros, a Lacedaemoniis dirutos refecit. Cf. Xenoph. l. l. 6. Athen. I. p. 3 D. Nep. Con. 4 [1]). Quodsi igitur ea fabula Moschio facta alterius Themistoclis voluit celebrare, hanc eo tempore doctam fuisse sequitur, cum fama ejus proelii maxime floreret. At fieri potuit, ut memoriam ipsius hominis longe clarissimi renovare conaretur. Neque enim caussa defuit. Fama tenet, Athenienses, peste afflictos, cum de levamine consulerent Apollinem, id responsum tulisse, ut ossa Themistoclis illa Magnesiae condita deferrent Athenas, idque clam eos fraudibus perfecisse, cum Magnesii obsisterent, ne cineres tanti hominis sibi eriperentur. Thucydid. I, 138. Corn. Nep. Themist. 10. Schol. ad Aristoph. Eq. 84. Quae res si Moschioni occasionem praebuit fabulam docendi, quando fecerit eam, non ita liquet. Philiscus vero poëta comicus, cujus aetatem circa Ol. C ponunt, quod a Parrhasio depictus est, Plin. Nat. Hist. XXXV, 10, Themistoclem scripsit, ut Suidas

---

Justin. Hist. VI, 3: *Nam et ipse dux Conon non tam Persis, quam patriae studebat* etc. Qui cum propter patriae salutem res egregias fecisset, ab Isocrate Paneg. 142: *πιστότατος τοῖς Ἕλλησιν* est appellatus, id quod Bremius male intellexit. Vide etiam Casaubon. ad Polyb. I. p. 28.

1) Quam quidem Atheniensium fortunam ab antiquitate cum iis, quae Themistocles perfecerat, comparatam esse, docet Justin. Hist. VI, 5: „Fatum illud Athenarum fuit, ut ante, a Persis crematae, manibus eorum et nunc, a Lacedaemoniis dirutae, ex spoliis Lacedaemoniorum restituerentur; versa quoque vice nunc haberent socios, quos tunc hostes habuerant et hostes nunc paterentur, cum quibus juncti tunc arctissimis societatis vinculis fuerant.

s. v. et Eudocia p. 427 testantur. Quae res etsi nonnihil movit admirationis, tamen non est, quod de ea cum Meinekio Hist. Crit. p. 424 dubitemus. Sed quid adducere potuit Philiscum, ut Themistoclem derideret, antiquum hominem, cujus memoria summam gloriam maximaque Atheniensium atque omnium Graecorum facinora in spectantium animos revocabat? Nonne spectatores tali fabula potius laesos, quam delectatos esse censemus? Videtur gravis quaedam poëtae fuisse ratio, qua petulantiae crimen aut sponte subiit, aut facile removit. Is ita fortasse comoediam fecerat, ut cognominem Moschionis fabulam exploderet, sive ipsa delectatus irrisione, sive hoc egit, ut ex factionis, cui favebat, sententia, de auctoritate Cononis, cujus rebus studebat Moschio, quam plurimum detraheret. Ut vero tragoedia Moschionis alium finem habuerit aliamque rationem, videtur tamen duarum conjunctio fabularum fuisse. Unde Philiscum definiamus aetate Moschionis floruisse. Tertia denique fabula Moschionis, quae quidem est nomine cognita, *Φηραῖοι* fuit inscripta. Exstant reliquiae, titulo distinctae ap. Stobaeum, Serm. ap. Wech. 279:

κενὸν θανόντος ἀνδρὸς αἰκίζειν σκιάν,
ζῶντας κολάζειν, οὐ θανόντας εὐσεβές.

quibus poëta dissuadet, ne quis corpus mortuum laedat, tanquam ita possit luere scelus, a vivo homine admissum. Atque haec sententiae similitudo nos deducit ad eam opinionem, ut alios quoque locos, quos Stobaeus servavit, Serm. 279, Eclog. Ph. I, 38, cum illo fragmento conjunctos olim eademque ex fabula desumptos fuisse putemus; nam in iis omnibus jus mortua hominum cadavera sepeliendi commendatur variis rationibus. Argumentum ex nomine nequit cognosci. Sunt vero reliquiae, quae facile id nobis significent. Nam versus apud Stobaeum Serm. 277:

ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς·
ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. οὔτι γὰρ κεκτήμεθα
ἡμέτερον αὐτὸ, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον·
κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν.

aliis in libris Menandro tribuuntur, aliis vero Moschioni. Atqui nemo de Menandro cogitabit, qui tragicam eorum indolem

bene perspexerit. Quare sequitur, eos Moschioni esse adscribendos [1]). Attamen toti ex Euripidis Supplicibus 523 translati sunt. Unde quis est, qui exscripserit? Utrum Moschionem, an Stobaeum censemus, ut hic nomina temere confuderit duorum poëtarum? Tametsi non dubito, quin plurimi Stobaeum cum sexcentis locis in significandis poëtarum nominibus errasse, Valcken. Diatr. p. 198, Naek. Choer. p. 79, 160, tum Moschionem hic pro Euripide habuisse arbitrentur, sive is ipse memoria lapsus est, sive librarii videntur mendi auctores, tamen talem Euripidis imitationem Moschioni tribuere, quam praeter verisimilitudinem mendum Stobaeo malim ingerere. Nam cum obscuros quosdam ac parum nobiles commemoramus, in magnorum memoriam hominum saepe incurrimus, cum nomen eorum admodum sit illustre iique semper et ubique nobis ante oculos versentur. At qua ratione Stobaeus, quaeso, versibus Euripidis apposuisse putatur Moschionis nomen, cum hic eruditis tantum hominibus, ille vero cuique bajulo enotuisset? Quare ab aliorum sententia, si quae est, quam probant, longissime recedimus. Nam talia imitationis exempla neque a principibus tragicorum devitata, quorum alius alium exscripsit, neque ab iis esse depulsa constat, qui sunt insecuti aetatem Euripidis. Boeckh. Pr. Tr. Gr. Quid igitur hoc miremur in Moschione, qui et Telephum ad Euripidis exemplar adduxit, ut supra docuimus, et multa quoque hac in fabula ex Supplicibus Euripidis sumpsit. Ut enim Euripides primam hominum conditionem feram eandemque ab omni cultu omnique humanitate procul remotam fuisse ait, Supplic. 200; sic Moschio conditionem antiquissimorum hominum exponit, qua parum antecesserint bestiis [2]). Eclog. Phys. l. l. Quanquam haec sententia

1) Cum primum exemplar Stobaei ad editionem Gesneri comparatum adhibuissem, in quo non omnes scriptoris partes invenirentur, mox aliud contulissem, quod et Stobaei et Antonii et Maximi opera comprehenderet, editionem Tauchnitii nactus hos versus Moschioni a novissimis vidi editoribus recte assignari. Vide Welckerum Tr. Gr. P. III. p. 1049.

2) Haec quidem sententia, cui quod comparemus nostri homines non ita multis certe annis ante hanc aetatem sibi invenisse videbantur, apud Graecos olim nata et frequentata ad Romanos manaverat. De qua recte Niebuhrius Hist. Rom. I. p. 92 judicavit.

multorum historicorum et philosophorum tum erat communis. Cf. Muret. Var. Lect. I, 5. Ac Moschio quidem dubitat, Prometheus, Schütz. ad Aesch. Prometh. 467, an Necessitas quaedam meliorem rerum conditionem instituerit: Theseus vero, Suppl. 200, id numen, quod vitam humanitatis expertem ad meliorem statum perduxerit, dignissimum esse laudibus arbitratur. Antiquissima id lege sancitum esse Moschio putat, ut cadavera mortuorum religiose sepelirentur; neque id Theseus Euripidis negat. 522. Quare Moschio, quoniam et hac in fabula et alibi partim totis versibus describendis, partim sententiis explicandis amanter vestigia Euripidis pressit, e Supplicibus, quos ante oculos habuit, non illas solum dictiones videtur, sed etiam argumentum transtulisse, quippe cui versus, quibus nomen Pheraeorum appositum est, aeque atque illae reliquiae conveniant, quae quin eadem ex fabula sint, nequaquam dubitamus. Sed unde hoc nomen Pheraeorum, recte quaesieris. In Supplicibus Argivae mulieres Creontem precibus petunt, ut corpora necessariorum sibi humanda tradat. Nonne has partes Moschio Pheraeis, civibus illius Peloponnesi oppidi, committere potuit, Strabo VIII, 4, qui fabularum fama celeberrimi erant? Vide Hom. Il. V, 543, IX, 151, 293. Odyss. III, 448, XV, 186. Sed qua caussa hanc mutationem induxit? Primum, ut ab Euripidis ratione paullum declinaret, dein majoris studii in spectatoribus excitandi caussa. Etenim miserrimam Pheraeorum calamitatem, quos Conon et Pharnabazus, Ol. 96, 4, in Lacedaemoniorum agros incurrentes hostiliter tractaverant, Xenoph. Hellen. IV, 8, in scena sic poterat optime effingere, ut Pheraeos, bello Thebano afflictos de propinquorum interitu flebiliter querentes eorumque cadavera reposcentes faceret. Ita ne haec quidem fabula, si quid veri sumus conjectura assecuti, in definienda poëtae aetate nos omnino destituit. Idem apud Stobaeum, Serm. ap. Wech. 9, 66, 152, 251 (Jacobs. Emendat. in Athen. p. 25, Lobeck. ad Phrynich. p. 285, Valcken. ad Eurip. Hippolyt. p. 177 C), 259. Anton. et Maxim. ibid. 40, 52, laudatur. Addo Clem. Alex. Strom. VI. p. 264.

Quodsi nunc reliquiarum indolem, quantum ejus fieri potest, accuratius contemplamur, cum multa verba ac locutiones, quas ex publico et forensi usu arripuit, tum illud studium maxime invenimus, quo rhetores majore copia, quam viriditate

sermonis vel enarrare res, vel etiam describere conantur. Accedunt, quae poëtam declarent, orationibus locum dedisse. Quare tenuis ac frigida est plerumque hujus oratio, nec verborum, neque sententiarum distincta luminibus, quae, ubi poëticae indoli ornatu verborum finitima est, artificiosam dicendi sollicitudinem ostendit, nec rebus convenientem, neque tenore sententiarum ita probabilem, ut, quae audacius dicta sint, licentiae poëtarum ignoscere possimus. Haec enim de foro arripuit: *τό γ' ὀρθὸν καὶ δίκαιον, νόμος ταπεινός, ὁ ἀσθενής, οἱ ἀμείνονες, νόμος ὁρίζει ὁ δικαίως κρίνας, ὁ ἀδίκως κρίνας, βέβαιος κτῆσις, ἄλλους πλήττειν.* Sed officium cadavera mortuorum sepeliendi partim memoria vetustae legis, partim eo probatur, quod sepultura animi naturae humani corporisque conditioni sit maxime congrua, cum neque jus poenae, hominibus, nisi in vita humana concessum, valeat, nec quidquam habeat utilitatis, corpus omnium sensuum expers afficere contumeliis. Descriptio vitae, quam primi hominum degerint, quodammodo cum argumentis copulata est, quibus sepulturam commendavit. Sed ubinam est vinculum sententiarum, ut ita dicam? Haec addiderat, quo confirmaret, eam legem jam inde ab antiquissimis temporibus valuisse; nam cum elocutionem „a primis temporibus, ex quo mitiorem morum naturam induxerunt”, poëtice vellet exprimere et vitam, qualis fuit initio, et eum deinceps statum descripsit, qui postea insecutus est. Disputatiunculam igitur de prima hominum rerumque natura, de qua tum Graeci multa fabulabantur, copiosissimam amanter intexendo praeter naturalem justamque audientium exspectationem vel interrupit, vel etiam perturbavit filum orationis. Quod tam judices in scenam induxit, caussas rite dijudicantes, quam actiones finxit ac patronos, qui justis orationibus rem suam studerent obtinere, id cum alia multa nobis declarant, tum hoc maximo est argumento, quia locus reliquiarum nequaquam ex prologo sumptus est, ubi nescio quis benevolentiam flagitat, inprimis illam oratoribus necessariam et initio orationum exoptatam, quo facilius vel moveat animos audientium, vel ad finem suum perducat. Stob. ap. Wech. Serm. 152:

μόνον σὺ θυμοῦ χωρὶς ἐνδέξαι λόγους,
οὓς σοι κομίζω· τὸν κλύοντα γὰρ λαβὼν
ὁ μῦθος εὔνουν οὐ μάτην λεχθήσεται.

Quae quidem etsi non locum tenuerunt, quem sumus suspicati, tamen ipsa sententiae ratio ex rhetorum scholis translata est. Porro libertatem loquendi, quam παῤῥησίαν vocant, ad quam, cum omnium civium esset, ac totius publicae libertatis fundamentum, inprimis oratores confugiebant, laudavit nescio quis, cum esset in eo, ut testaretur, quid verum quidque justum haberet. l. l. Illa denique, quae ap. Anton. ap. Wech. Serm. 40 legimus, praesenti opinor judici dicta sunt.

Genus sermonis exile atque aridum vigore ac gravitate, quae tragicae poësis propria est, procul abhorrere diximus. Neque enim id vitium dictionis depulit eo, quod epitheta, quibus carmina ornantur, ut apud Stobaeum Eclog. Ph. I, 11, plurima congessit, non ea de caussa, quo vividius imagines rerum in spectantium animos irrumperent, sed hoc vel poëtarum consuetudini dandum, vel naturae poësis esse ratus, quae talibus deberet ornamentis delectare. Quapropter nos illis dialogi partibus praeprimis graviter offendimur, in quibus, tametsi tranquille atque humiliter omnis oratio fluit, figuras dicendi aut prorsus inauditas expressit, aut, cum apud tragicos poëtas occurrant, locorum tamen, quos tenent, indole magis, quam sua ipsarum facilitate ac pulchritudine nobis excusandas. Quod in has elocutiones cadit: μοῖρα ἄτρωτος, ἀκύμων ἦν γῆ κωφεύουσα ῥέουσά γε, θνητὸς βίος (θνητῶν βίος), κλάδος πεύκης, μυρία λόγχη, ἄναυδος γῆ.

Reperimus multa corruptionis indicia, quam dicendi genus tragicorum inde ab Euripidis temporibus traxit. Bernhard. Synt. Gr. p. 14. Nam et vocabulis modo inventis (ἀροτρεύω, ἀρόω, ἀροτριᾶν (Lobeck. ad Phryn. p. 454), τρανός (τρανής Soph. Aj. 23), ἐπιμοιρᾶσθαι) et locutionibus usus est, quae vulgari sermone admodum tritae et de medio sumptae erant. In quibus sexcenties modum Euripidis expressit. Ut enim διαπτύσσειν de investigatione (inquisitione) ap. Stob. Eclog. Ph. I, 11 dicitur; sic Euripides Hippolyt. 985 idem usurpat. Usitatissima huic locutio fuit ἐξέτηξε δακρύοις, Hecub. 433, Helen. 1419, Orest. 134, 529, 860. Audacem usum vocis ἀκύμων, a lexicographis, ut Hesychio, Suida et in Συναγ. λέξ. χρησ. ap. Bekker. Anecdot. I. p. 373 notatum, sibi primus Euripides Androm. 158 permisit, ut ex Phrynicho ap. Bekker. l. l. p. 6 colligere mihi videor. ἀλλοιοῦν, quod quidem ante ii

scriptores tantum adhibuerant, qui oratione soluta scripserunt, Euripides transtulit in tragicam orationem. Suppl. 945. Quem Moschio secutus est. Stob. Eclog. Ph. I, 9, 38. Vox εὔπωτις, quam Grotius apud Stobaeum l. l. pro lectione εὔγωνις restituit, quam omnes critici reprehenderunt, si modo vera est, cohaerere cum illo vocabulo εὔιος potest, quod Euripides Cyclop. 191 habet. Ibidem nos versum:

Δήμητρος ἀκτῆς· εὑρέθη δὲ Βακχίου

restituimus, cum libri

Δήμητρος ἀγνῆς

habeant. Nam vox ἀκτή, de cujus origine ac vi primaria inter veteres olim magna quaestio fuit, multifariam apud epicos scriptores, Hom. Il. ν, 322, Hesiod. Oper. 464, 595, Scut. Herc. 291 c. not. Goettling., Heyn. ad Il. T. VI. p. 228, invenimus. Atqui eam in tragoediam hac significatione intulit Euripides Hippolyt. 137 (cf. Valcken. ad h. l.) et Teleph. Fragm. ap. Welcker. Trag. Gr. T. II. p. 483:

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνοιν
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματος δ' ὑδρηχόου κ. τ. λ.

Quibus illa Moschionis sane simillima sunt.

Poëtam, qui omnibus, quae rhetores noverant, luminibus dictionem ornandam suscepit, non minorem industriam in eo collocare debebat, ut quam severissimis versus metri adstringeret legibus. Et in septem et septuaginta versibus, dummodo menda librorum, ab Heerenio Eclog. Ph. l. l. v. 13 et 24 sublata, praetermittamus, ne semel quidem liberiori metrorum generi indulsit, praeterquam quod ap. Clem. Alex. Strom. l. l. pro iambo:

ἐστι μακαριώτατος, ὃς διὰ

legitur tribrachus.

Nearchus. Hunc una cum Callisthene ab Alexandro necatum esse Suidas s. v. Καλλισθένης scribit.

Neophro. Neophronem a patria Suidas s. v., Eudocia p. 310, Diogenes L. II, 18, 10 Sicyonium appellarunt. Aetatem hujus definire videntur, quae duo priores testes memoriae produnt: συνῆν δὲ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρῳ, τῷ Μακεδόνι. καὶ διότι φίλος ἦν Καλλισθένει, τῷ φιλοσόφῳ σὺν ἐκείνῳ καὶ αὐτὸν ἀνεῖλεν αἰκισμοῖς. Quare hunc plurimi aequalem faciunt Alexandri Macedonis, ut Lil. Gyraldus p. 286, Vos-

sius p. 55, Fabricius Biblioth. Gr. T. II. p. 312, Hieronymus Müllerus Medea Germ. vers. p. 130. Quibus nimiam fidem Suidas fecit, tametsi, verbis ejus accuratius intellectis, videtur pugnantia retulisse. Qui, *Νεόφρων ἢ Νεοφῶν*, inquit, *Σικυώνιος τραγικὸς, οὗ φασιν εἶναι τὴν Εὐριπίδου Μήδειαν, ὃς πρῶτος εἰσήγαγε παιδαγωγοὺς καὶ οἰκετῶν βάσανον.* Haec autem propter magnam accurationem, qua Suidas, vel auctor, quem sequitur, diligenter res singulas effert, cum ex optimis fontibus ducta, tum ita copiose relata sunt, ut, si aliis iisque dubiis narrationibus adversentur, hae certe rejici, illa vero multo majore fide digna debeant censeri. Nam et duplicem nominis formam, de qua ambigerent grammatici et numerum fabularum, et artes commemorat, quibus tam apparatum scenae, quam compositionem tragoediarum mutavit. Quae quidem omnia nobis, tametsi magnam faciunt fidem, inprimis tamen non licet in suspicionem illud vocare, quod paedagogis fertur servisque fidelibus certas in fabulis partes dedisse. Similes enim de scenicis inventis narrationes habemus, quae, cum ad scenam pertinerent ideoque a Graecis bene memoria tenerentur, ex optimis libris, ut scenica Jubae historia, ad nos pervenerunt. Primus enim et Choerilus (Suid. s. v.) personas invenisse et Phrynichus actionem mulierum instituisse et Aeschylus binos, Sophocles ternos actores adhibuisse traditur. Diogen. L. III, 43. At vero si paedagogos servasque fideles induxit, ab Alexandro cum Callisthene non est necatus. Nam cum hoc ita velis accipere, ut id genus personarum ante Neophronem censeas prorsus inusitatum fuisse, hunc aetati Sophoclis anteponendum, aut parem esse concedis. Paedagogus enim in Electra hujus principis suas partes habet. Sin haec tali modo narrata putas, quod Neophro hujuscemodi personas, quanquam non primus, frequentius tamen instituit quam ceteri poëtae, sequitur, eum vel aequalem Euripidis, vel paullo vetustiorem eo fuisse. Is enim in Hecuba, Heraclidis, Ione, Iphigenia Aulidensi singulos servos fecit agentes, in Phoenissis paedagogum, in Hippolyto servum, nutricem servamque, in Andromacha duas servas unamque nutricem induxit. Quocirca quae de Neophronis arte feruntur, probantes illam de morte narratiunculam rejiceremus, etiamsi Elmslejus ad Eur. Med. p. 68 non dudum caussam erroris indicasset. Nam alio loco

Suidas s. v. *Καλλισθένης* Nearchum tragicum una cum Callisthene, amico et comite, Alexandri jussu necatum auctor est: *ἀνεῖλε Καλλισθένη ἅμα Νεάρχῳ.* Unde jam error apertus isque ex nominum similitudine ortus est. Accedunt verba, quae ap. Brunckium in Argument. Medeae corrupta leguntur: *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι γενναιοφρόνως διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν.* Müllerus in Hist. Lit. Gr. T. II. p. 281 *γενναιοφρόνως διασκ.* in *τὴν Νεόφρονος διασκεύασιν* mutare voluit. Item Beckius, cum vulgatam lectionem vitiosam esse vidisset, pro *γενναιοφρόνως* emendavit *ὁ Σικυώνιος Νεόφρων.* Sed haec longius, quam par est, a vulgata lectione aberrant. Nec multum emendatio Matthiaei juvat, *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι παρὰ Νεόφρονος διασκευάσεως* scribentis. Sed duo libri indicia verae scripturae habent, unus Romanus, quem litera C significant, in quo *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι παναιόφρονος διασκευάσας* legitur, alter Florentinus, ex quo Pflugkius Eurip. Med. p. 4 scribit: *παρὰ νεὼφρονος διασκευάσεως.* Unde Elmslejus: *τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι παρὰ Νεόφρονος διασκευάσας.* Quod partim ob facilitatem, partim ob librorum fidem Hermannus Opusc. T. III. p. 148, Welckerus Trag. Gr. P. II. p. 628, Pflugkius Eurip. Tragoed. Vol. I. Sect. I. p. 4 aliique comprobarunt. Buttmannus autem in disputatione de Dicaearcho p. 39 mendose locum repetere, quam artes interpretum variasque librorum lectiones commemorare maluit. Quare jam multa constare apparet, dum sequeris scripturam Elmsleji. Videmus enim, Neophronem et antiquiorem Euripide fuisse, quod quidem paullo ante conjectura sumus suspicati, et Medeam scripsisse, cujus similitudinem Euripides in cognomini fabula expressit. Diogen. L. II, 18, 10: *ὥστε πταίουσιν οἱ λέγοντες μηδὲν ἀνεγνωκέναι πλὴν τῆς Μηδείας τῆς Εὐριπίδου, ἣν ἐν τοῖς Νεόφρονος εἶναι τοῦ Σικυωνίου φασίν.* Suidas s. v. *οὔ φασιν εἶναι τὴν Εὐριπίδου Μηδείαν.* Eudoc. l. l.

Quocirca operae pretium est, fragmenta, quae ex Neophronis Medea nobis servata sunt, cum tragoedia Euripidis contendere, ut non solum emendatio confirmetur, sed appareat quoque, quibus in rebus princeps imitatus fuerit Neophronem. Nam cum id satis constiterit, ex Medea rursus poësin hujus

cognoscemus. Itaque aliis et fabulis et fragmentis ejus perditis tres loci ex Neophronis Medea relicti sunt. Quorum qui primus est ap. Scholiast. ad Eurip. Med. 666, eum Valckenarius ad Eurip. Phoeniss. 709 feliciter correxit, Porsono ad Eurip. Med. 666 libente. Totos apponimus versus: λέγουσι τὸν Αἰγέα εἰς Τροιζῆνα εἰληλυθέναι διὰ τὸ δεδοικέναι πεζῇ ποιεῖσθαι τὴν πορείαν, Σίνιδος κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐπιπολάζοντος. Νεόφρων δὲ εἰς Κόρινθον τὸν Αἰγέα φησὶ παραγενέσθαι πρὸς Μήδειαν ἕνεκα τοῦ σαφηνισθῆναι αὐτῷ τὸν χρησμὸν ὑπ' αὐτῆς τῆς Μηδείας, γράφων οὕτως·

Καὶ γάρ τιν' αὐτὸς ἤλυθον λύσιν μαθεῖν
Σοῦ πρίν. θείαν γὰρ ὄσσαν, ἥν ἔχρησέ μοι
Φοίβου πρόμαντις, συμβαλεῖν ἀμηχάνως,
Οἶδ' εἰς λόγους μολεῖν γὰρ ἤλπιζον μαθεῖν.

Ubi vir eruditus Πυθίαν pro πρὶν θείαν scripsit, ἀμηχάνως in ἀμηχανῶ mutavit quartumque versum ita reficere conatus est: Σοὶ δ' εἰς λόγους μολὼν γὰρ ἤλπιζον μαθεῖν. Fecit igitur Aegeum consulto Medeam convenire, ut obscurum oraculi responsum callidissimae mulieri explicandum proponeret. Qui cum de prolis spe Pythiam consuluisset, deus responderat, Med. 679, 681:

Ἀσκοῦ τὸν προὔχοντα ποδεῶνα, φίλτατε λαῶν,
Μὴ λῦσαι, πρὶν γουνὸν Ἀθηναίων ἀφικέσθαι.

Schol. ad 674, Plutarch. Thes. 3, Tzetz. ad Lycophr. 494. Muret. Var. Lect. III, 14. Quod ipsum Aegeus Euripidis, ut ex Pitheo Troezenio comperiret, qui tum unus omnium maxime fama sapientiae, Plutarch. l. l., florebat, pervenit forte Corinthum ibique in mulierem Colchicam incidit. Sed ratio Neophronis praestat, quippe qui non fortuitum, ut Euripides, colloquium fecerit, quod erat ex tota fabulae compositione necessarium, quo res certius quoque celerius perficeretur. Medea enim, cum exigere facinus dubitet, dummodo locus sibi desit, quo fugiens poenam scelerum possit evitare, ita demum nefarium persequi consilium potest, cum Theseus ei promittit in Attica tutum deverticulum fore. Quare quod Euripides casui dedit, id cum propter fabulae compositionem inprimis necessarium esset, Neophro prudentius effecit ipso actionis modo consilioque tribuit Aegei.

Alter est locus ap. Stobaeum Serm. ap. Wech. 98:

εἶεν, τί δράσεις, θυμέ; βούλευσαι καλῶς,
πρὶν ἢ 'ξαμαρτεῖν καὶ τὰ προσφιλέστατα
ἔχθιστα θέσθαι; ποῖ ποτ' ἐξῇξας, τάλας;
κάτισχε λῆμα καὶ σθένος θεοστυγές.
καὶ πρὸς τί ταῦτ' ὀδύρομαι, ψυχὴν ἐμὴν
ὁρῶσ' ἔρημον, καὶ παρημελημένην
πρὸς ὧν ἐχρῆν ἥκιστα; μαλθακοὶ δὲ δὴ
τοιαῦτα γιγνόμεσθα πάσχοντες κακά;
Οὐ μὴ προδώσῃς, θυμὲ, σαυτὸν ἐν κακοῖς
οὔ μοι δέδοκται. παῖδες, ἐκτὸς ὀμμάτων
ἀπέλθετ'· ἤδη γάρ με φοινία μέγαν
δέδυκε λύσσα θυμόν. ὦ χέρες, χέρες
πρὸς οἷον ἔργον ἐξοπλιζόμεσθα· φεῦ
τάλαινα τόλμης, ἣ πολὺν πόνον βραχεῖ
διαφθεροῦσα τὸν ἐμὸν ἔρχομαι χρόνῳ.

In his, cum ita vulgo legantur, nonnulla Elmslejus ad Eurip. Med. v. 179, alia Hermannus Annot. ad edit. Elmslej. v. 1024 (Opusc. T. III. p. 229) tentavit, de quibus paullo infra explicabimus. Est vero simillima oratio, quam Euripides Medeae dedit, secum ipsa loquenti. Eurip. Med. 1019—1080. Nam is mulierem, priusquam ad puerorum caedem aggrederetur, vehementissimis animi perturbationibus agitari perspexit necesse esse, cum modo amori liberorum obsequi, modo studio ultionem parandi curaret satisfacere [1]). Simulatque enim a viro repudiata est, confestim eos, quos ex Creonte suscepisset — est enim haec naturalis conversio voluntatis humano generi, ut ex amore saepe odium oriatur — non solum odisse incipit, sed etiam interficere statuit, ea de caussa, quo graviorem a perfido marito repetat poenam. Nam choro, qui tantum facinus a muliere communicatum sibi mirabundus pertimescat, rogetque v. 816:

ἀλλὰ κτανεῖν σὼ παῖδε τολμήσεις, γύναι;

id acerbissimum poenae genus esse respondet:

οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα δηχθείη πόσις.

Sed ubi, filia Creontis veneno sublata, non fieri posse animadvertit, quin alteram consilii partem eandemque atrocissimam

1) Quas quidem animi perturbationes optime Timomachus expresserat. Vide Lessing. Laocoon. 3.

perficiat puerosque perdat, hos ipsos, quibus mortem parat, conspicata, et insanam amittit rabiem et sensu quodam humanitatis agitatur. Vehementer enim nunc dolet, quod liberos aliquando felices habitura non sit, quodque et fructus tanti laboris, quem ex educatione eorum susceperit et spem in iis positam perdere cogatur. Accedit hilaris eorum risus, e quo timorem mortis, quam eis intendat, nequaquam videt ipsorum in mentibus insedisse [1]. Quare, mutato consilio, eos non interficiendos, sed in exsilium secum ducendos esse constituit. Sed mox animum subit cogitatio, perfidiam hoc pacto fore inultam, eaque hanc mulierem natura perquam irritabilem adeo exagitat, ut illa pietatis, vel humanitatis praecepta, quae paullisper sibi servanda putavit, ignaviae esse rata denuo consilium caedis suscipiat. Itaque jubet pueros abire. Nec vero tum illud ex animo potest prorsus ejicere, quod proles magnam laetitiam sibi per exsilium possit parare. Videt autem, propter Glaucae necem pueris quoque mortem imminere, videt meliorem iis manu matris, quam hostium superbia mortem conscisci. Quare, atrocitate facinoris aliquantum excusata, ex illis animi perturbationibus denuo pueros trucidandi consilium emergit.

Similiter Neophro curavit, ut formidolosum ingenium feminae nonnihil nobis comprobetur. Nam in ea fabulae parte, quae nobis relicta est, non solum detestabile scelus, quod perficere cogitet, sed id quoque, quod perdere in animo habeat, carissimum sibi esse fatetur. Quapropter aliquatenus a caedis consilio recedet. Nihilominus eodem rursus defertur, propterea quod neque ultionem perfidi mariti omittendam, et, ut differat eam, nihil, nisi ignaviam, in caussa esse arbitratur. Sed horrorem, qui ex occisione ipsi infunditur, ne sic quidem vincere potest. Quae cum ita sint, singulas orationis sententias, quas sermo Neophronis habet, copiose ita exposuit, ut omnem fabulae vim totumque ejus effectum videatur ad veram tragoediae indolem accommodasse. Quoniam enim tota hujus orationis vis in eo sita est, ut terribilis femina muliebrem quendam animum pietatemque liberorum natura insitam ostendat, quem in pueris occidendis non habet, aut plane occultat, diu-

1) Similiter similem rem descripsit Ovid. Metam. IV, 515.

turnam dubitationem ferocitati animi opponit, quo majorem efficiat misericordiam, quam tragoedia excitari necesse est. Quanto igitur copiosius pietatem liberorum quantoque amantius ostendit, tanto facilius ingenium moresque mulieris vereri possumus, ut misericordia tragoediae oriatur. Atqui haec tantum apud Neophronem fundit:

εἶεν· τί δράσεις, θυμέ; βούλευσαι καλῶς
πρὶν ἢ 'ξαμαρτεῖν καὶ τὰ προσφιλέστατα
ἔχθιστα θέσθαι;

Itaque pueros carissimos sibi esse contendit. Potestne vero breve hoc dictum dubitationes tollere, num verum ardentissimumque matris sensum significet, qui ex factis ejus nequaquam cognoscitur? Atqui id ipsum Euripides multo clarius extulit et fortius ac longe miserabilius expressit. Apud quem questa, quod neque felicitatem matrimonii iis parare queat, suamque in iis spem vitae simul interire et praesidium senectutis exstingui videat, vehementer deplorat 1036:

σφῶν γὰρ ἐστερημένη
λυπρὸν διάξω βίοτον ἀλγεινόν τ' ἐμοί.

Ac naturae perquam conveniens est, quod, ubi secum paullum cogitavit, quam atrox facinus perficere coepisset, adspectu puerorum ridentium, consilium caedis ex animo plane eximitur. Nam sensus tali modo perturbationem coërcet, quam nequit mens temperare 1079:

θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

At apud Neophronem voluntatem ita commutat, ut modo cogitet de sceleris magnitudine. Dolemus autem, quod, fine orationis, quam Neophro mulieri tribuit, deperdito, judicare non possumus, utrum iracundia tantum, an ea quoque ratio Medeam ad prolis occisionem compulerit, quod, filia Creontis caesa, desperabat, fore ut liberi possent servari.

Nunc tertius tragoediae locus sequitur, quo Medea, mulier diri ingenii, marito, ubi amiserit, quidquid habeat boni, funestum interitum divinat. Ait enim Scholiasta ad Eurip. Med. 1387: *οἱ μὲν λέγουσι κατὰ Μηδείας χόλον ἢ κέλευσιν ὑπὸ τῇ πρύμνῃ τῆς Ἀργοῦς καταδραθέντα τὸν Ἰάσονα τελευτῆσαι, ἐμπεσόντος αὐτῷ ξύλου. Νεόφρων ξενικώτως τὴν παράγραφον πρὸς αὐτὸν εἰποῦσαν·*

τέλος γὰρ αὐτεχθίστῳ μόρῳ φέρεις.

βροτὸν ἀγχόνης ἐπισπάσας ἔρῃ
τοῖά τε μοῖρα σῶν κακῶν ἔργων μένει.
διδάξεις τοὺς ἄλλους μυρίους ἐφημέρους
θεῶν ὕπερθε μή ποθ' αἱρεῖσθαι βρότους [1].

Haec exemplar Pauli Stephani habet, quod anno 1672 prelo subjectum est. Tentarunt vero locum valde corruptum Elmslejus, Hermannus ad edit. Elmsl. p. 402, Pflugkius ad h. l. Quae cum ita sint, verum esse apparet, quod e corruptis et obscuris locis cogimus, Euripidem exemplum Sicyonii in Medea sedulo secutum esse. Quod enim hic ex contrario illum imitatus non est, brevitas Neophronis indicat, cum oratio alterius sit multo locupletior. Nec solum totam compositionem singulasque personas ab eo, ut Aegei et Iasonis, sed omnem quoque sententiarum contextum sumpsit, etsi nonnulla mutavit, quo studium imitandi occultaret, vel rectius satisfaceret naturae poësis.

Quare in tanta fabularum similitudine quaeramus, quid sit in Medea, quae nobis relicta est, quod ab indole Euripidiae poësis videatur longius abesse; nam id demum Neophronis proprium est. Itaque prologus neque partem fabulae, ut in Sophoclis poësi, neque enarrationem argumenti continet, quod Euripides praemittit, sed omnem actionem, quasi fundamentum tragoediae comprehendit, cum partim res adversas, quae Medeae acciderint ejusque iram concitaverint, partim teterrimas rerum futurarum exponat praesensiones, quas ex illis exsistere necesse sit. Hinc enim non modo perfidiam mariti, quae Medeam ad studium ulciscendi et ad caedis consilium pepulit, sed voluntatem Creontis cognoscimus, qui mulierem, cum e terra sua ejiciendam constituat, vindictam cogit maturare. Dolores autem, qui Medeae animum cruciant, modo describuntur, modo ipsi audiuntur e postscenio. Tum nutrix, ut mulieres facile angi solent, utque nativus hominum sensus veritatem assequi-

1) Hermannus l. l. ita legit:
τέλος φθερεῖ γάρ, αὐτὸς αἰσχίστῳ μόρῳ,
βροχωτὸν ἀγχόνην ἐπισπάσας δέρῃ.
τοῖα σε μοῖρα σῶν κακῶν ἔργων μένει,
δίδαξις εἰς τοὺς μυρίους ἐφημέρους,
θεῶν ὕπερθε μήποτ' αἴρεσθαι βροτούς.

tur, metuit, ne domina, quam per longum consuetudinis tempus cognovit maxime irritabilem esse, terribili odio flagret idque in liberos convertat. Sed quare his ipsis metuit? Nimirum de iis sollicita est, quos praecipue in deliciis habet. Sed ubi audiit Medeam, gravissime vitam detestantem, tum sollicitudo abit in metum, ne iracundia denuo erumpat 105:

ἴτε νῦν, χωρεῖθ' ὡς τάχος εἴσω,
δῆλον δ' ἀρχῆς ἐξαιρόμενον
νέφος οἰμωγῆς, ὡς τάχ' ἀνάψει
μείζονι θυμῷ· τί ποτ' ἐργάσεται
μεγαλόσπλαγχνος, δυσκατάπαυστος
ψυχὴ δηχθεῖσα κακοῖσιν.

Tum pueros exsecratur; inde interitum eorum pertimescere coepit 115:

ἰώ μοί μοι, ἰὼ τλήμων.
τί δέ σοι παῖδες πατρὸς ἀμπλακίας
μετέχουσι; τί τοῦδ' ἔχθεις; οἴμοι
τέκνα, μή τι πάθηθ' ὡς ὑπεραλγῶ.

Quocirca novissimae quaeque res divinationem illam, vel metum maxime declarant, ut eventum summa animi intentione exspectemus. Itaque prologus, quantum recedit a Sophoclis poësi, tantum accedit ad Euripidis similitudinem.

Addentur nunc alia, quae ad argumenti explicationem pertinent. Itaque chorus, ubi lamentationem mulieris e longinquo audiit, misericordia in scenam adducitur ibique cum ex nutrice quaerit, quantis miseriis illa prematur, tum ipsa suis auribus Medeam iracundia furentem audit. Quare nutricem mittit, quae foras educat dominam, ut, solatio ex verbis ipsius hausto, mitigata iracundiam mittat. Tum prodit Medea. Quae ut voluntatem misericordiamque mulierum, quae in choro constiterunt, sibi conciliet, injurias ex illo contumeliarum genere sibi illatas queritur, quibus mariti plerumque uxores afficiant et optionem sese ulciscendi aperit, precibus adjectis, ne chorus aut studium, aut consilium vindictae prodat; is autem silentium promittit, dum vindictam mulieris justam appellat. Et cum hoc ipsum agat, ut homines cônsilii participes sibi conciliet, prudenter vehementissimas animi perturbationes dissimulat, quoniam magna in eo inest facilitas, ut, consilium vindictae persequens, quoscunque sensus dissimulet. Nec vero ejus con-

silii, quod cum his communicat, maturitas venit. Sed jam Creon ipse Medeam e terra excedere jubet, ne filium, aut generum laedat, quemadmodum minata fuerit. Quem cum callidissimis rationibus suppressa omni perturbatione ab hoc incepto nequidquam repellere studuerit, vix eo perducit, ut unum diem morandi concedat, minatus mortem, si, hoc tempore praeterlapso, fuerit deprehensa. In his rerum angustiis consilium aut omittat, aut celeriter perficiat necesse est. Quae vis externa opus est, ut ex desidioso dolore ad facinus propellatur, neve, tranquillitate animi, per quam praecepta fere mentis animum vincunt, recuperata, magnam scelerum copiam cumulet. In quo quidem invictum et ferox et pertinax miramur ingenium, quod ad tantas res in illis difficultatibus perficiendas necessarium esset. Neque enim res cautius circumspicere desinit, neque animo cadit, neque ullas ore querelas effundit, sed lege Creontis ad maturandam caedem tantum concitatur. Itaque nunc demum choro fatetur, sese Creonti, Iasoni, Glaucae venenum esse paraturam. Sed nescit, num perpetrata caede alicubi terrarum tuto vitam degere possit. Quare cunctandum rata, dum talem locum invenerit, etiamsi nullum asylum nacta fuerit, tamen se quovis pacto poenam esse expetituram jurat. Quo facto, chorus et injuriam, qua affecta sit, et miserias ejus graviter deplorat. Tum Iaso in conspectum venit. Is ut sese quodammodo excuset, Medeam, nisi propter suam ipsius temeritatem, expulsum non iri contendit eique omnes res in fuga necessarias libenter offert. Quem illa partim impudentiae arguit, quia conspectum sui, cum sit ab eo graviter laesa, non fugiat, partim ingrati animi, quod beneficia proditione compenset, partim perjurii propter fidem, nullo modo servatam. Dein miserabilem statum, in quo versetur, exponit. Ille vero beneficia, quotquot ab ea videatur accepisse, non tam Medeae ait, quam Amoris ac Veneris esse, cui invito illa animo fuerit obsecuta, beneficia adjungit, quibus auxerit eam, ad Graecos perductam, inter quos et justitia legesque vigeant et nomen ejus longe volitet lateque vagetur. Novum autem matrimonium sibi junctum, non quo aliam puellam ei anteposuerit ac plures liberos suscipiat, sed, ut majorem divitiarum copiam nactus, et liberos sua domo dignos educare et majorem laetitiam fortunamque ex iis percipere possit. Ubi haec et alia

his similia inter sese altercati sunt, denuo dona, quae Iaso offert, obstinate rejiciuntur. Tum vero chorus exoptat, ut non modo nimii amoris affectus, verum etiam exsilium atque inopia, tanquam mala, quibus maxime Medea prematur, quam longissime sibi remota sint. Quae quidem promissio, quemadmodum omnem dubitationem tollit, quae Medeam in studio vindictae paullum inhibeat, sic sermonibus, quos cum Iasone fecit, consilium ita mutatum est, ut ad finem hinc possit perduci. Nunc enim formidolosa mulier vindictam praeprimis in maritum intendendam eumque non ita laedendum esse intellexit, ut ipse occideret, sed, omnibus vitae bonis, quae plurimi faceret, quaeque perfidia, quam experta esset, parare sibi voluisset, aut perditis, aut omissis, cum et liberi interficerentur, in quibus laetissima spes senectutis esset reposita, et mors uxoris illi omnem spem prolis eripuisset, in lamentabili domus ruina posset sentire, quam infelicem exitum invenisset. Nam choro nequaquam Iasonem primum, sed aemulam, mox liberos a se occisum iri fatetur, cum nihil hoc genere cruciatus possit funestius cogitari. Tum autem ad caedem praeparandam partem chori dimittit, quae Iasonem arcessat. Chorus Atticam pulcherrimo cantu, tanquam regionem collaudat, in qua sapientia inierit foedus cum amore, quod fundamentum praeclarissimarum rerum esse soleat. Sed ambigit idem, num mulier, prole occisa, huc possit confugere, precesque addit, ut a terribili incepto desistat. Nunc lamentabilis caedes peragi incipit, cujus rationem cum callidissime inventam et excogitatam, tum ad veritatis similitudinem expressam videmus. Nam primum Glaucam, quae maximo sibi post Iasonem odio est, perire necesse est, ut hac caede cogatur suos ipsius liberos interficere, cum id quominus faciat, muliebris animus impediat. Quare haec caedes alteram sequitur. Sed fieri non posse videtur, ut Medea, gravissimo metu et Creonti et omni regis familiae injecto omniumque oculis in se conversis, Glaucam aut fraude, aut vi interficiat. Quare eam veneno, quod in dono condiderit, statuit trucidare. Nonne vero quodlibet donum ab inimica, quae fuit hucusque, repudietur omnino necesse est? Quare cum haec ita se habeant, proinde ac si plane placata sit, tale doni consilium debet simulare, quale tam filiae regis acceptum, quam suis, quos hucusque habuit, moribus quodammodo con-

veniens videatur. Quid igitur vel Iasoni, vel Glaucae potest acceptius esse, quam si Medea puerorum amorem significat petendo, ne in exsilium ejiciantur? Quo concesso, mater placatum iri videtur, cum nihil hoc voto potius habeat. Sed Glauca fortasse partim Medeae, partim puerorum, quos maritus ex alia eaque barbara uxore genuit, odio dubitarit intercedere, quominus pater voluntatem aliqua ex parte commutet. Quas quidem partes Iaso suscipiat oportet, propterea quod non solum Medeam puerosque diligit, sed magnam vim habet in alteram uxorem. Is igitur prodit. Tum mulier, perturbationibus animi prudenter suppressis, quasi placata novum matrimonium comprobet, et curis eum solvere, et sollicitum de liberis facere studet. Dein petit, ut per uxorem adducat Creontem, ne liberi in exsilium ejiciantur. Quod quo facilius perficiat, se artificiosum ei donum missuram esse promittit. His dolis Iaso facile decipitur. Itaque chorus plane non dubitans, quin ad finem hinc atrox consilium perducatur, infortunium Iasonis et Medeae deplorat. Et res ita eveniunt, quemadmodum metuit. Nam ubi paedagogus et donum acceptum et remissum liberis exsilium nuntiat, gravissimo dolore Medea opprimitur. Tum enim amor matris contra studium vindictae coepit pugnare, ut supra descripsimus. Chorus et miserias et labores exponit, quos in liberis educandis parentes sustineant. Tum nutrix quaedam de morte Glaucae et regis refert. Quo facto, Medea haud ultra puerorum caedem sibi differendam esse arbitratur. Chorus deos invocat, ut adjuvent Medeam, priusquam caedem perficere aggrediatur. Audimus e postscenio clamorem puerorum, in quos pugio stringitur. Quos ut conservet, chorus abit; mox autem revertitur idque summo exponit animi moerore, quod in aedibus conspexerit. Tum Iaso, cum liberos, quos ab interitu vindicatum venit, occidisse acceperit, dolore captus Medeam dirissimis verbis exsecratur. Quae curru alitum anguium, ut dicto Pacuvii utar, super tectum invehens, pueros habet ad pedes prostratos. Nec Iasoni permittit, ut sepeliendis iis vel officio satisfaciat, vel solatium aliquod accipiat animi, aliquando fore divinans, ut acerbum matrimonii exitum conspicatus ruina Argus opprimatur. Mox vero, dum Iaso vehementissimum dolorem gravissimis verbis exprimit, quae et praesentes et futuras ejus molestias signifi-

eant, terribilis mulier decedit. Sed chorus a diis multa eaque praeter hominum opinionem perfici monet.

Quare poëta compositionem instituit, ut neque ipsa argumenti indole quidquam perficere, neque externa et adventicia consilia sequi, neque singulas fabulae partes, quae inprimis ipsi placebant, singulari studio videatur propriisque artibus exornasse. Neque ingenia cum describuntur, ex omni parte descripta sunt, ut, quanquam alia satis exornata sunt, quae ad primarium fabulae consilium pertinent, alia silentio praetermittantur, quae cum iis arctissime conjuncta fuerunt. Atque simplex est compositio, ut rationem Sophoclis agnoscas, quanquam vinculum ejus nequaquam interrumpitur.

Est duplex chori officium. Is enim non solum res, quas peragi videt, ad moralia praecepta revocat, de infortunio infelicium personarum querens, sed intima familiaritate cum Medea conjungitur. Namque animus Medeae adeo irritabilis est, ut, cum neque consilio, neque auxilio aliorum egeat, tamen eas res, quae mentem animumque ejus occupant, communicet cum aliis necesse sit. Quod nisi faceret, gravissimas partes actionis plane ignoraremus. In quo quidem cum parum sollicitudinis habeat, minas, quarum poenam Creon exigit, imprudenter jactat, regiamque post scenam domum clara voce exsecratur, seu nimio vigore abrepta, seu magna calliditate sperat magicisque artibus confisa se maximis implicitam damnis facilius iri solutum.

Quem vero peregrina mulier eademque tam relicta, quam perosa consilii potest participem facere? Num forte nutricem, quae liberos quaeque matrem in deliciis habet? At haec certe caedem impediet, dummodo eam norit. An paedagogum? Is autem cum Medeam non magis, quam dominum diligit, tum parum sentit, quam gravem injuriam perpessa muliercula sit. Quamobrem Corinthias mulieres ita sibi conciliare studet, ut hoc genus aerumnarum cum omnibus mulierculis sibi commune esse dicat, quoniam a viris cunctae saepenumero laedi consueverint. Hae vero, comprobato vindictae consilio, earum rerum, quae secum communicatae fuerint, nihil vulgatum iri promittunt. Cui quantam fidem habeat, optime indicant verba 823:

λέξῃς δὲ μηδὲν τῶν ἐμοὶ δεδογμένων,
εἴπερ φρονεῖς εὖ δεσπόταις, γυνή τ' ἔφυς.

Nihilominus a terribili incepto eam arcere studet, dum modo hortatur, modo admonet, modo enixe precatur, modo deos implorat, modo praesens ei studet resistere. Itaque otiosa videtur Harduini dubitatio, quare nefarium consilium non prodat. Rem enim, cujus debet conscius esse, ne irrita fiat, occultet necesse est. Nec vero haec ratio officit veritatis similitudini.

Sunt autem tales personae, ut supra diximus, quae magis ad singulas morum virtutumque notiones, quales mente definimus, quam ad vitae similitudinem illasque hominum species effictae videantur, quas optimi quique poëtae et animo tenere et, ut vivas, fabulis repraesentare solent. Nam ita singulae personae loquuntur itaque agunt, ut, cum partes, quas in tragoediae compositione sustinent, nequaquam perturbent, imaginem sui, quam poëta concepit animo, ob oculos nobis nequeant revocare. Namque Medeae, velut irritabilis, callidae, iracundae mulieris notionem potius, quam imaginem descripsit. Item Iasonis tranquillum, prudens, placabile ingenium agnoscimus. Creon distincte ac dure, ut tyrannus, loquitur. Nutrix et prudentiam habet et amorem familiae, ejusque miserias summo moerore prosequitur, quemadmodum feminae, quotquot in certo servitio consenuerunt. Nihilomagis orationes horum omnium ita intelligimus, ut species poëtae, e quibus manarunt, effingere nobis in animo liceat. Neque igitur haec tacita debet poësis Sophoclis nominari, quae animum spectatoris accendat, sed acutis dictionibus ad Euripidis modum referta, ut acumen mentis exerceat. Id autem ars rhetorum, aut sophistarum effecit, ut sermones ab Iasone et Medea habiti magnam similitudinem cum accusationibus et defensionibus habeant.

Nec machina, qua Medeam Euripides poenam fecit evitare, Neophro usus non est; alioquin enim, caede perpetrata, mulier Iasonem neque alloqui, neque a liberorum sepultura probibere, neque ea, quae in posterum experturus esset, docere potuisset.

Sed in viginti quatuor versibus, qui restant, nonnulla exempla rarioris dictionis reperiuntur; quanquam alia explicatu difficiliora interpretes dudum sustulerunt. Quo partim pertinent, quae rariore sensu sunt dicta, ut λύσις de aenigmatis explicatione, ἐξαΐσσειν de iis qui magna animi perturbatione capti aliquid agunt, δέδυκε de cupiditate, quae aliquem invadit. Ex rariore usu poëtarum habet ἤλυθον pro ἦλθον,

Schol. ad Med. 666, *μαλθακός*, Stob. Serm. l. l., pro *μαλακός*, Pind. Ol. II, 162; *χέρας* pro *χεῖρας*, quanquam hoc Euripidi frequentissimum est, Elmslej. ad Eurip. Med. p. 95, Porso ad Eurip. Hec. 667, Orest. 1046, 1412, formamque medii in *μεσθα* desinentis, quam Brunckius necessitate metri apud Stobaeum aliquoties restituit.

Nicomachus. Hunc Atheniensem, poëtam tragicum, a Theognide pariter atque Euripide victoriam reportasse et Suidas et Eudocia testantur. Nam ille s. v. *Νικόμαχος, Ἀθηναῖος τραγικὸς, ὃς Εὐριπίδην παραδόξως καὶ Θέογνιν ἐνίκησε. τῶν δραμάτων ἐστὶν αὐτοῦ Οἰδίπους.* Quae quidem Eudocia p. 310 ad verbum transscripsit. Non dubito, quin haec narratio e didascaliis ducta sit, propterea quod hic vulgarem illam ternorum poëtarum mentionem invenimus, quae, cum in tali monumentorum genere frequens fuerit, vix alio modo nobis potuit servari. Quocirca Meinekius erravit, qui hunc Nicomachum non Atheniensem, sed Alexandrinum fuisse censet, cujus mentionem copiose Suidas s. v. fecerit, Hist. Crit. p. 498. Nam cum Alexandria Troas ab Alexandro demum vere condita fuerit, quis est, qui civem ejus aemulum habeat Euripidis [1])? Hunc vero, cum Euripide contendisse constat. Objecerit fortasse quispiam, Nicomacho Alexandrino adversus hominem, fabulas Euripidis pridem mortui docentem, certamen fuisse victoriamque obtigisse. Sed is Theognide quoque, altero aemulo, aetate junior fuit, ut infra docebimus. Quae cum ita sint, sententiam Meinekii facile rejicimus, etiamsi speciosis illam probatam rationibus, quas ex Comment. Miscell. I. p. 7 nobis non cognitas singulatim refellere non potuimus. Welckerus autem in istius sententia perstitit, Trag. Gr. p. 1014; neque Bernhardius vidit, quare Alexandrinum ab Atheniensi discerni oporteret. Contra Suidae Lil. Gyraldus de Poët. Hist. p. 274 et Vossius p. 36 fidem habuerunt, quorum hic eo tantum nomine vituperandus est, quod praeter Euripidem modo Sophoclem ab hoc devictum refert, modo Theognidem.

Nothippus. Hunc duo comici propter incredibilem *ὀψοφαγίαν* reprehenderunt, unus Teleclides, aequalis acerrimusque

1) Strabo XIII, 1. Plin. Nat. Hist. V, 30.

adversarius Periclis, Plutarch. Pericl. 3, 16, alter Hermippus, qui in Moeris, quae Ol. 87, 1 doctae sunt; Meinek. Hist. Crit. p. 91, a Nothippo totam Peloponnesum devorari posse affirmat. Nam Athenaeus VIII. p. 344 C: Νόθιππον δὲ τὸν τραγῳδιοποιὸν, ὃν Ἕρμιππος ἐν ταῖς Μοίραις φησίν·

Εἰ δ' ἦν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων τῶν νῦν τοιόνδε μάχεσθαι
Καὶ βάτις αὐτῶν ἡγεῖτ' ὀπτὴ μεγάλη καὶ πλευρὸν ὕειον,
Τοὺς μὲν ἄρ' ἄλλους οἰκουρεῖν χρῆν, πέμπειν δὲ Νόθιππον
ἕν' ὄντα,
Εἷς γὰρ, μόνος ὢν, κατεβρόχθισεν ἂν τὴν Πελοπόννησον
ἅπασαν.

Ὅτι δὲ οὗτος ἦν ὁ ποιητὴς, σαφῶς παρίστησι Τηλεκλείδης ἐν Ἡσιόδοις. Pro ἑκόντα, quod in tertio versu legitur, Porson Praefat. ad Eurip. Hecub. p. XIX optime ἕν' ὄντα restituit, quod cum Meinekio Fragm. Poet. Com. Gr. P. I. p. 399 probamus. Unde Vossius de Poët. Gr. p. 93 aetatem hujus, quam ignorabat, facile cogere potuit.

Plato, divinus ille philosophus, cum alia poëmata, tum tragoedias condidisse fertur, priusquam in familiaritatem Socratis pervenit. Qui ubi aliquamdiu audiit magistrum, quanquam in eo erat, ut fabulas antea scriptas in scenam deferret, tamen non modo tetralogiam, quam histrionibus discendam tradiderat, receptam flammis combussit, sed studium poësis in posterum negligere decrevit. Aelian. Var. Hist. II, 30: ἐπέθετο τραγῳδίᾳ καὶ δὴ καὶ τετραλογίαν εἰργάσατο καὶ ἔμελλεν ἀγωνιεῖσθαι, δοὺς ἤδη τοῖς ὑποκριταῖς τὰ ποιήματα. Eandem rem copiosius Diogenes L. III, 8 narrat: ἔπειτα μέντοι μέλλων ἀγωνιεῖσθαι τραγῳδίᾳ πρὸ Ὀλυμπιακοῦ θεάτρου Σωκράτους ἀκούσας, κατέφλεξε τὰ ποιήματα, εἰπών·

Ἥφαιστε πρόμολ' ὧδε Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει.

In quo discrepantia locutionis praetereunda non est, cum Aelianus et Diogenes τετραλογίαν negligenter τραγῳδίαν vocent, quasi non plures tragoedias fecerit, in uno certamine docendas, quae interna compositionis ratione, vel vinculo essent copulatae. Similiter in veterum scriptis alia non satis accurate sunt dicta. Nam Plato de Agathone, qui procul dubio quaternas fabulas dedit, Sympos. p. 173 A: ὅτε τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ ἐνίκησεν Ἀγάθων. Qui locus a nonnullis perperam acceptus est. Welcker. Trag. Gr. p. 988. Itaque narratio

Olympiodori in Vit. Platon. praestat: ἐποίησε δὲ καὶ τραγικὰ ποιήματα καὶ διθυραμβικὰ καὶ ἄλλα τινά, ἅπερ πάντα κατέκαυσε, τῆς Σωκράτους πειραθεὶς διατριβῆς. Et Aeliano, tametsi solus memoriam hujus rei sustinet, cum aliis de caussis, tum eo maxime fidem habeamus, quod in adornandis sermonibus eodem formae genere usus est, cum in fabulis ea dudum valere desiisset. Namque Thrasyllus ap. Diogenem Laërt. III, 56: Θράσυλλος δέ φησι καὶ κατὰ τὴν τραγικὴν τετραλογίαν ἐκδοῦναι αὐτὸν τοὺς διαλόγους. Cf. Schleiermacher Platon. I, 23. Idem poësis studium Appulejus de Habitud. Doctr. p. 2 commemorat. Vide Menag. ad Diogen. Laërt. l. l. Jons. de Script. Hist. Phil. I, 16. Casaubon. de Sat. Roman. Poës. l, 5., Welcker. Trilog. p. 527, eund. Trag. Gr. p. 894. Quid autem vir omnium maxime admirabilis, quem nemo ingeniis moribusque ad veritatem vitaeque similitudinem exprimendis, nemo excelsa ac tenera indole poëtica vicit, nemo subtili ac splendida dicendi arte superavit, quique ipsa vitae sanctitate praeprimis fuit conspicuus, in tragica poësi efficere potuisset, si omnem operam ei omnesque vires, quam juveniles ludos tribuere maluisset [1])!

Polyidus. Nomen poëtae, de quo nunc dicere ingredimur, etsi aliis in libris aliter scriptum, editores nuper com-

---

1) Audiamus Wyttenbachium ita de Platonis Phaedone disputantem: Praefat. p. VI etc. ed. Lips.: „Nam sive argumentum (Platonis) spectamus, ecquod majus graviusque esse potest, ecquod humanum animum aut propius attingere, aut vehementius sollicitare, quam cogitatio de futura sui post hanc vitam conditione et immortalitate? Sive colloquentium personas, tempus, locum intuemur: Socrates, philosophiae parens, ad mortem condemnatus, ultimo vitae die in carcere cum amicis et discipulis solita comitate ac mentis tranquillitate de hoc argumento sic disserit, non ut ad mortem, sed ad beatam vitam cum diis immortalibus degendam se abire demonstret. Sive caeteras tanquam dramatis partes consideramus, omnes hae partes, actiones, sermones, initium, progressus, exitus eam habent rerum ac dispositionis veritatem, quae legentium animos incredibiliter capiat, teneat et vario deinceps affectu verset, sollicitudinis, commiserationis, admirationis, benevolentiae atque in rem praesentem ipsumque in locum auferat, ubi ipsi in carcere Socratem et loquentem audire et morientem videre videantur, ut hic dialogus non modo justae tragoediae numerum obtineat, sed omni quamvis flebili tragoedia efficacior sit ad communicationem affectus ac doloris etc.

muni consensu *Πολύειδος* exararunt. Vide Sebastian. in Tzetz. Commentar. ad Lycophr. Cassandr. 879. Valckenarium et Wesseling. ad Diodor. XIV. p. 272. Hermannum, Bekkerum, Ritterum ap. Aristot. Poët. 16, 4. In quo fidem librorum secuti sunt, quae testimonio scholiastae cujusdam probatur. Namque nomen cum Corinthio vate, Cic. de Divinat. I, 40, de Legg. II, 13, et filio Cranai, Hygin. Fab. 136, Apollodor. III, 3, 2, commune habuit. Atqui Sophoclem ferunt in fabula, quam a vate nominavit, non *Πολύειδος*, sed *Πολύϊδος* scripsisse, ut colligas, id nomen, cum exemplis grammatici confirment, a Sophocle primo novatum fuisse, cum vulgaris ejus forma antea fuisset *Πολύειδος*. Etym. Paris. Reg. ap. Valcken. Diatrib. p. 200: *Πολύϊδος. οὕτω καὶ Ἀπολλώνιος, ὁ τοῦ Ἀρχιβίου. καί ἐστι, φησὶ, πολυίδμων μάντις ὤν. οὕτω δὲ καὶ τὸ δρᾶμα ἐπιγράφεται παρὰ Ἀριστοφάνει· μαρτυρεῖ δὲ Φιλόξενος. Καὶ Σοφοκλῆς δὲ Μάντεσι συνέστειλεν·*

Ὁρῶ πρὸ χειρῶν Πολυίδου τοῦ μάντεως.

καὶ πάλιν·

Οὐκ ἔστιν εἰ μὴ Πολυΐδῳ τῷ κοιράνῳ.

Quanquam miramur, quod de Aristophanis usu grammaticus addit. Nam omnibus locis, quos quidem mihi inspicere licuit, ut ap. Suid. s. v. *ἀνάριστος ἔρημος* (ed. Aldin.), Jul. Polluc. X, 9, IX p. 472, 499 ed. Basil., Etym. Magn. s. v. *Θησείοτριψ*, comoedia ejus *Πολύειδος* constanter inscribitur, eamque nominis formam alteri recte Coddaeus in Fragment. Collect. praetulit, quae edit. Aristoph. Lugdun. Batav. ann. 1624 subjecta est. Quocirca Valckenarius bene suspicatur, Euripidem in fabula Polyidi nomen auguris usitato more *Πολύειδος* scripsisse. At si non solum Aristophanes, sed etiam Euripides formam delegisset, quam Sophocles mutaverat, tamen dubitarem, quin ea vulgari linguae usu valere, aut in hominum, ut poëtae, nominibus protenus increbescere potuisset. Quotiescunque enim vocabula usu mutantur, saepenumero accidit, ut nomina veterum hominum, quibus illa vel paria sunt, vel similia, eodem modo commutentur; sed nunquam recentiora ad mutationem antiqui nominis accommodari solent. Quare quod Aldus *Πολύϊδος* ap. Suidam s. v. *Πολύειδος* et Etym. Magn. s. v. scripsit, neque olim usitatum, neque Sophocle auctore

novatum, nec prius, opinor, admissum est, quam vocalis ι in locum diphthongi ει communi linguae usu successit. Sed magis etiam lectio ap. Phot. Lex. Πολυείδης rejicienda videtur, etsi ap. Etym. Paris. exstat, quem supra citavimus.

Polyidum, poëtam dithyrambicum, qui quidem et animalia pingendi et musica arte insignis fuit, cum aliis poëtis dithyrambicis Diodorus, XIV. p. 273, Ol. 95, 3 floruisse tradit: ἤκμασαν δὲ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν οἱ ἐπισημότατοι διθυραμβοποιοὶ Φιλόξενος Κυθήριος, Τιμόθεος Μιλήσιος, Τελέστης Σελινούντιος, Πολύειδος, ὃς καὶ ζωγραφικῆς καὶ μουσικῆς εἶχεν ἐμπειρίαν. Nimirum haec hausit e publicis tabulis, in quibus hic annus vel certamen, vel victoriam eorum declarabat. Quare quod ipsum aetatis artisque florem omnium ad eundem retulit annum, accurata temporis ratio exspectanda non est. Poëtas hoc genere praestantissimos nominat (ἐπισημότατοι διθυραμβοποιοί). Quis est, autem, qui nomen Timothei ignoret, per omnem Graeciam maxime celebratum [1])? Telestes vero Ol. 94, 3 victoriam Athenis reportasse fertur. Legimus enim in Marm. Par. Ep. 66: Ἀφ' οὗ Τελέστης Σελ(ινούντιος) ἐ)νίκησεν Ἀθήνησιν ἔτη ΗΔΔΔΠΙΙΙΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Μίκωνος. Sed quam illustris olim et Philoxeni et Telestis gloria fuerit, Plutarchus indicat, qui Harpalum Alexandro praeter tragoedias principum librosque Philisti dithyrambos quoque Philoxeni et Telestis in Asiam misisse narrat. Ex quo gloria Polyidi intelligitur, quoniam cum illis conjunctus est, tametsi nomen ejus videtur paullo obscurius fuisse [2]).

Ac duobus locis Aristoteles mentionem Polyidi fecit, qui fabulam Iphigeniae exornarit. Quod argumentum quanquam dithyrambo subjicere potuit, tamen sive rationem sententiarum, quae ad tragicos tantum poëtas spectant, sive vim hujus exempli, quo docere voluit, quomodo tragicus fortuitam agnitionem instituere posset, seu hoc ipsum denique spectamus, quod hac in re Euripidi opponitur, nequaquam dubitandum est, quin tragicum poëtam intelligere voluerit philosophus. Addo, quod

---

1) Vide Müller. Hist. Lit. T. II. p. 286.

2) Est decretum Cretensium, quo Menecles Tejus laudatur, quod saepenumero Cnossi ad Timothei et Polyidi aliorumque poëtarum modos cithara cecinerit. Vide Müller. l. l. p. 287. not. 4.

agnitio, qualem informasse dicitur, in tragoedia tantum fieri potuit. Quare si Aristoteles eundem intellexit, cujus aetatem indicat Diodorus, Polyidus utrumque poësis genus et tragicum et dithyrambicum coluit. Neque alium alio loco memorari praeter Wesselingium ad Diodor. l. l. Meinekius Hist. Crit. p. 239 sumpsit. Quod cum ita certum non sit, ut argumentis illustribus confirmetur, utque Ritterus nec probare, neque rejicere voluerit, tamen multis de caussis ad sententiam eorum accedimus. Id enim si secus esset, fortunam tragici poëtae miraremur, cujus memoriam solus reliquisset Aristoteles, qui exemplis nobilissimorum quorumque uti consuevit. Sed Polyidus Diodori, quoniam dithyrambis conspicuus fuit, dignus certe, quem philosophus commemoraret. Quod in utroque poësis genere versatus est, res neque illo tempore nova, aut singularis, neque hoc in homine parum credibilis fuit, cum aliis idem artibus tempus tribuerit. Nec philosophus poëtam, cujus tragoediam laudaret, non potuit dithyrambicum appellare. Opposuerit fortasse quispiam nomen sophistae. Nec vero oratio ad sophistam pertinet, sed de tragico poëta agitur, qui quidem in sophistarum artibus, quibus tum cuncti fere homines se dederant, facile poterat exercitatus esse. Sed ego prorsus nescio, quo sensu Graefenhanius inde nomen sophistae ductum esse contenderit, quod res in aliorum poëmatis implicatas atque difficiles interpretatus fuisset.

Sed tragoedia hujus praeter Iphigeniam nota non est. In qua Orestem ita induxerat, ut sororem agnosceret, cum jam in eo esset, ut ab illa immolaretur; nam fratrem, quem mactare ingreditur, extemplo agnoscit, quia fortunam suam cum morte sororis comparabat. Aristot. Poët. 16: *καὶ ἡ Πολυείδου τοῦ σοφιστοῦ περὶ τῆς Ἰφιγενείας· εἰκὸς γὰρ τὸν Ὀρέστην συλλογίσασθαι, ὅτι ἥ τ' ἀδελφὴ ἐτύθη καὶ αὐτῷ συμβαίνει θύεσθαι.* ibid. 17: *ἐλθὼν δὲ καὶ ληφθεὶς θύεσθαι μέλλων ἀνεγνώρισεν εἴθ' ὡς Εὐριπίδης, εἴθ' ὡς Πολύειδος ἐποίησεν, κατὰ τὸ εἰκὸς εἰπών, ὅτι οὐκ ἄρα μόνον τὴν ἀδελφήν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἔδει τυθῆναι· καὶ ἐντεῦθεν ἡ σωτηρία.* Quod quidem ad animos hominum commovendos Polyidum multo simplicius aptiusque instituisse, quam Euripidem in simili fabula, Gruppius Ariadn. p. 576 censet. Enimvero artificium Polyidi tali modo nequaquam descriptum est. Nam discrimine

rerum ad id temporis momentum distrahendo non solum animos spectatorum diutius attendit, sed effecit quoque, ut Orestes vehementissimas perturbationes animi vultu significaret, quales metus instantis mortis plerumque injicere solet.

Item quo accuratius cognoscamus rationem, qua poëta commutavit fabulas, verba Tzetzis ad Lycophr. Cassand. 879 in medium afferamus: *Πολύειδος δὲ ὁ διθυραμβοποιὸς τὸν Ἄτλαντα τοῦτον ποιμένα Λίβυν φησὶν οὐ μαθηματικόν. τούτου καὶ τοῦ Ἄτλαντος υἱὸς ἦν ὁ Ἕσπερος κατὰ τοὺς λοιπούς, οὐ κατὰ τὸν Πολύειδον.* Hinc Etymol. Magn. s. v. *Ἄτλας, ὄρος Λιβύης. Πολύϊδος δὲ ὁ διθυραμβοποιὸς παρίστησιν, αὐτὸν ποιμένα γεγονέναι, καὶ φησὶν, ὅτι παραγενόμενος ὁ Περσεὺς ἐπερωτώμενός τε ὑπ' αὐτοῦ, τίς εἴη καὶ πόθεν ἀφῖκτο; ἐπειδὴ λέγων οὐκ ἔπειθεν ἀνάγκῃ, ἔδειξεν αὐτῷ τὸ τῆς Γοργόνος πρόσωπον καὶ ἀπελίθωσεν αὐτόν. καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὸ ὄρος Ἄτλας ἐκλήθη. Οὕτω Λυκόφρονος ἐν ὑπομνήμασιν.* Unde Gyraldus, de Poët. Hist. Dialog. p. 350, narrationem Ovidii Metam. IV, 630 etc. de Atlante in lapidem converso manasse censet. E quibus cognoscitur, quanta quidem licentia fabulas Polyidus, ut e sua omnino sententia explicaret, interpretatus fuerit, vel mutaverit, sophistarum imitatus rationem. Unde nomen sophistae accepit. Quodsi autem multas tragoedias scripsisset, in summo hujus poësis honore, non tam tragicus, quam dithyrambicus poëta fuisset nuncupandus. Photius Biblioth. p. 195 Polyidum in scriptores retulit, quos Stobaeus adornando Florilegio adhibuerit. Sed loci, quotquot Polyidi esse videntur, e cognomini Euripidis fabula deprompti sunt. Valcken. Diatr. p. 18.

Pythangelus. Hunc ut contemptum abjectumque poëtam Aristophanes vexat. Apud quem cum Hercules Dionysum de afflicto tragoediae statu, de iisque hominibus quaerat, qui frustra eam sustinere conentur, post vilissimos demum poëtas inculcatur nomen Pythangeli, quasi mentio ejus omnino fieri non possit, nisi mediocres quoque homines cessent. Ran. 87. Neque eum Dionysus dignum existimat, cujus vitia, vel laudes pluribus attingat. Accedit indignatio servi, quod illi, se onus ferente, gravissimum ineptiis tempus vacuisque sermonibus perdant. Et si contextum paullo accuratius contemplamur, illi gregi nebulonum annumeratur, a quibus summam perniciem

arti parari Hercules ait. Pergit enim, querelis Xanthiae interpellatus, v. 89:

οὔκουν ἕτερ' ἔστ' ἐνταῦθα μειρακύλλια
τραγῳδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μύρια
Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα.

Sed nullius momenti sunt, quae Scholiasta sibi videtur finxisse: τραγῳδίας ποιητὴς μοχθηρὸς καὶ ἄσημος. Vix autem intelligas, unde haec Vossius p. 95 hauserit: „*Pythangelus, tragicus poëta grammaticis memoratus, sed flagitiosis moribus, quam carmine notior*".

Sthenelus. Hunc aequalem sibi Aristophanes primum in Gerytade, Schol. ad Aristoph. Vesp. 1303, deinde in Vespis l. l. Ol. 82, 2 irrisit. Et Plato comicus, qui fabulas circa Ol. 88 docere coepit, Cyrill. adv. Julian. I. p. 13 B, in Laconibus eundem maledictis exagitavit. Harpocrat. s. v. Σθένελος. Praeterea a Lysia laudatus est, cum is Thuriis, quo puer erat profectus, Athenas Ol. 92, 1 rediisset. Quanquam in recentioribus Aristophanis fabulis, quae multifariam eum laudandi locum habebant, nusquam commemoratur, ut colligas, eum circa tempus, quo Ranae sunt doctae, id est Ol. 93, 3 obiisse. Vossius eum Ol. 93, 4 adscripsit, quod aequalis Lysiae fuerit. de Poët. Gr. p. 42.

Dubitari non potest, quin scriptor tragoediarum fuerit. Hoc enim nomine cum in didascaliis, Harpocrat. l. l.: καὶ ἐν ταῖς διδασκαλίαις εὑρίσκεται ὁ Σθένελος, τραγῳδίας ποιητής, tum a multis laudatus est antiquis scriptoribus, ut Athen. IX. p. 367. Harpocrat. s. v. Phot. Lex. p. 510. Quare vel negligentia, vel error Scholiastae vehementer vituperari debet, qui ad Vesp. 1303. Sthenelum tragicum histrionem appellat: Σθένελος δὲ ὁ τραγικὸς ὑποκριτής, ὃς διὰ πενίαν τὴν τραγικὴν σκευὴν ἀπέδετο, κακῶς πράττων. Et duplex est modus, quo hic error potest explicari. Nam sive antiqua praesidia praeter Athenaeum nulla ad manus habuit, hominem, qualem comicus deridet, id est, apparatu scenico instructum sibi finxit, non reputans, locum, etiamsi haec accurate premantur, in poëtam aeque atque histrionem convenire; sive veteres grammaticorum commentarios nactus, cum Sthenelum novo loquendi usu vocari τραγῳδὸν vidisset idque vocabulum proprio ac primario sensu accepisset, eo facilius τραγικὸς ὑποκριτὴς vertit, cum

ea vocis potestas hoc loco plane sufficeret. Quanquam Flor. Christianus ad Aristoph. l. l. errorem non coarguit. Aristophanes vero paupertatem ejus leviter deridet, inducens quendam, qui egenum Lysistratum comparet cum Sthenelo, qui scenicum apparatum vendiderit. Nam ita Xanthias loquitur, Vesp. 1311:

ὁ δ' ἀνακραγὼν ἀντῄκασ' αὐτὸν πάρνοπι
τὰ θρία τοῦ τρίβωνος ἀποβεβληκότι
Σθενέλῳ τὰ σκευάρια διακεκαρμένῳ.

Quem leporem ita scholiasta explicavit, quemadmodum supra docuimus. Idem ab Aristotele velut poëta commemoratur, qui humile genus dicendi sequens, cum propriam vocabulorum vim ubique servaverit neque dignitatem fuerit, neque sublimitatem orationis assecutus. Poët. 22: λέξεως δὲ ἀρετὴ σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι. σαφεστάτη μὲν οὖν ἐστιν ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων, ἀλλὰ ταπεινή. παράδειγμα δὲ ἡ Κλεοφῶντος ποίησις καὶ ἡ Σθενέλου. Quare non condita, sed arida poësis indoles fuit, quam Aristophanes in Gerytáde explosit, quaerens, quomodo verba Stheneli sibi degustanda essent, utrum sale, an aceto tincta. Hos enim versus Scholiasta citavit l. l. περὶ τούτου γέγραπται ἐν Γηρυτάδῃ·

Καὶ πῶς ἐγὼ Σθενέλου φάγοιμ' ἂν ῥήματα
Εἰς ὄξος ἐμβαπτόμενος ἢ ξηροὺς ἅλας [1]).

Quae ad hunc ipsum spectare, Athenaeus docet IX. p. 367: ἁλῶν δὲ καὶ ὄξους μέμνηται ὁ καλὸς Ἀριστοφάνης ἐν τοῖς περὶ Σθενέλου τοῦ τραγικοῦ λέγων. Eidem Plato exprobravit, quod ex fabulis aliorum nonnulla in suum usum vertisset. Harpocrat. s. v. Σθένελος ἐκωμῳδει δὲ αὐτὸν ὁ τοὺς Πλάτωνος Λάκωνας γράψας, ὡς τἀλλότρια ἐπισφετεριζόμενον. Phot. Lex. p. 510: ἐκωμῳδεῖτο δὲ, ὡς τὰ ἀλλότρια σφετεριζόμενος. Unus tandem Stheneli versus ap. Athenaeum X. p. 428 legitur:

οἶνος καὶ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνας ἀναβάλλει.

Unde cum neque usus hexametri, neque productio vocabuli

---

1) Cicero Brut. 82 de Calvi eloquentia memorat: „Itaque ejus oratio nimia religione attenuata doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur". Quod equidem longe aliter explicarim, ac Schutzius interpretatus est.

φρονέοντας conveniat tragoediae, suspiceris, Stheneli praeter tragoedias alia carmina fuisse.

Theognis. In Aristophanis Acharnensibus, cum alias res perquam incommodas sibi, tum illud nuper accidisse Dicaeopolis queritur, quod, cum Aeschyli fabulam vehementer exspectaret, Theognis chorum in scenam introduceret 9:

ἀλλ' ὠδυνήθην ἕτερον αὖ τραγῳδικόν,
ὅτε δὴ 'κεχήνη προσδοκῶν τὸν Αἰσχύλον,
ὁ δ' ἀνεῖπεν· εἴσαγ', ὦ Θέογνι, τὸν χορόν.

Quae Scholiasta sic interpretatus est: Θέογνις δὲ οὗτος, τραγῳδίας ποιητὴς πάνυ ψυχρὸς, ἐκ τῶν τριάκοντα, ὃς καὶ Χίων ἐλέγετο. Itaque Theognis, qui unus e triginta tyrannorum numero fuit, Xenoph. Hellen. II, 3, Harpocrat. s. v. Θέογνις. Λυσίας ἐν τῷ κατ' Ἐρατοσθένους. οὗτος εἷς ἦν τῶν παρ' Ἀθηναίοις τριάκοντα τυράννων, καθά φασιν ἄλλοι τε καὶ Ξενοφῶν ἐν δευτέρῳ Ἑλληνικῶν, tragoedias fecit. Sed testimonia vetustatis paullo copiosius proposuimus, ut conjecturam Mausacci, quae Suidae verba correxit (Mausacc. Not. ad Harpocrat. l. l.), tametsi aliis probatam, confirmaremus aliquo modo. Qui cum in vetustis lexicographi exemplaribus s. v. Θέογνις τραγῳδοποιητὴς πάνυ ψυχρὸς ἐτῶν λ', ὃς καὶ Χίων ἐλέγετο, legeretur idque vitiosum esse sensisset, pro ἐτῶν λ' scripsit ἐκ τῶν λ'. Qua correctione non solum verba ad sanam rationem revocavit, sed consensum Suidae cum illo Scholiasta restituit, quam semper debemus servare. Et plurimi ad eam Mausacci sententiam accesserunt. Fabric. Bibl. Gr. T. II. p. 324. Wieland. ad h. l.

Castigatur autem Acharnensibus (Ol. 88, 3) Theognis, tanquam poëta, qui fabulam docuerit. Cum Euripide, nisi fallor, ante Ol. 92, 4 contendit contra Nicomachum, a quo superatus esse traditur. Suid. s. v. Νικόμαχος. Porro e Thesmophoriazusis apparet, ne tum quidem fabulas ejus in oblivionem venisse, cum illa tragoedia docebatur. Ol. 92, 4. Procul dubio eandem fortunam expertus est, qua tyranni ejus collegae oppressi sunt, quos quidem Athenienses Ol. 84, 4 ex urbe ejecerunt. Sed parum liquet, quare Vossius p. 36 hunc in comicorum numero posuerit, nisi tale id mendum est, quod litura tollere praestat.

Cum fabulae ejus una cum nominibus penitus interierint, duo versus ap. Stob. Serm. ap. Wech. 218:

ὡς τὴν μὲν εὐγένειαν αἰνοῦσι βροτοί,
μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖσι πλουσίοις

habemus superstites, quibus Theognidis nomen appositum est. Verum enim eosdem cum tertio versu conjunctos alio loco, ibid. Serm. 234, ita proferri miramur, tanquam ex Euripidis desumpti Thyesta fuerint. Atqui tantum abest, ut hanc testimoniorum discrepantiam e temeraria nominum commutatione ortam esse putem, qualem plerique statuunt, ut Theognidem a nobilissimo tragicorum principe haec mutuatum existimem, propterea quod neque exempla ejus imitationis desunt, neque nobis satis persuadetur, ignobilem poëtam librariis notiorem Euripide fuisse [1]).

In hoc Aristophanes modo frigidam poësis indolem vituperat. Postquam enim Agatho monuit, ingenium moresque poëtae ex versibus ejus cognosci posse, Mnesilochus, quare fabulae Theognidis sint frigidae, ex aspero hominis habitu intelligit, dicens Thesm. 170:

Ὁ δ' αὖ Θέογνις ψυχρὸς ὢν ψυχρῶς ποιεῖ.

Atque tanta est ejus frigoris magnitudo, ut comicus, lepidissima narratione ficta, cum fabulam dedisset Theognis, Thraciae tam agros nivibus obductos, quam amnes gelatos esse affirmet. Acharn. 138:

εἰ μὴ κατένιψε χιόνι τὴν Θρᾴκην ὅλην
καὶ τοὺς ποταμοὺς ἔπηξ' ὑπ' αὐτὸν τὸν χρόνον
ὅτ' ἐνθαδὶ Θέογνις ἠγωνίζετο.

Qui locus non dubito, quin fuerit in caussa, quare cognomen *Χίονος* poëtae dederunt, Schol. ad Aristoph. Acharn. 11. Non importunum est, cum animos interpretum memoria loci subit, quo Furium similiter reprehendit Horatius Sat. II, 5:

seu pingui tantus omaso
Furius hibernas cana nive conspuat Alpes [2]).

---

1) Non temere exemplum audacioris figurae Aristot. Rhet. III, 4, 11, Poët. 21, 4 omisimus, quod, ut Schneiderus ad Demetr. de Elocut. p. 140, Theognidi, dithyrambico poëtae, tribuit, sic rectius a Tyrwhitto, Hermanno, Rittero ad Timotheum translatum est.

2) Sed alia est ludibrii ratio. Nam in Theognide durum poësis ge-

Timesitheus. Suidas s. v. *Τιμησίθεος τραγικός. δράματα αὐτοῦ Δαναΐδες β', Ἕκτορος λύτρα, Ἡρακλῆς, Ἰξίων, Καπανεὺς, Μέμνων, Μνηστῆρες, Ζηνὸς γοναὶ, Ἑλένης ἀπαίτησις, Ὀρέστης, Πυλάδης, Κάστωρ καὶ Πολυδεύκτης.* Ubi Meinekius Hist. Crit. p. 391 bene *Ἑλένης μνηστῆρες* et *Ὀρέστης καὶ Πυλάδης* refecit. Sed ex indole fabularum colligimus, poëtam, de quo non alia monumenta loquuntur, post Euripidem paullo floruisse. Namque in hoc tempus inprimis *Ἡρακλῆς, Ἰξίων, Καπανεὺς, Ζηνὸς γόναι* conveniunt. Cum argumenta exornanda sibi deligeret, Euripidem solum imitatus non est, sed partim talia sumpsit, quae cuncti principes tractaverant, ut Ixionem, partim ea, in quibus, ut in *Ἕκτορος λύτροις* et *Δαναΐσιν*, Aeschylum poterat exprimere.

---

nus vituperatur; Furius autem displicuit, quod in carmine de bello Gallico versum

Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes

effuderat. Vide Schol. ad Horat. l. l. Quint. Inst. Orat. VIII, 6, 17. Voss. de Poët. Latin. p. 15.

INDEX.

B.

C.

D.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Cum singulas libri paginas, typis descriptas, legendo percurrerem, accidit mihi, ut alia aliter exposuisse utque plurima puriore dicendi genere scripsisse mallem. Ac typothetae quidem errata ne plura sint, effecit A. Lion, Ph. Dr., vir egregius; idemque nonnulla mihi indicavit, quae corrigenda putaret. Haec igitur vel addere, vel emendare satis habui:

P. 7. v. 25. leg. testimonia in libris. P. 15. v. 34. l. Anaximandrum.
— 21. — 29. Schol. ad Stat. Theb. XII, 510.
— 23. — 39. l. non tam praeclaras. P. 26. v. 3. l. Ut eam tametsi.
— 31. — 21. l. duriter pro duriuscule. P. 36. v. 4. histrionum.
— 36. — 7. *παραναγιγνώσκειν*.
— 46. — 28. Vide Schol. ad Plat. Leg. IV. p. 716.
— 55. — 7. l. tetralogia. P. 56. v. 10. Cf. Horat. ad Pison. 185:

Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem;
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

— 57. — 15. pro Ol. 83, 3 lege Ol. 89, 3.
— 58. — 34. pro adnumerat l. annumerat. P. 63. v. 6. l. historiam.
— 63. — 23. Cf. Aeschyl. Prom. 260. Agam. 1042. Choëph. 156. Soph. Elect. 1237. *ὀτοτύζειν*. Aesch. Choëph. 324. *ὀτοτύζεται δ' ὁ θνήσκων*.
P. 68. v. 4. l. Eupolidio.
— — — 12. Vide Juvenal. III, 175. c. not. Heinr.
— 70. — 1. l. indolem. P. 72. v. 37. l. poterit.
— 83. — 2. l. aperte. — 84. — 21. l. aperte.
— 86. — 17. l. prolatus est, fratribus.
— 89. — 7. Lascivia, quam habuit saltatio, facillime sentitur. Aristoph. Vesp. 1492:

σκέλος οὐράνιόν γ' ἐκλακτίζων
πρωκτὸς χάσκει.

A verbo *ἐκλακτίζειν* nomen *ἐκλάκτισμα* ductum est, quod Jul. Poll. IV. p. 102 tali modo interpretatur: *τὰ δὲ ἐκλακτίσματα γυναικῶν ἦν ὀρχήματα· ἔδει γὰρ ὑπὲρ τὸν ὦμον ἐκλακτίσαι.* Itaque similis *βίβασις* saltatio Lacedaemoniorum fuit, cum et pueri et virgines ita se moverent, ut pedibus nates attingerent. Jul. Poll. l. l. Quem motum ap. Aristoph. Lys. 82 Lampito significat:

γυμνάδδομαί γε καὶ ποτὶ πυγὰν ἅλλομαι.

Schol. ad h. l. *ἐν γὰρ τῷ γυμνάζεσθαι πηδᾶν εἰώθασι καὶ οἱ πόδες ἅπτονται τῆς πυγῆς τοῦ πηδῶντος.* Cf. Flor. Christ. ad Vesp. l. l. Sed cum in scena mulieres nec partes agerent, neque spectaculis interessent, hunc motum, canticis chori adaptatum vehementia magis sequitur, quam libidinum stimulis fuisse insignem. Idem frequenter adhibitus est. Hesych. s. v. *ἐκλακτισμός, σχῆμα χορικὸν ὀρχήσεως σύντονον.*

P. 96. v. 29. Quod Carcinus instituit, est contra Horatii praeceptum ad Pison. 191:

Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

P. 97. v. 3. leg. vocatur; sic.
— 112. — 7. l. poëticarum contentionum numero.
— 115. — 31. l. Achillis, vel Memnonis.
— 117. — 14. l. imitari; sic. P. 119. v. 20. l. praecepta Xenophontis.

P. 121. v. 18. l. perspexerit. P. 121. v. 29. l. excipiunt.
— 125. — 13. Scribendum est omnino nomen Urlichsius, ut ipse vir doctus scribit. P. 127. v. 31. l. auxit; idque.
P. 136. v. 16. l. ποδῶν dicit? Sed in reliquis libri partibus monere omisi, sicubi narratio interpunctionibus verborum egere mihi, aut male distincta videretur. P. 140. v. 4. l. ἀμέμπτως.
P. 142. Duo homines ejusdem nominis praeterii, si quidem ab iis, quos enumeravimus, fuerunt diversi, unum, quem nonnulli patrem Xenocratis fuisse dicunt, Suid. s. v., alterum, cui Chrysippus librum περὶ τῶν ἑξῆς προβλημάτων donavit. Diogen. L. VII. 7, 12.
P. 146. v. 20. l. aperte. P. 146. v. 34. l. comessatione.
— 155. — 1. l. agendas. — 160. — 8. l. animi.
— 177. — 27. l. ὁ σοφιστής in cunctis.
— 178. Dubitavi quid esset, quod Sophocles, praetor contra Lesbios missus, Chium appulisset. Rem Thucydides I, 116 illustrat. Nam cum duces Atheniensium cum classe sexaginta navium ad bellum essent profecti, alias earum in Cariam miserunt, quae maritimas observarent Phoenissarum copias, alias in Chium et Lesbum, ut auxilia his ex insulis evocarent. Bentlej. Oper. p. 67.
P. 179. v. 3. l. prodiderat orationem. P. 182. v. 4. Tibull. II, 1, 28:

Nunc mihi famosos veteres proferte Falernos
Consulis et Chio solvite vincla cado.

— 185. — 33. l. hic pro hoc. P. 189. v. 36. l. afficiunt.
— 190. — 31. Formam πουλύπους usitatiorem Atticis fuisse, quam vulgo existimant, ex iis planum est, quae Athen. VII. p. 316 A docet. Neque altera forma a tragicorum lingua aliena fuit, Aesch. Pers. 588. Eurip. Elect. 119; quanquam utrobique ea utitur chorus.
ibid. v. 44. leg. ab epicis.
P. 195. v. 18. Acestoridas Callimachus Lavac. Pallad. 34. commemorat.
— — — 19. Vid. Pausan. X, 15, 6. Schol. ad Apoll. Rhod. II, 498.
— 198. — 11. l. Antiphon, Rhamnusius.
— 208. — 11. l. fatis. P. 210. v. 2. leg. apprime.
— 212. — 26. l. ut ex eo. — 216. — 3. l. etymologia.
— 223. — 15. l. reprehendentis.
— 228. — 10. l. laudantur, sine dubio.
— 229. — 39. l. certe. P. 248. v. 21. l. adscribitur.
— 253. — 1. a. f. l. αὐτὸς, τραφεὶς δὲ τῶν.
— — — 31. l. certo. P. 276. v. 13. Δοξύλλος.
— 281. — 36. Cf. Juvenal. III, 175. c. not. Heinr. et Rupert.
— 292. — 10. Praeterii plures, qui erant commemorandi, primum Philiden Boeckh. Corp. Insc. 180, alterum Sunium ibid. 766. Vide etiam Pausan. VI, 12, 6. Quin imago Moschionis poëtae superstes est Müller. Archaeol. p. 586.
P. 296. v. 8. l. in primis. P. 302. v. 21. l. poëta.

GUILELMI MAURICII SCHMIDT

DIATRIBE

IN

DITHYRAMBUM

POETARUMQUE DITHYRAMBICORUM

RELIQUIAS

BEROLINI

IN AEDIBUS G. REIMERI

1845.

AUGUSTO BOECKHIO

CAROLO LACHMANNO

SACRUM

INDEX CAPITUM.

PRAEFATIO.

Cum a tragicorum Comicique lectione recens, ad perlegendos Deipnosophistas me dedissem, ut si quae in iis scenicorum poetarum laterent reliquiae pristino nondum restitutae nitori, iisdem ego auxiliatricem, si fieri posset, manum admoverem, casu nescio quo in desperatissima libro IV intexta ecloga Philoxenea diutius moratum rei difficultas mox tantopere me incitavit, ut congestis undecunque et Convivii et melicorum carminum fragmentis, imaginem quandam viri adumbrare studerem. Quod cum non posse fieri mox intelligerem ante quam totam mihi dithyramborum quasi faciem repraesentassem, brevi me tum lyricis cum dithyrambicis praesertim quaestionibus ita implicitum conspexi, ut schedulae cum redactae in ordinem essent conglutinataeque praeter exspectationem succrevissent ad libri ambitum, quem si integrum nunc lucem spectare publicam jubeo, non vereor, ne molestum ingratumque injungere lectoribus laborem videar: reputatis iis, quae Bippartiani libri censuris praefati sunt Schneidewinus Kayserusque, ille in Erudd. Nuncc. Gottingg. p. 1373, hic Nuncc. Monacc. nr. 138, p. 67. Itaque jam vade liber! Ceterum praefando nonnulla proferam, quae addi singulis capitibus velim: Ad. p. 8, 19. *Μύρμηξ ὁ διαλεκτικὸς φιλόσοφος* commemoratur a Diog. Laert. II, 11, 113 et Steph. Byz. p. 120, 6 Westrm.: — p. 17, 28. Schneidewinus conj. *εἰς τὰ περὶ Κρότωνα*: — p. 44, 6. Plenius eadem habet Etym. Gud. 302, 26 additis: *καὶ ὀγνῆται οἱ ῥόδιοι.* Lege *Ἴγνητες οἱ Ῥόδιοι* cll. Apoll. Dyscol. p. 548 Sturz. et Hesych. Tom. II, p. 16 ubi inter ll. ll. ab intpp.

aegre desidero Simmiam Clementis Alex. p. 569 D. ἀμασιγγήτων καὶ Τελχίνων, ἔφη, ἀλυκῇ ζάψ h. e. ὁμοίως· Ἰγνήτων κτλ.: — p. 61. 17. Respicit huc Philodemus in Voll. Herc. I. col. XV, p. 67. καὶ μὴν οὐδὲ παραμυθεῖσθαι δύναται μουσικὴ τὰς ἐν ἔρωτι δυςπραξίας· λόγου γὰρ μόνου τὸ τοιοῦτον. Ποιήματα δ' εἰ προαιρεῖται δεδόσθω καὶ Φιλόξενον, εἰ τοῦτ' ᾐνίττετο, μὴ τελέως ψεύδεσθαι cl. Schneidew. *Beiträge* p. 129, 6 qui velim p. 128, 16 exemplis e latinis scriptoribus depromptis adjecisset Horat. Odd. III, 4. Qui terram inertem, qui mare temperat Ventosum et imbres (sic lege pro urbes v. umbras): — p. 115, 22. Kayserus l. l. p. 69 pro ἄλλων tentat μελῶν. Non opus: — p. 105, 33 Suid. v. Ἄρης τύραννος: — p. 128, 16. Quartus Cydias, pictor, est apud Steph. Byz. p. 173 Westrm.: — p. 147, 16. Eadem plenius exhibet Etym. Gud. 322, 49: — p. 224, 27. Cum Plehnio sentit Noeggerathius de Aeschyli supplicibus p. 1 (Arnsberg 1844. 4.). Quod p. 22 promisi, de Philoxeno grammatico me copiosius quiddam alibi disputaturum esse, huic promisso spero fore, ut brevi stare possim. Dignus enim videtur, qui vel prae Herodiano cognoscatur, quo de praeter Lehrsii in Museo Rhenano quaestionibus tenuis tantum hucusque prodiit Aug. Wettini commentationis particula Hal. 1842. 8. Certe plura non vidi. At profecto si grammaticae tractandae methodum spectaveris, non arbitrariam illam tumulturiam ac multicolorem, etymologiarum ineptiis scatentem, sed constantem, certis quibusdam adstrictam principiis, amatricemque simplicitatis, etymologico lusu sat angustis finibus circumscripto Herodiano longe praestat Philoxenus, quod vel ipsis veteribus visum esse, si id nunc ageretur, etiam ex Phrynicho nonnullisque Etymologiae Gudiani locis possim demonstrare.

CAPUT I.

I.

DE PHILOXENO CYTHERIO.

De Philoxeno Cytherio, qui primum prolixius disputavit DAN. WYTTENBACHIUS in Philomath. Tom. II. p. 72: „Carminum reliquias, ait, quae in veterum monumentis sub Philoxeni nomine feruntur, uni potius eidemque Cytherio poetae, quam diversis tribuendae videntur. Eas colligere, emendare, digerere et auctoris vitam diligenter enarrare operae pretium erit, et argumentum conveniens studio docti iuvenis, qui eo pertractando et ipse proficiat et aliis prosit." Inde factum, ut his diebus vel duo invenirentur docti viri, qui morem gerentes WYTTENBACHIO, de Philoxeno facerent commentationem, alter L. A. BERGLEINUS De Philoxeno Cytherio dithyramborum poeta Gotting. 1843. 8. alter GEORG. BIPPARTUS Philoxeni, Timothei, Telestis dithyrambographorum reliquiae. Lips. 1843. 8. Verum tamen a Philoxeni carmine nobilissimo, *Δείπνου* inscripto uterque manus abstinuit, ille quidem (p. 41) „ne saxum ut aiunt sarrire neu temerarie in eo operam collocare videretur, quod etiam exercitatissimis viris, ut MEINEKIO et BERGKIO, desperatum sit" [1]; hic vero, quoniam omnino abiudicandum censeret Convivium a Philoxeno Cytherio. Quae cum ita sint, quaestionem de Philoxeno non-

[1]) Quamquam recte id factum esse Schneidewinus arbitratur in „Goettinger gelehrte Anzeigen" 1844, Stück 66. April. p. 659.

dum absolutam esse ratus ea, quae diu antequam duumvirorum istorum lucubrationes lucem publicam spectarent, eodem in argumento elaboraveram, nunc amplius retinere nolo. Ac proficiscendum nobis est, cum alii fere fontes desint, a Suida: s. v. *Φιλόξενος* pag. 3797 Gaisf. *Φιλόξενος. Εὐλυτίδου* [1]). *Κυθήριος. λυρικός. ἔγραψε διθυράμβους κδʹ, τελευτᾷ δʼ ἐν Ἐφέσῳ. οὗτος ἀνδραποδισθέντων τῶν Κυθηρίων ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων ἠγοράσθη ὑπὸ Ἀγησύλου* [2]) *τινὸς καὶ ὑπʼ αὐτοῦ ἐτράφη καὶ Μύρμηξ ἐκαλεῖτο. Ἐπαιδεύθη δὲ μετὰ θάνατον Ἀγησύλου Μελανιππίδου πριαμένου αὐτὸν τοῦ λυρικοῦ. Καλλίστρατος δὲ Ἡρακλείας καθὼς γράφει πανταχῆ· ἔγραψε δὲ μελικῶς γενεαλογίαν τῶν Αἰακιδῶν.* cui similia Eudocia ap. Villois. Anecd. Gr. p. 428 *Φιλόξενος. Εὐλητίδου. Κυθήριος. λυρικός. ἔγραψε διθυράμβους καὶ γενεαλογίαν τῶν Αἰακιδῶν μελικῶς.* Ac Cytherius quidem totius audit antiquitatis consensu, ut mihi quidem valde suspicionem moveat Callistratus, in quo dubitationem nonnullos admisisse viros doctos video, etiamsi quis iste intelligendus Callistratus sit, omni mihi videatur controversia carere. Est enim quemadmodum recte monuerunt Weichertus „*Ueber das Leben und die Gedichte des Apollonius von Rhodus*" (Meiss. 1821. 8.) p. 256, 257 et Polsberw. de Heraclea Ponti Lib. VI spec. I (Brandenb. 1833. 8.) p. 18 idem Domitius Callistratus Heracleota, cuius etiam nunc octo, ni fallor, inveniuntur ex rerum Heracleoticarum libris fragmenta cf. Voss. Histor. Graec. p. 338. Fabric. Bibl. Graec. IV, c. 24. Orelli Memnon. hist. excerp. p. 215. A. Boeckh. Praef. in Pind. Schol. p. XIII. — Rud. Schmidtii commentatio de Callistrato Aristophaneo Hal. 1838. 8. ad manus non fuit. — At vero Otto Schneiderus De vett. in Aristoph. Schol. fon-

---

[1]) Sic A. B. γ. ε. vulgo *Εὐλητίδου*. Num *Εὐλυρίδου*?

[2]) Sic scripsi. Suidas *Ἀγεσύλου*. Verum tamen nomina propria in *ουλος* exeuntia priorem syllabam plerumque produxisse videntur. Similiter *Ὀνήσυλος* nomen occurrit ap. Theognost. Canon p. 61. Aut scribendum *Ἀγεσίλου*, ab *Ἀγεσίλας* proveniens. A. h. l. *Ἀγεσιλάου*. — Ceteroquin animi causa, lege sis de hoc Suidae loco Lilium Gyraldum Opp. Tom. II. pag. 344 Bas. 1580 qui finxisse hinc nonnullos interpretes refert Melanippidem *Πριαμένου* (sc. *Πριαμενοῦ*) h. e. Priameni filium.

tibus Suid. 1838. 8. de Callistrato grammatico quaestionem nimis deproperat p. 87, 107 sqq. Ceterum non mirum, quod Callistratus Heracleota Philoxeni decus patriae urbi affigere voluit. Similiter Panyasin Halicarnassensem Suida teste Herodotus Thurium Duris Samium vocavit. FACELLUS autem, qui in Scr. Rer. Sicul. nostrum Philoxenum inter Syracusanos poetas retulit haud dubie Plutarchi loco de vit. aer. alien. deceptus est. Namque GAYSAR etiam Dor. Com. p. 286 seductus Schol. Arist. Plut. 290 testimonio similem in eadem se errorem admisit. Sed de anno, quo aut natus aut mortuus sit Philoxenus, scriptores tacent, unde peropportune nobis in hac dubitatione succurrit Chron. Par. Ep. 70 (p. 29 ed. E. WAGNER) *ἀφ' οὗ Φιλόξενος διθυραμβοποιὸς τελευτᾷ βιοὺς ἔτη ΠΙΙ, ἔτη ΗΔΠΙ ἄρχοντος Ἀθήνησι Πυθέου*, unde Philoxenum anno aetatis quinquagesimo quinto Ol. C, 1, mortuum esse docemur. Nam Diod. Sic. Bibl. XIV, 57 non nisi tempus ponit, quo Philoxenus maxime floruerit, Olymp. XCV, 3 eidemque anno Diodorum secutus assignat eum Anonym. in Ol. Desc. Itaque si Marm. Par. sequimur anno Olymp. LXXXV, 1. 2 natus Philoxenus est. Sed iam rursus nova viris doctis exoriri difficultas in eo visa est, quod Suidas ipsum a Lacedaemoniis tradidit in servitutem esse venditum; tametsi enim intra Olymp. LXXXVI, 2 et XCII, 3, quo mortuum esse Melanippidem dithyrambicum suspicor, notissima quidem sit devastatio insulae Cytherae per Athenienses *) Nicia imperatore instituta, Olymp. LXXXIX, 1 tamen de invasione Lacedaemoniorum nulla omnino apud veteres historiarum auctores commemoratio facta est. Etenim Thucydides etiam, apud quem de Cythera insula locus exstat insignis, ita de ea loquitur, ac si ex longissimo tempore in fide Lacedaemoniorum fuerit (Lib. IV, 53) *τὰ δὲ Κύθηρα νῆσός ἐστιν, ἐπίκειται δὲ τῇ Λακωνικῇ κατὰ Μαλέαν. Λακεδαιμόνιοι δέ εἰσι τῶν περιοίκων καὶ Κυθηροδίκης ἀρχὴ ἐκ τῆς Σπάρτης διέβαινεν αὐτόσε κατ'*

---

*) Itaque suspicati sunt nonnulli, quibus BODIUS *Gesch. d. hell. Poesie* II, 2. p. 294 assensum praebet, pro *Λακεδαιμονίων* ap. Suid. legendum esse: *Ἀθηναίων*. Et sic nuperrime etiam MEINEK. Com. Tom. IV, p. 635 statuit. cf. Vol. II. p. 658 et I. A. BERGLEIN l. l. p. 6. 7.

ὅτεος, ὁπλιτῶν δὲ φρουρὰν διέπεμπον ἀεὶ καὶ πολλὴν ἐπιμέλειαν ἐποιοῦντο κ. τ. λ. Memini tamen apud Pausaniam legere (p. 25 ed. Sylb.) iam ante Niciae tempora aliquando insulam eam in Atheniensium potestatem venisse; Tolmidae devictam expeditionibus. Olymp. LXXXIII, ⅔ Ἐπὶ δὲ τοῦ βάθρου (ait) καὶ ἀνδριάντες εἰσὶν ἐντὸς, οἷς ἐμαντεύετο Τολμίδῃ καὶ αὐτὸς Τολμίδης. ὃς Ἀθηναίων ναυσὶν ἡγούμενος ἄλλους τε ἐκάκωσε καὶ Πελοποννησίων τὴν χώραν, ὅσοι νέμονται τὴν παραλίαν καὶ Λακεδαιμονίων ἐπὶ Γυθίῳ τὰ νεώρια ἐνέπρησε καὶ τῶν περιοίκων Βοίαν εἷλεν καὶ τὴν Κυθηρίων νῆσον. Debebat igitur ea insula recuperari a Lacedaemoniis, priusquam denuo expugnaretur ab Atheniensibus, quod; quo anno factum sit inter Ol. LXXXIII, ⅔ et Ol. LXXXIX, 1 accurate definire vix poterimus, sed ante Ol. LXXXVI, 2 non factum esse, si qua in Marmore Pario fides inest, in aperto est. At videtur ne opus quidem esse argutiis istis. Nam Cythera insula haud dubie brevi post Niciae expugnationem rursum Laconicae ditionis facta est. Quod vero Suidas ait Cytherios in servitutem venisse Lacedaemoniorum hoc optime intellegi poterit de Atheniensium ibi relicto praesidio. Cf. Thucyd. IV, 51. Manso Sparta Append. ad Tom. I. Sed hoc, utcunque se habeat, hero paruisse Philoxenum, non Suidae solum testimonio verum etiam Hesychii verbis probatur s. v. Δούλωνα τὸν Φιλόξενον Μουσικόν [5]) ἐπειδὴ δοῦλος ἐγεγόνει ὁ Φιλόξενος. ἦν δὲ τὸ γένος Κυθήριος; quod unde depromptum sit difficile fuerit divinatu, tamen scriptoris cuiusdam locum esse abrupte exscriptum patet [6]). Ceterum fuit aliquando ut nomen illud Δούλων sub Eubuli fabula quadam latere suspicarer, de qua sciebam controversiam esse, utrum Δόλων an Δοῦλος inscribenda sit; quibus conglutinatis lectionibus, facile refingi Δούλων potuisset. Sed Δόλων genuinum esse titulum Meinekius in hist. crit. p. 363 satis evicit. Tamen

---

5) ὁ Μουσικός audit etiam apud Stobaeum Append. IV. p. 42. Φιλόξενος ὁ Μουσικὸς ἐρωτηθείς· τί μᾶλλον συνεργεῖ παιδείᾳ εἶπε· χρόνος.

6) De nominibus, quale Δούλων est, cf. Lobeck. Soph. Ai. p. 167. — Bergkleinus p. 7 nescio cur annotet Δούλωνα urbem Libyae fuisse. — Meinek. verbum ad fabulas comic. incert. retulit p. 635. Vol. IV.

ad alterum: eius nomen servile, *Μύρμηξ* non inurbanе aliudi credo ab Aristoph. in Ran. 1502 (1554)

καὶ παίδευσον
τοὺς ἀνοήτους (πολλοὶ δ' εἰσί)
καὶ δὸς τουτὶ Κλεοφῶντι φέρων
καὶ τούτοις τοῖσι πορισταῖς
Μύρμηκί θ' ὁμοῦ καὶ Νικομάχῳ,
τόδε δ' Ἀρχενόμῳ.
καὶ φράζ' αὐτοῖς ταχέως ἥκειν
ὡς ἐμὲ δευρὶ καὶ μὴ μέλλειν.

ubi Schol. *ὀνόματα κύρια. ἐπὶ δὲ πονηρίᾳ οὗτοι ἐκωμῳδοῦντο. οὐ πάντων δὲ ὁ Μύρμηξ τῶν ποριστῶν ἐστιν, ἀλλὰ δὴ οἴεται ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς. οὐδὲ γὰρ ὁ Νικόμαχος, ἀλλ' ἤτοι ὁ τραγικὸς ὑποκριτής, ἢ ὁ πολίτης, περὶ ὧν προείρηται. τί δ' ἂν εἴη διδούς; τάχα βρόχους πρὸς ἀγχόνην, ἤ τι τοιοῦτον*, e quibus Schol. explicationibus nihil prorsus nec lucis neque lucri suboritur. neque improbabiliter inde Thierschius apud ipsos veteres de Myrmecis persona non constitisse sententias, arbitratur; sed quod ipse coniectura [7]) donatus est huic loco succurrere, nullo modo probaverim. Nam neque quis ille fuerit Archenomus, novimus. Sed Nicomachum tragicum fuisse Euripidi coaequalem constat; Myrmecem audisse Philoxenum et ipsum *τραγῳδοδιδασκάλοις* adscriptum Suidae testimonio credendum est; quid multum, irrideri utrumque una cum Archenomo fortasse eiusdem artis professore, opinor, non absonum erit suspicari. — Phrynnin etiam in iuventute servum fuisse, fama increbuit; atqui Schol. ad Arist. Nub. 971 hoc se non credere libere profitetur, quoniam si scivissent aut subodorati essent tantum tale quid comici poetae eius aetatis, ab hoc alterove eorum huius rei mentionem factam esse dubitatione careat. Quidni igitur credamus Philoxenum ob eandem caussam ludibrio fuisse Aristophani, qui tantopere propter fictitia fortasse generis dedecora exagitavit Euripidem? Neque hoc si statuimus temporis ratio obversatur; Ranas enim docuit

---

[7]) Legendum censet: *μύκητι*. comparato Ar. Plut. 1103 et de v. *μύκης* Boeckh. C. I. I p. 134).

Aristophanes Olymp. XCIII, 4 quo tempore Philoxenus tricesimum iam annum agebat; atque haud dubie etiam artis specimina ediderat. Melanippides enim Melius, cuius et *αὐλῳδὸς* fuisse, et praeceptis in dithyrambicis componendis carminibus usus esse traditur, apud Perdiccam Macedoniae regem per multos annos versatus, ibidem circa Olymp. XCI, I admodum senex decessit; quamquam ne hoc quidem cognitum habemus, num ad mortem usque praeceptoris apud eum Philoxenus commoratus sit. Apud Aristoph. Thesm. 100 quae eodem anno acta est, quo mortuum esse Melanippidem diximus legitur *Μύρμηκος ἀτραπὸς* de carmine multifariis insuetis tortuosisque artificiis mulcente auditorum aures, qualia fuisse perhibentur Philoxeni Cytherii carmina. Tamen cum apud Pherecratem quoque (Plut. de Mus. c. 30) inveniantur Timothei *ἐκτραπέλους μυρμηκιάς* [8]) in his Philoxeni tangi servitutem non ausim confirmare. Fabulam *Μύρμηξ* inscriptam docuit Posidippus, ut ex Stob. flor. XCIX, 29 et CXVI, 17 discimus; eius titulum de formica intellexit Gesnerus, at rectius, opinor, Myrmecen viri nomen fuisse, Meinek. hist. crit. p. 483 statuit. Nomen *Μυρμηκίδας* occurrit ap. Plin. Hist. Nat. VI, 21. XXXVI, 4. Cic. Acad. II. 38. Davis., Aelian. V. H. I, 17. Galen. Protr. p. 28 Willich. Simile nomen servis dari solitum fuit: *Τέττιξ*. — Berglein libr. laud. p. 8 „vocem *Μύρμηξ* potius ad sollertiam et assiduitatem spectare Philoxeni arbitratur."

Sed missa hac de nominibus ipsius quaestione, ut de ipsa servitute dicam quid sentiam, eam non adeo duram fuisse puto, sed mothacis aut *τροφίμου* loco habitum esse Philoxenum crediderim; qua vitae conditione ab Agesylo cum herili filio haud dubie musices etiam elementis imbutus, neque *ἀμούσῳ* prodito ingenio conspicuus factus est Melanippidi et ipsi musices peritissimo homini. Quo cum praeceptore per aliquot annos in Macedonia commoratus mortuo Melanippide aut etiam vivo si verum est, quod de loco in Ranis suspicati sumus venit Athenas annos fere quinque et viginti natus. Ol. XCII. Ibi num publico munere functus sit an privati vitam degerit

[8]) Cf. R. Hanow. Exerc. Crit. p. 52—53.

nihil interest novisse. Sed poematis suis inclaruisse tum praesertim temporis constat. Etenim Olymp. XCV, 3 Ithycle archonte, summo iam in honore fuisse Philoxenum Diod. Sic. XIV, 57 verbis evincitur. Fertur insuper Aristophanes ap. Plut. de Mus. c. XXX in fabula quadam introduxisse Musicam sic de Philoxeno conquerentem:

ἐξαρμονίους ὑπερβολαίους τ' ἀνοσίους
καὶ νιγλάρους, ὥσπερ τε τὰς ῥαφάνους ὅλην
καμπτῶν με κατεμέστωσεν.

Sed cum praeeunte R. Hanovius Exerc. Crit. p. 55. Meinekius Com. Gr. Tom. II. p. 334 hos versus Aristophani abiudicatos, Pherecrati restituerit, de fabula Gerytade, unde, qui Plutarchi locum depravatum esse negabant, versiculos istos depromptos esse arbitrabantur, amplius commonere supervacaneum foret, nisi in fragmentis ex Gerytade nobis conservatis, quanquam nominatim e dithyrambicis non nisi Cinesias perstringitur ap. Athen. XII, p. 551, a. (fr. I Bergk.) tamen permulta e Philoxeni convivio petita, fere integra nobis conservata essent, qua in sententiá Bergkium etiam Comment. p. 212 (Fragm. XII) fuisse video. Audimus enim profecto Philoxenum *δεῖπνον* suum recitantem his verbis: ap. Aristoph. Pollucis X, 91 (cf. VII, 176) *ἄλλος δ' εἰσέφερεν πλεκτῷ κανισκίῳ ἄρτων περίλοιπα θρύμματα* (Bergk. frag. XIII, p. 1009) ap. Athen. XI, p. 485, a. (cf. Poll. X, 75) *ἦν δὲ τὸ πρᾶγμ' ἑορτὴ περιέφερε δ' ἐν κύκλῳ λεπαστὴν ἡμῖν ταχὺ προσφέρων παῖς ἐνέχει τε σφόδρα κυανόβενθῆ.* Nec mirum quod in hoc carmine perstringendo Aristophanes tantum studii posuerit, cum in Gerytade, comoedia quantum ex reliquiis de argumento possumus suspicari, eandem fere atque in ranis imaginem repraesentans de corruptela summaque poesis depravatione conquestus videretur. Cf. Bergk. apud Meinek. Com. Fr. Tom. II, 2 p. 1004 sqq.

Iam vero tempus est, semovendi etiam difficultatem aliquam molestissimam, quam ex Scholiastae verbis ad Arist. Nub. v. 332 nobis subnatam video. Scilicet hic ad Aristophanis illa:

ταῦτ' ἄρ' ἐποίουν ὑγρᾶν νεφελᾶν στρεπταιγλᾶν δάϊον ὁρμάν

annotat: *ταῦτα δὲ εἰς Φιλόξενον τὸν διθυραμβοποιόν. τὸ*

γὰρ στρεπταιγλᾶν οὗτος εἶπεν. Atque idem paulo supra ad Aristophanis versum:

κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας ἄνδρας μετεωροφένακας.

dicit: αἰνίττεται εἰς τοὺς περὶ Κινησίαν καὶ Φιλόξενον *). Iam vero Philoxenus noster, uti diximus Olymp. LXXXVI, 2 natus est. Nubes autem primum docta Olymp. LXXXIX, 1. Philoxeno annum agente undecimum. Sed ne in altera quidem recensione nostrum his tactum esse verbis credibile est, quippe quod Olymp. LXXXIX, 4 quo fabulam hanc iterum imposuit incudi non nisi annum ageret quintum decimum. Eupolin quidem Suidas decimo septimo aetatis anno primam fabulam docuisse diserte tradidit; cf. Meinek, hist. crit. p. 104, sed iuvenem aut puerum potius XV annorum ita claruisse, ut Aristophanes eum suo flagello dignum putaret, vix credibile est. Ac praeterea tum Philoxenus adhuc imbuebatur Melanippidis praeceptis. His igitur difficultatibus, quo se facilius extricarent viri docti, simpliciter statuerunt Scholiastae errorem manifestum esse. Sic Meinek. hist. crit. p. 89. 288 sqq. Sed mihi non ea videtur huius potissimum scholii ratio, ut Meinekio me addicere vellem, utpote in quo sine controversia aliqua notitia ac doctrina appareat, quam ex ipso Aristophane haurire Scholiasta non potuit. Itaque si verbum στρεπταιγλᾶν a nostro Philoxeno, quomodo visum est, proficisci non potuit, indubie ab alio Philoxeno profectum sit necesse est. Ac vixit sane illis temporibus alius Philoxenus Leucadius cognomine, qui comicorum lasciviam nec ipse effugere potuit. Cf. Plat. ap. Athen. I, p. 56, IV, p. 146. Patre hic natus videtur Eryxide. Nam Philoxenus Eryxidis occurrit ap. Aristot. Nicom. Eth. III, 10. Eudem. Eth. III, 2 (coll. Problem. XXIX, 28. b.) apud Theophil. Athen. I, b. a. Plut. Opp. Morall. p. 668, p. 1128 B. (cl. Stob. p. 394), quae si cum iis conferas, quae Suidas de Philoxeno Leucadio narrat, v. Φιλόξενος. ὀψοφαγία. Τιμαχίδας Ῥόδιος. p. 3797. 2767. 3564. Eryxidis filium a Leucadio non diversum esse probabile fit. Leucadii autem filius avi videtur nomen habuisse: siquidem Arist. Ran. 941 hunc tangit:

*) Cf. Berglein l. l. p. 22.

Δ. καὶ τοὺς θεοὺς ἔγωγ' οὖν
ἤδη ποτ' ἐν μακρῷ χρόνῳ νυκτὸς διηγρύπνησα
τὸν ξουθὸν ἱππαλεκτρυόνα ζητῶν τίς ἐστιν ὄρνις;
Α. Σημεῖον ἐν ταῖς ναυσὶν ὦ 'μαθέστατ' ἐνεγέγραπτο.
Δ. ἐγὼ δὲ τὸν Φιλοξένου γ' ᾤμην Ἔρυξιν εἶναι.

Eryxis igitur hic, de quo aliunde nihil constat, si patre vicesimum fere agente annum natus fuit, atque tricesimo fere aetatis anno bilem movit Aristophani, Philoxeni Leucadii natales incidunt in Ol. LXXX, 4. Scripsit autem hic Eryxidis filius, teste Platone Com. ap. Athen. I, p. 5. 6 novam ciborum condendorum doctrinam, sive ut Graeco titulo utar *καινήν τινα ὀψαρτυσίαν*. Hic enim titulus est, qui solus e Platonis verbis erui potest; de *δείπνῳ* quod sibi VV. DD. visi sunt tanquam verum illius poematis nomen invenisse, nulla iniicitur mentio. Adscribam verba ipsa ex Platonis fabula desumpta, quemadmodum Meinekius ea restituit Com. Fr. II, p. 672

— — — ἐγὼ δ' ἐνθάδ' ἐν τῇ 'ρημίᾳ
τουτὶ διελθεῖν βούλομαι τὸ βιβλίον.
πρὸς ἐμαυτόν. B. ἐστὶ δ', ἀντιβολῶ σε, τοῦτο τί;
A. Φιλοξένου καινή τις ὀψαρτυσία.
B. ἐπίδειξον αὐτὴν ἥτις ἐστίν. A. ἄκουε δή.
„Ἄρξομαι δ' ἐκ βολβοῖο, τελευτήσω δ' ἐπὶ
θύννον [10]).

Patet inde ὀψαρτυσίαν Philoxeni poema inscriptum fuisse, quemadmodum aliorum quoque ὀψαρτυτικὰ memorantur, ut Glauci Locrensis, Mithaeci, Dionysii, Euaeneti, Archestrati ap. Athen. XII, p. 516, c. Contra Cytherius poema *Δεῖπνον* composuit, quod saepissime laudatur ab Aristophane, atque Athenaeo XI, p. 476, c. 487, a. XIV, p. 642, f. XV, p. 685, d. (cl. II, p. 35 d.). Cuius discriminis aliquid suboluit Bod. *Gesch. der hellen. Lyr.* Tom. II, p. 319 qui utriusque hominis permutationem frequentem in eo positam putat, quod uterque Convivium poetice descripserit. De Philoxeni vero Cytherii convivio ab aliis perperam Philoxeno Leucadio auctori ad-

10) Idem sentire Berglinum video p. 70. Platonis locum imitando expressit Alexis Athen. IV, p. 164 b. *ΛΙΝ. δεῖξόν τί ἐστι πρῶτον; ΗΡΑΚΛ. ὀψαρτυσία, ὥς φησι τοὐπίγραμμα.*

scripto, disputavit Th. Bergk., qui Comment. Com. Gr. p. 211 hoc insuper optime monuit, eos, qui inde a versu 6 sequantur, hexametros, non ipsius esse Philoxeni, sed ab ipso Platone ad irridendum hominem confictos (Meinek. T. II, 2. p. 673). Sunt vero a v. 9 hi.

Α. βολβοὺς μὲν σποδιᾷ δαμάσας καταχύσματι δεύσας
ὡς πλείστους διάτρωγε· τὸ γὰρ δέμας ἀνέρος ὀρθοῖ.
καὶ τάδε μὲν δὴ ταῦτα. θαλάσσης δ' ἐς τέκν' ἄνειμι
* * *
οὐδὲ λοπὰς κακόν ἐστιν. ἀτὰρ τὸ τάγηνον ἄμεινον.[11])
* * *
Ὀρφῶν, αἰολίαν, συνόδοντά τε καρχαρίαν τε
μὴ τέμνειν, μή σοι νέμεσις θεόθεν καταπνεύσῃ·
ἀλλ' ὅλον ὀπτήσας παράθες πολλὸν γὰρ ἄμεινον.
πουλύποδος πλεκτὴ δ' ἂν ἐπεὶ λήψῃ κατὰ καιρόν
ἑφθὴ τῆς ὀπτῆς, ἢν ᾖ μείζων πολὺ κρείττων·
ἢν ὀπταὶ δὲ δύ' ὦσ', ἑφθῇ κλαίειν ἀγορεύω.
τρίγλη δ' οὐκ ἐθέλει νεύρων ἐπικήρανος εἶναι,
παρθένου Ἀρτέμιδος γὰρ ἔφυ καὶ στύματα μισεῖ
σκόρπιος αὖ· . . . .

Etenim Leucadius iste Ph. magnopere gulae atque cupediis deditus fuit, Suid. ll. ll. Stob. p. 394. Eustath. Od. ρ', 219. Plut. de occult. viv. p. 1128. Symp. 668. Clearch. ap. Athen. I, p. 6. Theophil. et Chrysip. ibidem, Arist. Probl. XXIX, 28. Arist. Nicom. Eth. et Eudem. ll. ll. Contra Philoxenum Cytherium, qui nonnullis φιλιχθὺς nominabatur (cfr. Sopater ap. Athen. infr.) Aristot. ap. Athen. I, p. 6 non nisi φιλόδειπνον vocat; Plutarchus autem tam prudens ac sobrium ipsius dictum affert de vitand. aer. al. p. 831 f. Φιλόξενος δ' ὁ μελοποιὸς ἐν ἀποικίᾳ Σικελικῇ κλήρου μετασχὼν καὶ βίου καὶ

---

[11]) ἄριστον legit, qui hunc locum respicit tacito Athenaei nomine anonymus in epistola VII. ap. Cramer. Anecd. Oxon. III. p. 168. Unde, ni fallor, novus huic fragmento versus poterit excuti: καὶ τὰ μὲν ἐν λοπάδεσσι τὰ δὲ [◡◡ — ◡] ταγήνους. In epistola est: τὰ μὲν γὰρ λοπάδις (?) ἐστι τὰ δὲ τάγηνα. Ceterum mirum, quod ap. Eustathium quoque p. 692, 18 mutatis nonnihil verbis sic legatur: ἀτὰρ τον τὸ τάγηνον ἄριστον.

οἴκου πολλὴν εὐπορίαν ἔχοντος, ὁρῶν δὲ τρυφὴν καὶ ἡδυπαθείαν καὶ ἀμουσίαν ἐπιχωριάζουσαν Μὰ τοὺς θεούς, εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα: καὶ καταλιπὼν ἑτέροις τὸν κλῆρον ἐξέπλευσεν, ut Perizonius propterea diversum facere mallet Philoxenum *μελοποιὸν* ab dithyrambico poeta. Scio quidem disertis verbis Cytherium quoque gulosum depingi a Phania Eresio, qui fere 280 a. Chr. vixit, tum a Machone Sicyonio, comico, et Hegesippo, cui Crobyli cognomen fuit, sed eos, utpote a Philoxenorum temporibus nimis remotos aut fama aut memoria deceptos esse verisimile est. Quid enim Machonis hac in re valeat testimonium, vel inde patet, quod ut comice rem ornare possit, polypi bicubitalis esu Syracusis moribundum Philoxenum finxerit, qui tamen perspicuis Suidae verbis Ephesi decessit. *Φιλιχθύαν* autem ipsius comico more ad ridiculum usque exaggeravit Sopater Parodus:

διασσαῖς γὰρ ἐν μέσσαισιν ἰχθύων φοραῖς
ἧστο τὸν Αἴτνης εἰς μέσον λεύσσων σκοπόν.

Nec tamen omnino nihil veri in hoc Machonis loco inesse dixerim; immo verba iis similia, quae l. l. morituro attribuit Philoxeno, re vera in semet ipsum Philoxenus videtur epigrammatice composuisse, quae mea quidem sententia comparatis Hermesianact. ap. Athen. XIII p. 598 verbis non dissimilibus fit probabilior. Dico haec Machonis ap. Athen. XIII, p. 341.

τοὺς διθυράμβους σὺν θεοῖς καταλιμπάνω
ἠνδρωμένους καὶ πάντας ἐστεφανωμένους
οὓς ἀνατίθημι ταῖς ἐμαυτοῦ συντρόφοις
Μούσαις, Ἀφροδίτην καὶ Διόνυσον ἐπιτρόπους.

Hermesian. ib. XIII, p. 598.

Ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν ὃν ἐθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου τὸν λωτοῦ πιστότατον ταμίην,
Μοῦσαι παιδευθέντα Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς κτλ.

Deinde etiam hoc fortasse statui ex illis poterit Philoxenum illum Leucadium Eryxidis filium Syracusis immodico victu periisse. Utut est, notissima illa *Φιλοξένου ὀψοφαγία* de solo Eryxidis filio Leucadio intelligenda est. Itaque Aeschines

etiam ap. Athen. V, p. 220 B. in dialogo Callia inscripto huius Philoxeni mentionem faciens eum Anaxagorae quidem discipulum nihilominus tamen gulosum atque cinaedum fuisse hominem tradidit: „λέγει γὰρ ὡς ὁ μὲν Προδίκου Θηραμένην μαθητὴν ἀπετέλεσεν, ὁ δ' ἕτερος Φιλόξενον τὸν Ἐρύξιδος καὶ Ἀριφράδην καὶ ἀδελφὸν Ἀριγνώτου, τοῦ κιθαρῳδοῦ, θέλων ἀπὸ τῆς δηλωθέντων μοχθηρίας καὶ περὶ τὰ φαῦλα λιχνείας ἐμφανίσαι τὸν τῶν παιδευσάντων διδασκαλίαν." quibus cum Aeschinis castigationibus optime convenit Platonis in Phaone ll. ubi per satis multos versus, quasi ex ipsius ὀψαρτυσίᾳ recitatis, fere ὑποβινητιῶντα βρώματα enumerantur. Possis etiam ex ipso hoc Aeschinis loco non improbabiliter suspicari eum inter Calliae assentatores fuisse, interque eos fortasse ab Eupolide in eo dramate exagitatum esse, cuius titulus fuit κόλακες, et cuius argumentum non modo in Callia ipso, Hipponici filio perstringendo maxime versatum est, sed impudentiores etiam adulatores convivasque sibi notandos sumsit. Quos inter parasitos tetigit Orestem (Arist. Avv. 702) Marpsiam (Arist. Acharn. 701 Schol., Aelian. ap. Suid. v. βομβαύσιν); praeter hos e splendidioribus hominibus Protagoram, totamque sophistarum gregem (Xen. Conv. p. 133. Schneider. Athen. III, p. 100 b.) neque Alcibiadem omissum esse, Athen. XII, p. 535, a. testimonio evincitur. Quod vero Philoxenum etiam Leucadium in parasitica ista convivia ab Eupolide advocatum fuisse suspicor, ea imprimis ratione adigor, quoniam Melantho poetae tragico, quem famosissimum dedecore ingluviei Calliae epulis affuisse testatur Eupolis ap. Schol. Ar. Pac. 803, memini a Clearcho ap. Athen. I, p. 6 adscribi notissimum illud Philoxeni optatum, ut sibi gruis gula data sit, quo diutius deliciarum saporibus frui possit. Quae si vera suspicati sumus — accedit vero etiam alia caussa de qua infra dicatur — Philoxenus hic maxime Olymp. LXXXIX, ½ omnium in ore atque notitia videtur versatus esse. Namque Eupolidis κόλακες fabula docta est Oylmp. LXXXIX, 3 Anaxagoras autem cuius doctrinam professus traditur Ol. LXXXI iam diem supremum obiit, postquam Ol. LXXIX, 3 Athenas reliquerat. Fortasse igitur Platonis Phao hoc fere tempore spectata est Ol. LXXXIX, ½.

Nam quod Meinek. Quaestt. Scenn. II, p. 25 Phaonem serioribus fabulis assignat Olympiadeque XCVII, ½ actum suspicatur, tum sola coniectura nititur ad Schol. Arist. Plut. 179 tum propterea minus recte excogitatum videtur, quoniam Ol. XCIII, 3 iam filium huius Philoxeni, Eryxin, irrideri ab Aristophane vidimus.

Igitur haec fere sunt, quae comperta habemus de Philoxeno Leucadio, quem ab antiquis scriptoribus ipsis saepissime cum Cytherio Euletidae filio commixtum videmus. Atque hunc quidem puto, ut redeam ad Arist. Nub. 332 subintellegi debere ad Schol. h. l. Iam, quam lepide iocatur Aristophanes de ipsius notissima ingluvie, alludens fortasse ad ipsius ὀψαρτυσίαν his verbis: *κεστρᾶν τεμάχη μεγαλᾶν ἀγαθᾶν, κρέα τ' ὀρνίθεια κιχηλᾶν*, iam quam commode tangit Anaxagorae disciplinam; qui cum de singulis naturae phaenomenis multa cogitavit, tum potissimum hoc statuit: *ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν*, quod hoc loco etiam intellegere suadet Schol. 334 *ἑνὸς τὸ πᾶν εἶναι φάσκοντος*. Quod vero Scholiasta διθυραμβοποιὸν vocat Philoxenum illum, hoc nihil difficultatis continet, nam Clearchus quoque ap. Athen. I, p. 6 et Suid. p. 3797 *a*. Leucadium Philoxenum dithyrambicum poetam vocant: quin etiam a priori conservatum est hymni cuiusdam initium ab eodem in nuptiis Ephesi cantati: „*Γάμε θεῶν λαμπρότατε*."

Sed his digressionis loco, quamquam fortasse non importune monitis, ad Cytherium revertimur Philoxenum. Videtur hic ad Ol. XCVI, 2. Athenis commoratus, postquam contra Carthaginienses a Dionysio prospero Marte debellatum est, in Siciliam colonus transmigrasse, ibique statim post adventum in notitiam ac familiaritatem venisse Dionysii tyranni, qui Ol. XCIV, 4 rerum eadem qua Pisistratus olim astutia potitus ad Olymp. CIV, 1 usque et vitam et tyrannidem produxit Notissimae sunt per totam antiquitatem Siculae illae dapes lautissimae. In his igitur conviva ac compotator factus Dionysio, videtur inde materiem collegisse nobilis illius pangendi carminis, quod *Δεῖπνον* inscripsit, ad cuius similitudinem ab Aristophane multa composita videri in Gerytade fabula, iam supra monuimus. Nec tamen Philoxenus diu gratiosus re-

mansit Dionysio, sed „ut Croesum legimus ideo e regno suo expulisse Solonem praecipitem, quia blandiri nolebat, sic etiam Dionysius fertur Philoxeni mortem intentasse, cum eum recitantem proprios versus, absurdos et inconcinnos, cunctis applaudentibus solus audiret immobilis." (Cf. Ammian. Marcell. XV, c. 15. Cic. ad Attic. IV, 16. Lucian adv. indoct. Tom. II, p. 768. Cognat. de merced. serv. Tom. I, p. 351. Calumn. non tem. cred. Tom. I, p. 851. Gemist. Pletho. hist. L. I. Aristid. Tom. II, p. 308, 9. Dindorf. Schol. Arist. Orat. p. 268, 264. Frommel. Tzetzes. Chil. X, 358. Hellad. ap. Phot. Bibl. p. 532, 35. Bekk. Mich. Apostol. VII, 70. XIX, 26. Diogen. Adag. VIII, 54. Proverb. Vatic. Cent. IV, 37. Prov. Metric. 1339. Schott. Suid. p. 1624, D. 422, C. 3797. Gaisf.) Iratus Dionysius coniecit eum in lautumias, qui carcer est Syracusis in Epipolis situs. Dorvill. Sicil. antiq. p. 181 sqq. cl. Cic. Verr. V, 27, 55 ibiq. editt., Aelian. var. hist. Lib. XII, 44. Cuius facti cum brevi post sese poenitere simularet rursum accersivit, Philoxenus autem male simulatam gratiam perspiciens, veramque tyranni sententiam suspicatus, quasi edoctus infortuniis, ne rursum in mala incideret, laudaturus sit Dionysii invitis Musarum numinibus edolata carmina, reduci in carcerem maluit, tyrannoque respondisse fertur versus cuiusdam exitum: — — *οἶκος φίλος οἶκος ἄριστος*. Cfr. Meinek. Annall. Alex. Epimetr. XII, p. 392. Sunt etiam qui Philoxenum propterea in lapidicinas coniectum tradant, quia tragoediam a Dionysio ipsi ad abstergendas maculas commissam, melius emendari posse negaret, nisi una per totam chartam atra deducta lineola. Ad quam traditionem pertinet locus a nemine hac in re respectus Schol. Tzetz. Chil. XII, p. 233. ap. Cramer. Anecd. Oxon. III, p. 373. *Κατακοπρώσας τὸ βιβλίον καὶ χιασμῶν Φιλοξένου ποιήσας ἐπάξιον κοπρίας οὐκ οἶδας γράφειν ἀλλὰ κοπρίους*, qui locus etiam propter vocem *κατακοπρώσας* memorabilis est, quae deest in lexicis. Solus Phanias Eresius ap. Athen. I, p. 6, F. p. 7 A. Philoxenum propter stuprum cum Galathea Dionysii amica commissum in carcerem migrasse tradidit, cuius tamen auctoritati non multum tribuas, licet Schol. quoque ad Arist. Plut. p. 89. Hemsterh. ed. Lips.

consentire videatur. Atque reiectum in carcerem, aufugientem hinc Tarentum se contulisse aut Siciliae aut Italiae urbem, unde frustra eum ad se revocare Dionysius studuit, omnes consentiunt. — Pertinet huc quod apud veteres de *Φιλοξένου γραμματίῳ* passim invenitur enarratum. Dicitur enim identidem invitanti tyranno, nihil nisi chartam remisisse, quae tota uno signo hoc: *O* esset impleta — errat enim Schol. ad Aelii Aristid. Orat. p. 364. Frommel. *ὥστε τὸ σχῆμα τοιοῦτον γενέσθαι* ⦾ ad indicandam ipsius constantem in perseveranda negatione voluntatem. Narratur res in Proverb. Vatic. Cent. IV, 37. Schott. et a Suid. l. l. ubi olim fuit *ᾱ.* pro quo Scalig. ad Euseb. p. 107 legebat *οὔ* notans: *οὔ* esse nomen literae *O*. Eodem pertinere versum Auson. Epist. XXV.

Una fuit tantum, qua respondere Lacones

Litera et irato regi placuere negantes.

censet Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 43, qui pro vocula *οὐκ* etiam *OK* e marmore Sandovic. annotat, et ex dubio Leucadio titulo *OQ*. Sed, quod ad rem ipsam spectat, Schott. ad Prov. Vatic. Cent. IV, 37, p. 321 annotat, recte sibi videri in hoc loco narrari de Italiae Tarento, quae ap. Suidam (p. 3797) male de Siciliae, cui viri docti opinioni non sic temere subscribere velim, cum ap. Plut. de vit. a. al. p. 831 narretur, reliquisse Philoxenum *κλῆρον* suum Siculum, quia subdulcem illam, atque delicatam vitam non nisi detrimento musicarum artium videret venalem. Haud dubie igitur postquam lapidicinas effugit, in agrum suum Siculum reversus est, quam coniecturam aliquatenus sustinere videtur Schol. Plut. Ar. p. 89. Hemsterh. *φυγὼν δὲ ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Κυθήρων*.

Sed priusquam in enarranda Philoxeni vita progredior, iterum ad liquidum perducenda erit Scholiastae quaedam ad Arist. Plut. p. 58. de Philoxeno nostro traditio, per quam in similem fere ei difficultatem illabimur, quam paullo ante e medio sustulimus. Ait Scholiasta: „*αὕτη δὲ θυγατὴρ ἦν Τιμάνδρας ἥτις ἐξ Ὑκάρων τῆς Σικελίας ἦν. ταύτην δὲ Φιλοξένῳ τῷ διθυραμβοποιῷ δέδωκε Διονύσιος ὁ ἐν Σικελίᾳ τύραννος. εἰς Κόρινθον οὖν ἦλθεν ἅμα Φιλοξένῳ καὶ ἐπίδημος ἐκεῖ ἐγένετο καὶ ἐφιλήθη ὑπὸ πάντων.* Quid vero? quod iam

Alcibiades eandem Timandram in bellis circumduxisse secum fertur una cum Theodota Attico scorto, quarum consuetudini igitur ab Olymp. XCI, 4 usque ad Olymp. XCIII, 2 assueverit necesse est. Iam fingamus Timandram, cum ab Alcibiade primum amari coeperit, annos habuisse XX; eo tempore quo effugisse cum Philoxeno dicitur minime quadragesimum agebat quintum; atque vix dignum, quod tyranno acceptum referretur, donum esse potuit. Itaque si verum est (— et quidni credamus verum esse? —) Philoxenum aliquem cum Timandra Laidis scorti matre e Sicilia Corinthum appulisse, alius rursum hic fuit Philoxenus, non Cytherius sed Leucadius, quem Alcibiadis non coaetaneum tantum, sed convivam etiam fuisse in Calliae epulis iam supra diximus. Schreiber de Corintho in *„Beiträge zur genaueren Kenntniſs der alten Welt"* Tom. I, p. 197 et Bode *Gesch. der hell. Dichtk.* Tom. II, 2. p. 318 scholiastae verbis nihil diffidunt. Eadem aliter interpretatur Bergklinus. — Versabatur igitur alter quoque Philoxenus haud dubie per aliquod tempus in Sicilia, neque caussa est, cur propterea dubitationem suscitaret D. Wyttenbachius l. l. Quidni enim gulosus iste ganeo profectus in Siciliam sit ob artem coquinariam eo tempore famosissimam (conf. Arist. Daetal. ap. Athen. XII. p. 527 c.): quem constat ex Clearcho quoque in patria aliisque urbibus circumambulari solitum esse, gulae gratia. Immo de eodem Philoxeno Plutarchum intelligo de occ. viv. pag. 199 Hutt. [14]) ubi vel cum Siculo parasito, Gnathone, coniunctus exhibetur ac comparatur. Hunc igitur ex Sicilia decedentem puto cum Timandra scorto venisse Corinthum, urbem per totam antiquitatem ob effeminatam luxuriem celeberrimam, hunc porro in Graecia inter Calliae comites fuisse, eundem denique cum aliquando Ephesi ad epulas non invitatus venisset, hymenaeum supra laudatum

[14]) τοὺς μὲν γὰρ περὶ Φιλόξενον τὸν Ἐρύξιδος καὶ Γνάθωνα τὸν Σικελιώτην ἐπτοημένους περὶ τὰ ὄψα λέγουσιν ἐναπομύττεσθαι ταῖς παροψίσιν ὅπως τοὺς συνεσθίοντας διαστρέψαντες, αὐτοὶ μόνοι τῶν παρακειμένων ἐμφορηθῶσιν. — Cfr. A. Meinekius Philol. Exerc. in Athen. Spec. I, p. 24, qui sub Gnathonis nomine latere Archestratum suspicatur.

cecinisse, ad summam audientium delectationem. Sane neque hic a Dionysio tyranno potuit Timandram accipere, at hoc facile finxit, qui modo scortum fuisse Cytherii Philoxeni putaret. Accedit quod in sequentibus etiam Schol. l. l. tempora et nomina confundit, quibus detegendis erroribus multus est Hemsterhusius, qui certe rem mihi videtur satis ad liquidum perduxisse.

Post fugam Siciliensem Cytherium Philoxenum aliquando Colophone commoratum esse, Hermesianax ap. Athen. XIII, p. 598 testatur. Eundem Ephesi mortem obiisse Suid. v. Φιλόξενος tradidit. Atque Ephesum ab eo potissimum petitam esse, mirum non est, nam praeter Dianae cultum, Dionysi cultus ibidem florentissimus fuit, teste disertissimo Dionys. Perieget. v. 839—846, p. 753. Bernh.

οὐ μὰν οὐδὲ γυναῖκες ἀνόσσιαι, αἳ περὶ κεῖνο
θεῖον ἕδος χρυσοῖο καὶ ἴξυος ἅμμα βαλοῦσαι
ὀρχεῦνται θηητὸν ἑλισσόμενοι περὶ κύκλον,
εὖτε Διωνύσοιο χοροστασίας τελέουσιν.

Cfr. Pausan. II, 7. 6. Welcker *Nachtr.* p. 198. Guhl Ephes. p. 127. 28. Praeterea vero nescio an insula Cythere arctiori quodam vinculo connexa cum Ephesiis fuerit, cum Alexandri etiam Cytherii *ψαλτήριον* propter multas chordas notabile Athen. XV, p. 183 tradat inter ornamenta templo Ephesiae Dianae consecrata fuisse. V. Guhl l. l., p. 168, not. 55. Quo auctore Vossius Inst. Poet. II, p. 97. Philoxenum Dionysio satyricae poenas morte solvisse referat, me, fateor nescire: „Quam male, ait, interdum satyricis (?) cesserit ita ludere in viros principes, arguit Philoxenus satyricus (?) qui in Satyrico per Cyclopem signarat Dionysium regem, — quae res ipsa vita poetae stetit (?)." Atque Lilius Gyraldus quoque male interpretatus est Pausaniam I, 2, 3 cum „Pausaniam asserat scribere Philoxenum aliquamdiu cum Antigono rege vixisse." De Antagora Rhodio hoc traditur. — Inconsiderantius Vossium exscripsit Graefenhan *Gesch. d. cl. Phil.* p. 287.

Ceterum duo isti Philoxeni non soli in comoediis perstringuntur, sed occurrit praeterea apud comicos tertius Philoxenus *Πτερνοκοπὶς* cognominatus, et quartus denique Dio-

meensis. Philoxeni Pternocopidis primam mentionem facit Axionicus comicus in Chalcidico ap. Athen. VI, p. 299, f. (cl. VI, p. 241, e), ubi Parasitum inducit, qui se iuvenem cum Philoxeno Pternocopide parasiticam artem factitasse gloriatur his verbis (Meinek. Tom. III, p. 534, fr. I.):

Ὅτι τοῦ παρασιτεῖν πρῶτον ἠράσθην μετὰ
Φιλοξένου τῆς Πτερνοκοπίδος, νέος ἔτ' ὤν
πληγὰς ὑπέμενον κτλ.

Eiusdem postea meminit Menander in Cecryphalo ap. Athen. VI, p. 241, e. ex Lyncei [13]) Samii testimonio. Denique eum Macho Comicus in scenam introduxisse fertur, eodem teste l. l. Sed de hoc uno homine duae concurrunt dubitationes, altera quae est de cognomine ipsius *Πτερνοκοπίς*, altera de ipsa hominis persona. Verum in priori quuestione pertractanda Scweigh. Animadv. ad Athen. Tom. III, p. 409 nobis satisfecisse videtur, qui non modo Dalecampii interpretationem:

---

[13]) De Lyncei Samii loco ap. Athen. p. 242 b. E. Koepke de hypomn. Graec. Berol. 1842. 4. p. 27 not. 1 haec disputat: „Vexatum Lyncei locum: *ὧν μὲν Εὐκλείδης ἀποφθεγγόμενος οὐκ ἀξιὰ βιβλίου καὶ μνήμης τοῖς ἄλλοις ἦν ἀηδὴς καὶ ψυχρός.* Casaubonus sic mederi sibi visus est, ut *οὐκ ἀνάξια* scriberet. In sequentibus vero *καίτοιγε συνέβη τὸν μὲν Εὐκλείδη κατὰ τὸν βίον* Coraes correxit *καθ' αὐτὸν βιοῦν* et vertit: Itaque eo ventum est, ut tandem Euclides solus viveret. Schweigh. contra legi jussit *τὸν μὲν Εὐκλείδη ἀκλεῆ βιοῦν.* Neuter tamen rectum perspexisse videtur; quum de significatione vocis *καίτοιγε* parum curaverint. *καίτοιγε* enim non est: quare, itaque sed verum tamen vel sed tamen vel si quid fortius nostro *doch aber* respondet. Sensus igitur Lyncei verborum sine dubio hic est: Etsi Euclides, quae memoria teneantur digna proferens alias erat insuavis et frigidus, tamen per vitam. . . . . Cetera desunt quod etiam Dindorf lacunae signis indicavit. Totum igitur locum sic corrige: *Λυγκεὺς δὲ ἐν δευτέρῳ περὶ Μενάνδρου· ἐπὶ γελοίοις φησὶ δόξαν εἰληφότες Εὐκλείδης ὁ Σμικρίνου καὶ Φιλόξενος ἡ Πτερνοκοπίς. ὧν ὁ μὲν Εὐκλείδης ἀποφθεγγόμενος οὐκ ἀνάξια βιβλίου καὶ μνήμης ἐν τοῖς ἄλλοις ἦν ἀηδὴς καὶ ψυχρός. ὁ δὲ Φιλόξενος οὐδὲν ἐπὶ κεφαλαίου περιττὸν λέγων, ὅτι λαλήσειεν ἢ εἰ πικρανθείη πρός τινα τῶν συζώντων ἢ εἰ διηγήσατο, πᾶν ἐπαφροδισίας καὶ χάριτος ἦν μεστόν. καίτοιγε συνέβη τὸν μὲν Εὐκλείδην κατὰ τὸν βίον φιλεῖσθαι τὸν δὲ Φιλόξενον ὑπὸ πάντων ἀτιμάζεσθαι.*" — Menandri fragmentum ap. Meinek. Com. Tom. IV, p. 148; V.

„pernarum discissor ac pernicies" probavit, sed ubique etiam *Φιλόξενος ἡ Πτερνοκοπίς* unice veram esse lectionem putat. Deinde vero quod ad hominis personam spectat Meinek. hist. crit. p. 418 ubi Axionici fabulas recenset in laudatis Axionici versibus Philoxenum Eryxidis filium arbitratur intellegendum esse, indeque etiam conclusionem fieri posse de Axionici aetate, novam comoediam nondum attigisse visa. Cui v. d. opinioni eo libentius assentior, quo, quae Lynceus Samius ap. Athen. VI, p. 241 BC. de Pternocopide proferat, melius in Leucadium quoque cadant. Nam etiam huius dicta venustatis et salis plena multa ferebantur, neque idem videtur hominibus odiosus fuisse, sed omnibus perquam acceptus et gratiosus; modo comminiscamur, quantis Ephesi honoribus habitus sit. Cfr. Ephor. ap. Athen. VI, p. 246. Superest Philoxenus Diomeensis. Huius mollitiem Aristophanes perstringit in Vesp. v. 84:

καταπύγων ἐστὶν ὅ γε Φιλόξενος.

et Nubb. v. 690 sq.

Σω. ἄῤῥενα δὲ ποῖα τῶν ὀνομάτων; Στρ. μύρια,
Φιλόξενος, Μελησίας, Ἀμυνίας.
Σω. ἀλλ' ὦ πονηρὲ ταῦτά γ' ἐστ' οὐκ ἄῤῥενα.

Sed Eupolidem etiam in Civitatibus et Phrynichum in Satyris eum notasse docent Scholl. Ar. Vesp. 84 *ὁ μὲν πρὸς τὸν ἀγαθὸν τρόπον εἶπε τὸν Φιλόξενον, ὁ δὲ ὡς κύριον ἥρπασε. καὶ γὰρ ὁ Φιλόξενος ἐκωμῳδεῖτο ὡς πόρνος. Εὔπολις πόλεσιν· ἔστι δέ τις θήλεια Φιλόξενος ἐκ Διομείων. καὶ Φρύνιχος ἐν Σατύροις,* „Hinc *θηλυδριῶν χορῷ* adscribitur a Libanio pro Salt. XIX, p. 500 D.", uti annotavit Meinekius Tom. II, p. 514 (fr. XIV). Ceterum hic etiam Philoxenus Diomeensis haud dubie idem est atque Leucadius, Eryxidis filius, de cuius cum Timandra consuetudine supra diximus. Temporis ratio non obstat: nam tum Aristophanis Nubes tum Eupolidis Civitates doctae sunt Ol. LXXXIX, 2. cf. Meinek. Tom. II, p. 508. Nubes autem Aristophanis altero abhinc anno prodierunt, Olymp. LXXXIX, 4 quibus annis antea vidimus, Leucadium Philoxenum maxime sub Comicorum flagellis vapulasse.

Videntur igitur apud Comicos duo potissimum castigari Philoxeni, quorum alter Philoxenus fuit Eryxidis filius, Leucadius, sed tribui adscriptus Diomeensi, cognomine *Πτερυγοκοπίς*, iunioris Eryxidis pater; alter hoc aetate aliquanto posterior Euletidae filius, Cytherius [aut Heracleota?] dithyrambicus poeta. His denique multi alii addi possunt homonymi. Tertius est Philoxenus Siphnius de quo Pollux IV, 66 *τὸ μέντοι σιφνιάζειν καὶ χιάζειν τὸ περιέργοις μέλεσι χρῆσθαι ἀπὸ Δημοκρίτου τοῦ Χίου καὶ Φιλοξένου τοῦ Σιφνίου, ὃς καὶ Ὑπερτονίδης ἐκαλεῖτο*, nisi cum Meinek. hist. crit. p. 89 in not. corrigendum erit *Φιλοξενίδου* aut *Θεοξενίδου*, quo Suid. ducit III, p. 670. Bernhard. *Δημόκριτον τὸν Χῖον καὶ Θεοξενίδην τὸν Σίφνιον πρώτους ἐπὶ χρώματος τάξαι τὴν ἰδίαν ποίησιν*. v. Jons. Scr. hist. phil. I, 14. 8, p. 90, p. 67. Porson. Miscell. p. 29 ed. Kidd. Toup. ad Suid. T. II, p. 278, T. IV, p. 482. Forkel. *Gesch. d. Musik.* T. I. p. 300 sqq. — Quartus est grammaticus [14]) ille satis cognitus, Alexandrinus cf. Suid. v. *Φιλόξενος* et v. *Σερῆνος*. cuius glossam aliquam ab Etym. Gudian. p. 85. 44 servatam vereor ne Schoemannus perperam Philoxeno poetae adscripserit in Catalog. Lectt. Gryphisw. 1835. 4. p. 9. Dixit de hoc Philoxeno nuperrime M. H. E. Meierus in: „Commentationis Andocidiae Sextae part. tertia; sive de Lex. Rh. praef. Catal. Lectt. Halens. 1843. p. V cum not. 122, p. VII c. not. 130, p. XVIII. cfr. Meurs. Misc. Lacon. p. 337. J. Wower. Polymath. Tract. p. 60. Gisb. Koen. praef. ad Greg. Corinth. p. XIX–XXI, qui ibidem simul de nominis depravationibus in MSS. agit. — Fr. Ritschl de Oro et Orione p. 65. 76. — At de hoc alibi copiosius dicturus sum. — Quintus est scriptor de ventis, quod suspicari licet ex Theophr. de Vent. p. 65 Furlean., nisi forte ibi poeta significatur. — Sextum habemus Alexandri Magni ducem ad quem regis etiam commemoratur epistola cf. Athen. I, p. 22, d. Plut. Alex. Tom. I, p. 667 sqq. atque eundem ab Aristotele in Oecon. T. II, p. 29

---

14) Philoxenus Sidonius citatur ap. Eustath. Odyss. p. 1784, 61. Eudoc. Ion. p. 160. — Nec non Philoxeni filius Syrianus audit ap. Marinum vit. Procli p. 25: *ἐντυγχάνει πρώτῳ τῶν φιλοσόφων Συριανῷ τῷ Φιλοξένου*.

(Wech.) commemorari puto. *Φιλόξενός τις Μακεδὼν Καρίας στρατεύων δεηθεὶς χρημάτων Διονύσια ἔφασκε μέλλειν ἄγειν καὶ χορηγοὺς προέγραψε τῶν καρπῶν τοὺς εὐπορωτάτους καὶ προσέταττεν αὐτοῖς ἃ δεῖ παρασκευάζειν κτλ.* — Septimum cognomine Solenistam ex piscatore tyrannum factum esse tradidit Athen. III, p. 90, c. — Ad octavum referendus est epigramma Anthol. Palat. IX, 319 (Tom. II, p. 59 Br.) in Tlepolemum, quem Ol. LXXXI, victoriam constat retulisse κέλητι teste Paus. V, 8, 11. — Nonum medicum ex Celso cognitum habemus de Medic. VII, praef. (p. 432 ed. Wedelii) extr. „Deinde, posteaquam diducta ab aliis habere professores suos coepit; in Aegypto quoque increvit, Philoxeno maxime auctore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentissime comprehendit." Cf. C. G. Kühn Addit. ad elench. medic. a. I. Alb. Fabric. B. Gr. Vol. XIII, p. 17—456 exhibitum Lips. 4. 1826—1838 spec. XXIII. — Decimus a Polyaeno traditur tibicen VI, 10, modo ne hic quoque Cytherius intelligendus sit, quemadmodum fecit Bergleinus. l. l. p. 8 sq. — De undecimo, pictore, Sillig. in catal. artific. p. 353 haec habet: „Philoxenus pictor Eretrius, Nicomachi discipulus, qui Olymp. CX rege Philippo floruit. Hinc aetas ipsius fere in Olymp. CXIII inciderit, necesse est, unde aequalis habendus Apellis. Attamen vitam usque ad Olymp. CXVI pertendisse videtur, cum Plinius, cum Cassandro regi picturam fecisse dicat, qui regnum Macedonicum illius Olympiadis anno secundo adeptus est (Clinton F. H. p. 150, 214) nisi quidem vocem „regi" hoc loco non adeo urgendam esse statuas. Plinius igitur haec de eo habet (XXXV, 10, 36) „Philoxeni tabula nullis postferenda Cassandro regi picta, continuit Alexandri proelium cum Dario. Idem pinxit et Lasciviam in qua tres Sileni commessantur." — Duodecimum C. Avienum Philoxenum Cic. ad. Divers. XIII, 35 ut hospitem suum ac praeter hospitium etiam valde familiarem commendat Acilio proconsuli. — Tertius decimus, genere Persa servili conditione natus, qui et Xenajas Hierapolitanus, Petro Cnapheo creatus episcopus anno post Chr. 485 contra sacras imagines primus impietatis vexillum sustulit. Cf. Petav. Rat. Temp. I, p. 330. 43. Vid. Cramer Anecd. Par. Tom. II, p. 109. Henr. Bernsteinus de

Charklensi N. T. translatione syriaca. Vratisl. 1837. 4. p. 3 sq. — Quartus decimus anno post Chr. 525 Romae consul fuit cum Probo iuniore. — Philoxenes (nisi Philoxenus scribendum) geographus, ut videtur, occurrit bis ap. Schol. Lycophr. Cassandr. 1085. 1185 *ΛΑΜΗΤΙΑΙΣ ΔΙΝΑΙΣ*] ταῖς τοῦ Λάμητος ποταμοῦ Ἰταλίας, ὥς φησι Φιλοξένης. Fortasse idem nomen restituendum Cyrilli Lexico ap. Cramer An. Paris. Tom. IV, p. 184. 23 Κάϊκος ποτάμὸς Μυσίας, ὡς Δημήτριος καὶ Φιλόξενος μαρτυρεῖ.

Sed iam ad Cytherium revertor Philoxenum de cuius vita, cum accuratius, quam factum hucusque erat exposuerim, superest, ut de ingenio hominis, carminumque ipsius quae aetatem tulerunt reliquiis disseram.

Scripsit hic teste Suid. l. l. et Eudoc. ap. Villois. Anecd. Gr. Tom. I, p. 428 dithyrambos XXIV et Aeacidarum lyricam genealogiam. Fortasse vero ipsa illa genealogia lyrica dithyrambus fuit, quae res non parvam inde probabilitatem induit, quoniam Praxillae quoque Achillem novimus dithyrambum fuisse. Omnino Achillis saepius laudationes a poetis factas esse, ex Aristot. Rh. III, 17 pag. 209 apparere videtur, ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς δεῖ τὸν λόγον ἐπεισοδιοῦν ἐπαίνοις, οἷον Ἰσοκράτης ποιεῖ καὶ ὃ ἔλεγε Γοργίας, ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος. τοῦτό ἐστιν· εἰ γὰρ Ἀχιλλέα λέγει, Πηλέα ἐπαινεῖ· εἶτα τὸν Αἰακὸν εἶτα τὸν θεόν. Cfr. Horat. Od. III, 21. 3: „Narras et genus Aeaci." Quod si verum suspicamur, simili modo puto hoc carmen comparatum fuisse, quam Pind. Pyth. IV, quo argonautica melice decantantur. Dithyrambum: *Μυσοὶ* inscriptum Aristotele Polit. VIII, 7 teste composuit (— certissima enim Schneideri emendatio est pro corrupto: μύθους) probata etiam Goettlingio, Coraesio, Stahrio, Berglenno); quo quid tentaverit, fortasse ex Imagg. Philostr. in Mysorum descriptione cognosci potest: τί δ' ἂν εἴποις περὶ τῶν τρυγώντων, οἱ διὰ στενῆς ταύτης εἰσόδου εὐφρήσαντες ἑαυτούς, ταλάροις ἐναποτίθενται τὸν καρπὸν μάλα ἡδεῖς καὶ προσφόροι τὴν ἡλικίαν τῷ ἔργῳ, παρθένοι γὰρ καὶ ἤϊθεοι εὔιον καὶ βακχικὸν ἐν ῥυθμῷ βαίνουσιν ἐνδιδόντες αὐτοῖς τὸν ῥυθμὸν ἑτέρου, ὃν οἶμαι ξυνίης ἐπί τε τῆς κιθάρας καὶ τοῦ λεπτὸν

προσᾴδειν δοκεῖν τοῖς φθόγγοις. Nec de Mysis conferre non iuvabit Alexandr. Aetol. fr. XIV, p. 82 Capellm. (ap. Strab. XII, p. 566, XIV, p. 681) *καὶ ὁ Αἰτωλὸς Ἀλέξανδρος.*

Οἳ καὶ ἐπ' Ἀσκανίων δώματ' ἔχουσι ῥοῶν
Λίμνης Ἀσκανίης ἐπὶ χείλεσιν ἔνθα Δολίων
Υἱὸς Σιληνοῦ νάσσατο καὶ Μελίης.

(*οἱ* sc. *Μυσοί*). [15]) Ad eundem Aristotelis locum Antonius Viperanus Poet. c. III respiciens idem quod Aristoteles de Philoxeno narrat memoria lapsus de Polyxeno quodam refert; quare a Vossio Instit. Poet. III, p. 90 castigatur. Ceterum Schneideri conjectura commendatur etiam alterius dithyrambi titulo *Σύρος* [16]), quem ab eodem Philoxeno esse profectum, Hesychio s. v. *Μεσαύχενες* credimus: „*Ἀριστοφάνης* [17]) *φησὶ Μεσαύχενας νεκύας ἀσιάτους. διὰ τοῦ μ̄ γραπτέον, Μεσαύχενας, ὅτι μέσσον αὐχένα αὐτοῦ πιέζει παρεβάλλοντο τὸ σχοινίον. τραγῳδεῖ δὲ τὰ ἐν τῷ Φιλοξένου Σύρῳ. ἔνιοι δὲ διὰ τοῦ δ̄ γράφουσι καὶ οὐ καλῶς.*" Lege: „*Ἀ. φ. Μεσαύχενας ἀνελκύοντας* [*τοὺς*] *ὤμους. διὰ τοῦ μ̄ γραπτέον· μεσαύχενας, ὅτι μέσον αὐχένα ἀσκοῦ πιέζει περιβαλλόμενον τὸ σχοινίον. τραγῳδεῖ δὲ κτλ. — ἔνιοι δὲ διὰ τοῦ δ̄ γράφουσι, καὶ οὐ κακῶς.*" quam loci depravatissimi emendationem facile se commendaturam esse unicuique confido, qui Pollucem contulerit p. 102 Seber: *βυσαύχην δὲ ὁ τοὺς ὤμους ἀνέλκων — καὶ βυσαυχένας Ἀριστοφάνης τοὺς ἀσκοὺς κέκληκεν.* Berglein tentaverat: „*περιβάλλων τὸ σχοινίον. παρῳδεῖ δὲ τὰ ἐν τῷ Φ. Σισύφῳ* (an *Σκύρῳ?*)". Nulla de caussa. De voce *τραγῳδεῖ* cfr. Sinten. ad Plut. Pericl. p. 197, Melet.

[15]) Quae si computamus, facile Berglkini conjectura supersedebimus, qui Mysis dithyrambo fabulam de Telephi erroribus tractatam esse arbitratur.

[16]) *Σύρον* Nicostratus scripsit teste Athen. XIV. p. 615 F. 664 B., tamen nihil inde lucis nostro poemati suboritur. Paulo majoris fructus fortasse Anaxandrides erit in Phialophoro Athen. IV, p. 176.

Α. τὸν ἐμὸν μόναυλον ποῖ τέτροφας; οὗτος Σύρε!
Β. ποῖον μόναυλον; Α. τὸν κάλαμον κτλ.

[17]) De Hesychii loco hoc notandus error Meieri in Comment. Andocid. VI. part. 2, p. XII, not. 29 qui glossam hanc putat Aristophanis grammatici; renuente licet Polluce.

III, p. 69. Heindorf. ad Platon. Phaedon. p. 104. „In voce vero νέκυας, quam corruptam ducit, latere nomen suspicatur Bergleinus, quo bestia aliqua significetur, et ad quod Hesychii verba: ὅτι μέσον αὐχένα αὐτοῦ referri possint." His vestigiis insistens Schneidewinus in libro: Goettinger gelehrte Anzeigen St. 66, pag. 659 probabiliter pro sua sententia expunxit: μεσαυχένας. κυνὸς ἀσκούς. Vix in animum induicam vel simile esse veri. Ceterum quod ibidem Schneidewinus proposuit περιβαλλόμενον τὸ prior ipse correxeram. — Κωμαστής quoque quod παρακλαυσίθυρον lyricum fuisse suspicatur Bergleinus p. 37 aut Antigenidae aut Philoxeni poema fuit, haud dubie dithyrambicum. Male enim Kusterus ad Suidae l. l. et Burettus Mem. Acad. Tom. XIII, p. 302. Comasten comoediam vocat. cf. Suidas v. Ἀντιγενίδας. Meineк. histor. crit. Tom. 1, p. 254. Ceterum fabulas nomine Κωμασταὶ inscriptas multi veteres docuerunt comici, Ameipsias (cf. Meinek. hist. crit. p. 204), Eubulides (id. p. 421), Philippus (p. 341), Phrynichus (p. 154, 341), denique Theocriteum idyllium tertium modo Ἀμαρυλλίς modo Αἰπόλος modo κωμαστής inscribitur. Vide tamen, quae de Comaste et utroque Antigenida disputabimus infra cap. IV, 5. Nec sine veri specie fortasse conlicias Φαέθοντα etiam inter ipsius dithyrambos exstitisse, siquidem Plinius H. N. XXXVII, 2: „Et electrum appellatum, quoniam Sol vocitatus sit Elector[18]) plurimi poetae dixere, primique ut arbitror Aeschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus." Nam et Lucian. de Salt. p. 128, Tom. IV. Cogn. innuit hanc fabulam ad mimicam artis ostentationem maxime accommodatam esse: „καὶ ἐν Ἰταλίᾳ δὲ ὁ Ἠριδανὸς καὶ Φαέθων καὶ αἴγειροι ἀδελφαὶ θρηνοῦσαι καὶ ἤλεκτρον δακρύουσαι. cfr. Nonn. Dionys. l. XXXVIII, 98. Nitsch. Myth. WB. pag. 1627. De Aeschyli Heliad. vid.

[18]) Elector scripsi levi medela adhibita ex Hom. Il. VI, 513. ubi cfr. Spitznerus; et Euphorione ap. Clement. Alex. Strom. IV, p. 207. Sylb. eamque emendationem probavi si quid video Schneidewino Annall. critt. Berol. p. 509 (1844). — Eandem medicinam jam Isidoro XVI, 23 allatam video a Meinek. Anall. Alex. p. 112, qui tamen Pliniani loci immemor fuit, licet ex hoc sua delibasse Isidorum probabile sit.

Welckeri Aesch. Tril. p. 566 sqq. — Hi igitur non nisi IV sunt dithyramborum tituli, quibus iam quinto loco accedit *Κύκλωψ ἢ Γαλάτεια*, carmen nunc pro dithyrambo nunc pro tragoedia venditum, sed quod Aelian. V. H. XII, c. 4 *τῶν αὐτοῦ μελῶν τὸ κάλλιστον* appellat. At vero nomorum quos cecinit hodie ne nomen quidem superest; tamen una cum Timothei nomis certis anni diebus ab Arcadica iuventute in theatris recitatos esse, Aristoteles Polit. VIII, 7. Polyb. IV, 20. 9. Athen. XIV, p. 626 b. tradiderunt.

Tot igitur tamque egregia carmina, cum nobis iniqua temporum condicio praeripuerit, ecce tibi ex alio Philoxeni poemate *Δεῖπνον* inscripto, tot apud Athenaeum undique latent reliquiae, ut non multum erraveris, si fere integrum ab ipso carmen conservatum putes. Verum ut incorrupto gaudio frui possis, ne sic quidem factum est, cum ipsa illa fragmenta in Athenaeo omnium sint difficillima ac miserrime corrupta. Itaque Casaub. ad Lib. IV, p. 470 ait: „Constat nobis ex lectione poetam mira ingenii lascivia convivium fictum a se fictis vocibus planeque insolentibus descripsisse. Ludicra enim fuit res tota, ac ridicule a faceto poeta descripta. Quare mirum non est, obscura haec esse, ut interea de mendis nihil dicam. Nos et emendandi operam omnem inanem censemus: quis enim mente se assecuturum esse speret, quod sine ratione et *τοῦ γελοίου μόνου χάριν* bambalio aliquis effutierit." Haec ille, et non solum ipse ne verbum quidem ad emendandos locos vel metrum restituendum attulit, sed sua etiam auctoritate prohibuit, ne posteri in emendandis tam desperatis locis vires ingeniumque tentarent. Paucula enim Jacobsius paucula etiam eaque satis luculenta Schweighaeuserus aggressi sunt; Raph. Fiorillo, qui de industria in Observv. critt. ad Athen. P. I, p. 86—92 omnia Philoxenea pertractat, tametsi in tollendis quibusvis monstris ferocissimum se ac felicissimum glorietur, tamen in levissimis metri vestigiis tute acquievit, intactaque omnia tactu asperiora reliquit [19]). Th. Bergkius

[19]) Tamen Fiorillo de consilio totius carminis hoc bene monuit p. 86: „videri sibi carmen post coenam cantatum ad risum commovendum quippe quod lepidissime, quomodo tabula sit instruenda docuerit;

deinde in Actt. Soc. Gr. Lips. 1836. ed. FUNCKH. et WESTERM. nonnulla tractavit, complura ingeniose nonnulla satis infeliciter tentans. Postea MEINEK. Comm. Gr. Frag. Tom. III, pag. 655 Epimetrum de Philoxeni Convivio addidit, ubi de metris tantum obiter disseruit, sed totam Athenaei eclogam XIV, p. 643 a. ita a se correctam edidit, ut perpauca nobis corrigenda ac mutanda reliquerit. Alterum tamen fragmentum, prius idemque longius ne hic quidem aggredi ausus est, sed nonnullos tantum versus passim emendavit, illustravitque. Cf. Com. Gr. Fr. Tom. III, p. 146, 637, 39. Tom. II, p. 306, Tom. III, p. 638. Nuperrime denique TH. BERGK. in Poett. Lyr. Graec. (Lips. 1842. 8.) p. 851 — 860. Philoxeni quoque fragmenta omnia fere collegit et quantum potuit castigata edidit. Sunt tamen haud pauci convivii loci, quos expedire se aut noluisse aut non potuisse ingenue confitetur vir doctissimus, in quo spem nostram partim fefellit partim erexit. Nam sane fefellit exspectationem meam, quia quae est BERGKII in coniiciendo dexteritas, inque emendando felicitas, ita convivium ab eo omnibus mendis purgatum esse putavi, ut meam, quantulamcunque operam, quam hucusque in eadem re posueram, prorsus irritam fecerit, quamquam hoc magis gavisus essem, quam doluissem; erexit vero spem nostram, quoniam, licet complura sane egregie restituerit, haud pauciora tamen a me aut melius emendata, aut certe ad veri speciem propius adacta confiderem. Sequantur igitur nunc convivii quae supersunt, et correcta, et metris restituta, et versione reddita Latina; quam ego propterea imprimis adiiciendam curavi, quia longiore commentario supersedere volui.

initium vero tabulae describi lib. IV. p. 146, E. 147, F. XI, 409, E. finem XI. pag. 489, B. Adde MEINEK. Philol. Exerc. Sp. I, pag. 14. Berl. 1843. 4to.

PHILOXENI CONVIVIUM.

I. [20])

— — — — — — — — — — — — —

εἰς δ᾽ ἔφερον διπλόοι παῖδες λιπαρῶπα τραπέζαν
ἄμμ᾽ ἑτέραν ἕτεροι, ἄλλοι δ᾽ ἑτέραν, μέχρι οὗ πλήρωσαν
οἶκον
ταὶ δὲ πρὸς ὑψιλύχνους ἔςιλβον αὐγάς,
ΕΥστεφάνοις λαΚάνΑις παροψίσι τ᾽ ὀξυβάφων πλήρεις
[πάνυ] σύν τε χλιδῶσαι,
παντοδαποῖσ[ι] τέχνας εὑρήμασι πρὸς βιοτάν, ψυχᾶς δε-
λεασματίοισι[ν].

— — — — — — — — — — — —

πάρφερον ἐν κανέοις μάζας χιονοχρόας. ἄλλοι δ᾽ — —
[τοῖς δ᾽] ἔπι πρῶτα παρῆλθ᾽ οὐ κάκκαβος, ὦ φιλότας,
ἀλλὰ * λόπας * Ἧστο μέγιστον
παντεπαΛέC, λιπαροΥ τ᾽ ἐΞ ἐγχελεΩνΟς ἀρίστΩν
γογγριΔίων ἸτΑμῶν πλῆρες θεοτερπές. ἐπ᾽ αὐτῷ δ᾽
ἄλλο παρῆλθε τόσον. βατις [δ᾽ ἐ]νέηΣ ἰσόκυκλος.
μικρὰ δὲ κακκάβι᾽ ἧς ἔχοντα τὸ μὲν γαλεοῦ τι Σάρκιον
ἘλλοπΙ῀ης, ἕτερον [δ᾽ ἐμ]πίΠΛαΤο τευθιδ[ίων] καὶ
σηπιοπο[υ]λυποδ[ε]ίων [τῶν] ἁπαλοπλοκάμων. θερμός μετὰ
ταῦτα παρῆλθεν
ἰσοτράπεζος ὅλος νῆστΙς πυρὸς [ἁδὺ] συνό[σ]δων
[τηλόσε] βαθμό[θεν] ἀτμίζων. ἐπὶ τῷ δ᾽ ἐπιπΑσταί
τευθίδες, ὦ φίλΕ καὶ ξανθαὶ μέλι καρίδες αἱ κυΡΤαὶ
παρῆλθον.
θρυμματίδες δ᾽ ἐπὶ ταύταις ε[ὐ]πέταλοι χλΟΕραί τε
Ἀδυφάρυγγες [⏑ — ⏓] πύριν[α] ΚΑΙ στεγ[α]ναὶ φύσται
μέγεθος [⏑⏑] κακκάβου γλυκυόξΕΕς [— ⏓]·

[20]) Omnia quae in his fragmentis uncis inclusa sunt, desunt quidem in Codd. addantur tamen necesse est, aut propter metrum aut sententiarum nexum; quae vero literis majusculis expressa sunt ea conjectura aut aliena aut nostra nituntur, denique asteriscis * ____ * inclusa dubitanter aut novavi, aut expedire non potui.

ὄμφαλος θοίνας καλεῖται παρά γ' ἐμὶν καὶ τὶν σάφ' οἶδα.
εἶτα δέ, ναὶ μὰ θεούς, ὑπερμεγεθΈς τέμ[αχ]ος θύΝΝου
'μόλεν ... ἐκειθεν,
θερμόν, ὅθεν ΠΟλύΠο[υ]ς τετ[μη]μένος εὐθὺς ὑπ' αὐτάς
τὰς ὑπογαστρίδας [ἦλθεν. τῶν δὲ] διανεκέΩς ἔπαΙΝΟΣ
ἐμίν τε μέλοι καὶ τίν, μάλα κεν κεχαροίμεθ' ....
ἀλλ' ὅθεν ἐλλίπομεC, θοίνα παρέης, ἅ τ' Ἀπολλὸ ξαι δύ-
να[ι]τ[ο]
[Λιμὸν] ἐπικρατέως. [λ]έγω γ' ὅτι οὖν κΕ λέγοι τις
πάντα παρῆΣ ἐκΥμῶς. Ἄμμιν, παρέπΑΙσε δὲ θερμόν
σπλαγχνόν. ἔπειτα δὲ νῆστις δέλφακος οἰκετικᾶς καὶ
νῶτός ἐCῆλΘε καὶ ὀσφῦς καὶ μινυρίγματα θερμά.
καὶ κεφάλαιον ὅλον διαπτυχὲς ἐφθὸν * ἀπερπόν *
Τῆνος ἀλεκτρατρόφου πνικτᾶς ἐρίφου παρέθηκεν
εἶτα διεφθὰ 'κροκώλια σχελίδας τε μετ' αὐτῶν
— λευκοφαρινοχρόους ῥύγχη, κεφάλαια πόδΑς τε χνα[υ]μά-
κιόντε σεσι[λ]φ[ι]ωμένον.—
ἐφθά τ' ἔπειτα κρέα, ὀπτ' ἄλλ', ἐρίφων τε καὶ ἄρνων
ἁΔὺ ΤέρΑΣ μακάρΕς[σι]χορδΑ [ἔπειτα] γλύκΙστα
μίξεριφαρνογενής, ἂν δὴ φιλέοντι θεοί, τΑὖτ' ὦ φιλότας
[— —] ἔσθοις κΕ. λαγῷά τ' ἔπειτ' ἀλεκτρυόνων τε
νεοσσοί, περδίκων φασΣῶν τε χύδαν.
ἤδη δὲ παρεβάλλετο θερμὰ [πολλὰ?] καὶ μαλακοπτυχέων
ἄρτων ὄΧος.
σύζυγα δὲ ξανθόν τ' ἐπεισῆλθεν μέλι καὶ γάλα σύμπακτον
τό κΕ τυρὸν ἄπας τις
ἦμεν ἔφασΧ' ἁπαλόν, κἀγὼν ἐφάμαν, ὅτε δ' ἤδη
βρώτυος ἠδὲ ποτᾶτος ἐς κόρον ἦμεν ἑταῖροι
τῆνα μὲν ἐξαπάειρον δμῶες. ἔπειτα δὲ παῖδες
νίπτρ' ἔδοσαν κατὰ χειρΩν.

II.

— — — — σμήγμασιν ἰρινομίκτοις χΛΙΑροθαλπὲς
ὕδωρ ἐπεγχέοντες
τόσσον, ὅσον [τις] ἔχρηζ'. ἐκτρίμματα [— ◡ ◡] λαμπρά
σινδονυφῆ δίδοσαν [τε] χρίματ[ά τ'] ἀμβροσιόδμα καὶ στεφά-
νους ἰοθαλίας.

III.

— — — — ⏑⏑ — — κατὰ χειρὸς δ'
ἤλυθ' ὕδωρ ἁπαλὸς παιδίσκος ἐν ἀργυρέα χέρων πρόχόῳ
ἐπέχευεν
εἶτ' ἔφερεν στέφανο[ν] λεπτᾶς ἀπὸ μυρτίδ[ΟΣ] εὐγνήτων
κλαδ[ί]ων ΘΥθΛΛΩεον.

IV.

— — — — ⏑⏑ — — σὺ δὲ τάνδε
ΒακχίοΥ εὔδροσον [εὐ]πλήρη μετανιπτρίδα δέξαι·
πραΰ τί τοι Βρόμιος γάνος τόδε δοὺς ἐπὶ τέρψιν
πάντας ἄγει.

V.

[τότε δ' ἐν] ἐπίνετο νεκτάρεον πῶμ'
ἐν χρυσ[ε]αῖς προτομαῖς Καλῶν κεράτων· ἔβρεχοντο δ'
[αὖ] κατὰ μικρὸν [ἅπαντες]

VI.

τὰς δὲ δὴ πρόσθεν πολούσας [⏑ ⏑ — —] λιπαραυγεῖς
πορθμίδας πολλῶν ἀγαθῶν πάλιν εἴσφερον γεμούσας
τὰς ἐφάμεροι καλΕΥντι νῦν τραπέζας [δευτέρας]
ἀθάνατοι δέ τ' Ἀμαλθείας κέρας·
ταῖσ[ι] δ' ἐν μέσαισ[ιν] ἐγκαθιδρύθη μέγα χάρμα βροτοῖς
λευκὸς μυελὸς γλυκερός, λεπτοῖς ἀράχνας ἐνα-
λιγκίο[ι]σ[ι] πέπλοις
συγκαλύπτων ὄψιν αἰσχύνας ὕπο, μὴ κατίδη τις
μΑλογενὲς [⏑ ⏑ — —] πῶυ λιπαΘντ' [ἐν] ἀνάγκαις
ξηρὸν ἐν ξηραῖς Ἀρισταίου παλιρρύτοις πάγΘις·
τῷ δ' ὄνομ' ἦς ἄμυλος. χερσὶν δ' ἐπέθεντο στόμιον μα-
κραῖς * τᾶς
δεξαμένην ὅτι καὶ διδῷ τις * ἃ Ζανὸς καλΕΥντι
τρώγματ'. ἔπειτ' ἐπένειμαν ἐΓΧΥυΘχνακομιγὲς πεφρυγ-
μένον
πυροβρομ[ωχρ]ολεβινθακανθοσΥΝ[εκ]κρισο[ν] ἁδὺ
βρῶμα τὸ παγΚατάμικτον. ἀμπυριχηροϊδΙΠτΥχας καρ-
εγίνετο τούτοις

[σ]ταιτινοκογχομαΠΗς [ὅ] τΕ ΖΕσελ[αι]οξανθεπιπαΓκα-πύρ[ωτ]ος
χόΝΔριωΟς ἀδέα δ' εὐκύκλωΘ' ὁμόφωκτ' ἀνάριθμα,
καὶ μελίπηκτα τετυγμέν' ἄφθονα σασαμόφωκτα.
τυρακίνας τε γάλακτι καὶ μέλι συγκατάφυρτος
ἦς ἄμυλος πλαθανί[τας]. σασαμοΤυΡοπαγῆ δὲ
καὶ ζεσελαιοπαγῆ πλατύν[ε]το σασαμόπαστα
πέμματα κᾆΤ' ἐρέβινθο[ι] κυακομιγεῖς ἁπαλαῖς θάλλοντες ὥραις
[ᾠά τ'] ἀμυγδαλίδες [τε] τΩν μαλακοφλοΐων [— — ◡] τετρώΓατε παισίν.
ἀδυεδῆ κάρυ', ἄλλα Θ' ὅσσα πρέπει παρὰ θοίναν
ὀλβιόπλουτον [ἔμεν] πόσις δ' ἐπεραίνετο κότταβοί τε λόγοι τ' ἐπΙ κ[ο]ινᾶς
ἔνθα τι κΑΙνὸν ἐλέχθη κομψὸν ἀθυρμάτιον καὶ
θαύμασαν αὔτ', ἔπι τ' ᾔνησαν . . . .

Versio:

Ecce autem gemini nitidas apponere mensas
Depróperant pueri, struit hanc nobis aliud par;
Sed vobis alias alii struxere jugales,
Donec complerant lautis penetralia mensis.
Nec rutilis illae quidquam cessere lucernis
Splendentes patinis sertisque paropsidibusque
Multisque oxybaphis: fulgebat denique, quidquid
Aut ars in vitae varios invenerat usus
Aut blanda recreare animum dulcedine possit.
Succincti volitant pueri cumulantque canistris
Dona laboratae Cereris nive candidiora.
Nec mora: transcurrunt alii — — — — —
Sed ne forte putes, flutis caruisse protervis
Convivium aut paucas tenui latuisse catillo
Maxima lanx nobis jucunda onerataque venit,
Pinguia quas domino praebent vivaria opimas.
His ubi sublatis alius tulit aequirotundum
Mazonomum, parvum gabatarum par volat intro.

Alter erat discus musteli plenus, at alter
Sepiolis lolliginibus polypisque repletus
Mollicomis: properat post hos muraena electa,
Porrecta in mensa flammisque recentibus halans
Necdum ingressa fores dulces diffundit odores.
Quin etiam sulsae lampredae deinde sequutae,
Puniceaeque favis squillae curvaeque locustae.
Tinctaque melle intrant foliacea crustula flavo;
Et quibus urbano nihil aeque est dulce palato,
Ignitae veniunt tibi dulcacidaeque placentae.
Umbonem (teneo) coenae vocitamus uterque.
Quin etiam polypi sublato segmine tosti
Pelamydis venit frustum, proh Juppiter! ingens
Assatae, quod ubi nostros properanter edaces
Incidit in stomachos, leni dulcedine cunctos
Compulit in plausum laude et resonare coëgit.
Ac tantum pueris tollendum liquimus, unde
Fortiter obstiterit, quem presserit ardor edendi.
Ac licet effari nullo renuente sodali:
„Splendida fulgebant lauto convivia luxu."
Fervescentia procedunt dehinc ilia porci
Tergora spina duplex atque intestina bimestris
Exstaque divolsa in patinis numerosa profundis.
Cum capite inde venit cervix elixa capellae
Coctilis innuptae, veniunt quoque trunculi et armi
Elixi sparsa et multo sale non sine farre.
Rostra dehinc, capitella, pedes, bellaria succo
Tincta Cyrenaico.
Inde domata caro ferventibus adstitit undis,
Hinc assata fremunt agninacaprinaque membra;
Suavia coelicolis, et quae gratissima divis
Munera solvuntur superis fumantibus aris
Dulcia viscera erant agninocaprina parata.
Vidimus et lepores poni gallosque tenellos
Perdicesque intro et pavidas volitare palumbes.
Denique tostorum sat erat laganûmque canistris.
Tum flavi mellis niveaeque coagula lactis

Caseus intravit summo laudatus et imo
Molliculus, neque ego potui non dicere mollem.
Postquam prima quies epulis mensaeque remotae
Dant famuli manibus lymphas violasque capillo,
Purpureas et aromatibus simul irinomixtis,
Ambrosiis, portant tonsis mantilia villis.
Lympha data est manibus; puer hanc aetate tenellus
Ex argentato properat dispergere gutto;
Sertaque divino tenerae de palmite myrtus
Lemniscata gerit — — — — —
— — — — Coenae pater hic compellat amicos:
„Nunc age roscida nunc spumantia pocula, sodes,
„Sume Thyonei; Bromius mortalibus almae
„Laetitiae est, mihi crede, dator." — — —
— — — — — — Paruere bibentes
Nectareoque implent calices largoque Lyaeo
Cornigeros; madidos poteras mox cernere cunctos.
Interea avectos properant post pocula nobis
Magnificos pueri rursum importare phaselos.
Quas mensas homines dicunt, sed numina cornu
Ditis Amaltheae Jovis omnipotentis alumnae.
Ponuntur medio jucundae terrigenarum
Deliciae, dulcis nive candidiorque medulla,
Sub tenero, gracili pede qualia ducit Arachne
Fila, verecunde condens velamine vultus;
Invento Arcadii ne quis densata magistri
Flumina conspiciat pressis manantia mammis;
Quae aut amylum vocitant Jovis aut bellaria dicunt.
Nunc quoque distribuunt mixtenchytocartamifrixum
Ervicicerculacanthinotriticavenogulosum
Nobile pulmentum, varia Cerere undique mixtum.
Inde ignita duplex mellitaque triticoconchis
Advenit atque oleo flavum ptisanarium oryzae.
Circuli et innumeri veniunt frixi bene fusi;
Et dulces globuli melliti sesamotosti.
Caseus hinc et mel niveo et cum lacte farina.
Pemmata tunc oleo ferventia sesamispersa

Cumque croco ciceres subnati tempore veris.
Saxosaeque nuces pueri illa crepundia parvi
Et quaecunque epulis decet apposuisse benignis
Copia larga fuit nobis ante ora parata.
His ubi sublatis craterae et vina reposta;
Cottabus auditur, vocesque per atria laetas
Ampla volutamus, festivaque multa jocati
Pars nova miramur, pars obstupuere silentes.
— — —, — — — — — — — —

Adnotatio critica.

I.

(Bergk. P. L. Gr. fr. 2, p. 851).

Athen. IV, 146. E. — 147. F. *Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ (εἴπερ τούτου καὶ ὁ κωμῳδοποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου) ταύτην ἐκτίθεται παρασκευὴν δείπνου· εἰς δ' ἔφερον κτλ.* — Eustath. Od. *α'* 45, p. 1398. 61. *Ἰστέον δὲ ὅτι τε τοῦ, ἡ γλαυκῶπις, ἀρσενικὸν ὁ γλαυκώπης ὁμοίως τῷ ὁ κυνώπης οὗ κλητικὴ ἐν Ἰλιάδι τὸ, ὦ κυνῶπα. καὶ ὅτι πανταχῶς τὰ παρὰ τὸν ὦπα σχηματίζονται. ἤγουν τὰ μὲν ἐξ αὐτῆς τῆς εὐθείας ὀξυτόνως οἷον γλαυκώψ, ὅθεν γλαυκῶπες δράκοντες· εὐώψ ὅθεν εὐῶπες κοῦραι παρὰ Λυκόφρονι. λιπαρώψ, οὗ χρῆσις παρὰ τῷ Φιλοξένῳ ἐν τῷ· εἰς δ' ἔφερον κτλ.* [21])

v. 2. *ἄμμ' ἑτέραν ἕτεροι* scripsi pro Codd. lectione: *ἄμμι δ' ἑτέραν δ'.* Th. Bergkius Actt. Societ. Graec. Vol. I, p. 207 et Lyrr. Gr. p. 851. *ἄμμ'· ἕτεροι δ' ἑτέραν κτλ.* — ib. *μέχρι*] duo codd. *μέχρις.* — v. 4. *εὐστεφάνοις.* Libb. *αἰστεφάνοις.* Correxit Bergkius. Simile vitium est in Sapphus fragm. ap. Schol. Aristoph. Thesmoph. 401 (Bekk. pag. 274) *Σαπφώ· αὐταόρα αἰστεφανηπλόκουν* quod Ahrensius de Dial.

---

[21]) Koen. ad Gregor. Cor. p. 123 hanc eclogam „plusquam Cimmeriis involutam tenebris" vocat.

Aeol. p. 273 et Bergkius p. 607 probabiliter emendarunt: *αὖτα γὰρ* (*δ'* Ahr.) *ὡράα στεφανηπλόκουν* (*ἐστεφανηπλόκην* A.). — *λακάναις* Bergk. vulg. *λαχάνοις*. Possis etiam *λαγάνοις* suspicari. — *τ'* B., vulgo *τε*. — [*πάνυ*] Bergk. in Actt. p. 207, in P. L. G. [*μάλα*]. Illud praestare videtur. — v. 5. *παντοδαποῖσι*] B., vulgo *παντοδαπούς*. Schweighaeuserus dederat: *παντοδαποῖς*. — Ib. *εὑρήμασι* unus cod., ap. Schweigh. A. habet *εὑρήματι* unde Schweigh. jam conjectura verum expediverat. Relicui *εὑρήκατι* unde Koen. ad Gregor. Corinth. p. 150. *εὑρήκαντι*. Raph. Fiorillo a vulgata non recessit. Ceterum simillimam invenies elocutionem apud Xenarchum sive Timoclem in Porphyra ap. Athen. VII, p. 319. A. *ἰχθυδίοις εὕρηκα παντοδαποὺς τέχνας*. — v. 7. Ante hunc versum desunt nonnulla. Bergkius in Actt. l. l. supplevit: [*εἶτα δὲ πρόσπολοι ἄλλοι*]; in P. L. G. asteriscos posuit. — *πάρφερον ἐν κανέοις* B., v. *παρέφερον ἐν κανέοισι*. Post *ἄλλοι δ'* cum Bergkio lacunam indicavi. — v. 8. *τοῖς δ' ἔπι πρῶτα παρῆλθ'*] B., libb. *παρῆλθεν*. et *ἐπεὶ*. — ib. *ἀλλὰ * λόπας * ἦστο*] scripsi dubitanter. Nam *ἡ λοπὰς* sexcenties occurrit, at vero *τὸ λόπας* nusquam inveni, sed ad analogiam vocis *τὸ δέπας* novare ausus sum. *λοπὰς ἦστο*, jam Fiorillo scripsit. Codd. *ἀλλ' ἀλλοπλατεῖς τὸ, ἀλοπλατεῖς, ἀλοπατεῖς*. Bergkius: „Emendare nequeo". Similiter inter *κάκαβον* et *λοπάδα* distinxit Antiphanes Athenaei IV, p. 169 ubi fortasse legendum: *σὺ δ' ἴσως ἂν εἴποις λόπας*. — v. 9. *παντε παλές*] scripsi. Codd. *πάντ' ἔπαθε*[*ν*], *πάντη ἔπεσθεν*. Bergkius *πανταχόθεν*, at non credo tam notum verbum hujusmodi corruptiones passum esse. — *λιπαροῦ τ' ἐξ*] scripsi. Libb. *λιπαρόντες*, *λιπαρόν τ' ἐς*, *λιπαρόν*. Bergkius *λιπαρῶπες*. — *ἐγχελειῶνος*] scripsi. Codd. *ἐγχέλεά τινες* Bergkius emendare nequivit. Sed nescio, quo errore in his versibus iterum *ΩN* in *ΠA* velut hic in *AΠ* abierit. — *ἀρίστων*] dedi. Codd. *ἄριστον*. — v. 10. *γογγριδίων ἰταμῶν*] scripsi. Codd. *γογγροιτοιωνητεμῶν*. Bergkius non expedivit. — Sensus v. 7 — 9 est hic: Postquam primae dapes sublatae sunt, non olla supervenit sed patina perampla, penitus illa fervida, atque opimo ex vivario (depromptarum) optimae notae flutarum protervarum referta, delicata. — v. 11. *βατὶς*

δ' ἐνέης] Bergkius, vulgo βαστιςνέην. Sic Epicharmus frag. 38, (Ahrens de dial. Dor. pag. 442.) κίθαρος ἐνῆς, fragm. 28 ἐνῆν δὲ σκιαθίδες. — v. 12. κακκάβι' ἧς] Bergkius pro κακκαβίης vel κακκαβι' librorum. — ibid. γαλεοῦ τι σάρκιον scripsi. Vulgo γαλεοῦ τινάρκιον vel γαλεοῦ τι νάρκιον. Bergkius in Actt. p. 208. γαλεοῦ τι κράνιον, in P. L. G. p. 852. γ. τι: ἄρκιον, — quod non capio. — v. 13. ἐλλοπίης] scripsi: vulgo ἄλλο παρῆς. Simili modo ἐλλοπίης depravatum ap. Numenium Athenaei VII, p. 326 A. ubi Meinekius in sua jura restituit Exercitt. Phil. p. 27. — δ'] addidi. — ἐμπίπλατο] „refertum erat"; scripsi. Codd. πίων ἄπο. Bergkius: ἕτερ' ὀμπνίων ἀπό. — τευθιδίων] scripsi. Libri τευθιάδα unde Bergkius τευθιάδων. At altera diminutivi forma utitur etiam Pherecrates Athen. VI, p. 269 E. — v. 14. σηπιοπουλυποδείων] scripsi cum Bergkio. Libri: σηπίουπουλυποδίων. Eaedem gulae deliciae sic conjunguntur apud Epicharmum Athen. VII, p. 318 E. πωλύποι τε σηπίαι τε καὶ ποταναὶ τευθίδες et in nummo Neronis apud Spanhemium VPN. p. 202 (Amstel. 1671, 4). — ταῦτα] in uno cod. abest. — v. 15. νῆστις] jam ante Bergkium conj. Schweighaeuserus. Vulgo μνήστης. — πυρὸς [ἀδὺ] συνόσδων scripsi transmutato verborum ordine ex συνόδων πυρός, pro quibus jam Schweigh. συνόσδων πυρός dederat; addidi [ἀδύ] metri gratia. Th. Bergkius Actt. Soc. p. 208 et P. L. G. conjecit συνόδων πυῤῥός repugnante aperte metro. Advertit tamen animum locus Strabonis XVII, p. 824. Casaub.: τοὺς δὲ κεστρέας τῷ παραπέμπεσθαι ὑπὸ τῶν χοίρων παρὰ γῆν, κατά τινα οἰκείωσιν φυσικήν., unde fortasse probabilem nostri loci emendationem elicias συνοδοιπόρος, nam νῆστις et κεστρεύς ejusdem piscis varia nomina sunt. Exitus versus mutilus est, perinde ac sequentis exordium. — v. 16. [κηλόσε] βαθμό[θεν] ἀτμίζων] scripsi. Libb. ἔπειτα βαθμοὺς ἀτμίζων, quod Bergkius in Actt. retinuerat, metro adversante; nam syllaba μι redundat: ... ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓ [—] — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓, quare nunc ἔπειτ' ὄνος ἀτμίζων, quamquam, ut ipse ait, dubitanter scripsit. Similiter Pherecrates Athen. VI, p. 268 E. ἥδιστον ἀτμίζοντα. — ἐπὶ τῷ δ' ἐπιπασταί Libb. ἐπιπνυσταί quod Schweigh. vertit „celebres". Meinek. Comm. Tom. III,

p. 146. ἀτμίζων ἔτι, τῷδ' ἔπι πασταί. — v. 17. ὦ φίλε] cum Meinekio l. l. scripsi. Vulgo ὦ φίλαι. — κυρταί scripsi. Est hoc squillarum epitheton frequentatum Ophelioni Athen. III, p. 106 A. κυρταὶ δ' ὁμοῦ καρῖδες ἐν ξηρῷ πέδῳ. Idem ibidem: ὠρχοῦντο, ὥσπερ καρῖδες ἀνθράκων ἔπι πηδῶσι κυρταί. Mss. κουφαί; et sic Jacobsius Anim. ad Asclep. Epigr. XXVIII, 2. Tom. II. Anal. Brunck. Sed in Nott. Mssis dedit κυφαί, quod receperunt Meinekius et Bergkius ll. cc. — μέλι καρίδες] cum Meinekio et Bergkio dedi extrusa codd. lectione: μελικαρῖδες. ξανθαὶ μέλι καρίδες sunt: „flavescentes melle infuso squillae." μέλι enim pro μέλιτι Philoxenus iteravit infra v. 70. καὶ μέλι συγκατάφυρτος. Schweighaeuserus ξανθὸν μέλι parum feliciter excogitavit. — v. 18. εὐπέταλοι unus cod. ἐπίταλον. Possis etiam ἐκπέταλοι. χλοεραί Bergkius. Vulgo χλωραί qua sub voce Schweigh. putabat pisciculi nomen latere. At χλωρός saepe de flavo colore mellis. — v. 19. ἀδυφάρυγγες retinui cum codd. Bergkius τε δὴ φάρυγγες. — ib. [⏑—⏓] πύρινα καὶ scripsi. Mss. πυρίωντε, unus cod. πυρίωντα, nonnulli πηρίωντα unde conjicias: πήνια de quibus vid. Polluc. VI, 11. Schweigh. πυριῶντες „igniti" Bergkius non expedivit. — ib. στεγαναί scripsi. Libri: στεγναί unus στυγναί. Sed θρυμματίδες στεγαναί occurrunt ap. Polluc. VI, 9. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ στεγανὴ θρυμματίς. — ib. φυσταί emendavi. Libri βυσταί. Sed φυσταί panis est species. Pollux VI, 9. αἷς δὲ ἄνθρωποι χρῶνται μάζαις τούτων τὰ ὀνόματα· ἄνθεμα, θριδακινή, φυσταί. — Sequentia corrupta sunt, scripsi: μέγιθος [⏑⏑] κακκάβου γλυκυόξεες [—⏓]. In Libb. μέγαθος κακὰ κακκάβου γλυκυου ὄξιος unus μ. κακάβου γλυκὺ ὄξιος. Bergkius non expedivit et lacunam indicavit. γλυκυόξεες conjunctim scripsi ut γλυκύπικρος ap. Sapph. fr. XXXVII. Neue p. 59, XCVII, p. 90. Ursinus ad Virgil. Ecl. 2, 68 confert Catull. LXIV, 95. LXVIII, 18 quo similiora sunt Plaut. Cistell. I, 1, 71. Pseud. I, 1, 61. II, 4, 1 a Gesnero annotata Thesaur. L. L. v. *dulcamarus*. Adde Q. Seren. de Medicin. c. 2. „*Crudaque dulcacido miscebis rapa liquore.*" — v. 20. θοίνας Meinek. l. l. III, pag. 637. Bergk. l. l. p. 853. Libb. θοινάας. — ib. παρά γ' ἐμὶν καὶ τὶν Koen. Gregor. Corinth. p. 123. Et sic Meinek. et Bergk. ll. ll. nisi

quod πάρ γ' praeferant. Libb. παραγεμὶν καπίν. Schol. Arist. Avv. 930. ἐμὶν τεΐν. χλευάζει τῶν διθυραμβοποιῶν τὸν συνεχῆ τοῖς τοιούτοις Δωρισμὸν καὶ μάλιστα τὸν Πίνδαρον συνεχῶς λέγοντα ἐν ταῖς αἰτήσεσι τὸ· ἐμίν, ex quo tamen loco verbis istis τεῒν ἐμὶν usum esse Pindarum, cujus in carminibus nunc non inveniuntur, non tuto colligi posse censet Hermannus de Dial. Pind. p. XIV. — σάφ' οἶδα post Jacobsium omnes. Vulgo σάφυ οἶδα vel σαφύοιδα. — v. 21. εἶτα δὲ ναὶ μὰ θεούς. Scripsi. Jacobsius: ἔστα δὲ ναὶ μὰ θεούς. Bergkius ἐστὶ δὲ ναὶ μ. θ. Libri: ἔστα δαναι μαθέους, vel εὔστα δέναι μὰ θεούς.— ὑπερμεγεθὲς. Sic cod. A. Schweigh. Vulgo: ὑπὲρ μέγεθος. — τέμαχος θύννου, scripsi. Antiphan. Athen. XIV, pag. 662: πρόςεστι θύννου τέμαχος. Sic etiam Mnesimach. Athen. IX, pag. 402 F. θύννου τεμάχη et Ephippus Athen. VII, p. 322 A. Vulgo: τίθεμος θυγμοῦ quod non capio; neque Bergkius expedivit. — v. 22. θερμὸν pro τερμὸν librorum vitio scripsi. — πολύπους τετμημένος e conjectura licet valde cunctanter reposui pro vulgata: γλύφις τέ[τμ.Δ]μενον. Favet conjecturae Antiphan. Athen. IV, p. 169 D. ἔπειτα πουλύπους τετμημένος ἐν βατανίοισιν ἑφθός. An legendum ξιφίας τετμημένος? nisi γλυφίας quoque piscis nomen est, cfr. Meinek. Exercitt. Philol. Spec. I, p. 27. Bergkio videtur γλυφίσιν τετμημένον scribendum, quod non male excogitatum est, siquidem e. g. ap. Platon. Sympos. p. 322 E. vel capillis usos videmus Graecos ad ova discindenda. τὰ ὄα (τὰ ᾠά) τέμνοντες θριξίν. — v. 23. Post ὑπογαστρίδας sensus ac metrum interpellantur; suppleri tamen facili opera lacuna poterit: e. g.: [ἦλθεν· τῶνδε] Bergkius ante διανεκέως (sic enim emendandum libb.: διὰ νέκεος, διανέκεος) addidit αἷς, quippe qui retinuerit in sqq. ἐπάμυνε quod in libris est, pro quo ego ἔπαινος conjeci. — ἐμίν τε μέλοι καὶ τίν. Koen. Gregor. Corinth. p. 123, Bergk.: π' ἐμίν τε. Vulgo: πεμίντε μέλοι καίτιν (καὶ τήν) cfr. v. 20. — κεχαροίμεθ' . . .] vulgo κεχαροίμεθα. — v. 24. ἐλλίπομες, θοῖνα παρέης] cum Bergkio scripsi, libb.: ἀλλ' οὐθὲν ἐλλείπομεν θοῖνα παρέης. Sequentia ita corrupta sunt, ut paullo audacioribus esse nobis concedetur. Libri: ὅτε παλάξαι vel ὅτ' ἐπαλλάξαι δύνατ' ἐπι-

κράτεως. Inde Jacobsius: [*θοίν' ἀπαρχῆς*] *οὔτ' ἐπαλλάξαι.* Non concoquo. Bergkius non expedivit. Forte: *ὅ τ' ἀπαλλάξαι δύναιτο* [*λιμὸν*] *ἐπικρατέως.* Certe tale quid sensus requirit: „Et hercle, quae auferenda reliquimus, eorum tanta copia fuit, ut non modo alteri coenae posset sufficere, sed etiam fortiter depellere famem coenantibus." Optime cum his concinunt sequentia his quomodo nunc leguntur non saniora: v. 25. *ἔγω γετικοῦ καὶ* (*ἐγωγετικου*) *λέγοι* (*λέγει*) *τις.* Bergkius: *ἔγωγ' ἔτι, κοῦ κε.* Fiorillo hucusque nihil ausus vel *καὶ* contra metrum retinuit p. 89. Non dubito, quin emendaverim recte: *λέγω γ' ὅτι οὖν κε λέγοι τις.* — v. 26. *παρῆς* Meinekius l. l. III, p. 639. Libb. *παρῆν.* Tacite recepit Bergkius. — *ἐτυμῶς* Meinek. B., vulgo *ἐτόμος, ἐτύμιος, ἑτοίμως.* — *ἄμμιν* Meinek., Bergk., *ὔμμιν* Libb. — *παρέπαισε* cum Bergkio dedi. Libb. *παρέπεσσε, πάρεπεσαι. νῶτος*, in libris levi errore scriptum *νώτιος.* — *ἐσῆλθε*] Bergkius Actt. Societ. Graec. I, p. 208. Meinek. Tom. III, p. 639. Bergk. P. L. G. p. 853. Vulgo *εἴληφε.* — *ὀσφῦς* Bergk. cum uno codice, relicui *ἰσφῦς.* ib. *μιννρίγματα* V. *μιννρίσματα.* — v. 29. 30. *ἀπερπευθῆνος*, vel *ἄπερ πεύθηνος* codd. unde Bergkius, nescio quo sensu, rescripsit: *ἄτερ πευθῆνος.* Dubito tamen, num sub *θῆνος* aliud quidquam lateat, quam *τῆνος* (scilicet *πρόσπολος, παῖς*). Pro *ἀπερπεν* legendum fortasse *ἀπαρτί* (*ἐφθόν*) h. e.: „exquisite coctum" non semicoctum ac crudum. Cfr. Eustachius ad Erotian. p. 44 ed. Franz. — v. 30. *ἀλεκτροτρόφου* unus cod. *ἀλεκτοφόρου.* — v. 31. *δίεφθα 'κροκώλια* Jacobsius, unus cod. *ἀκρόκωλα*, relicui: *διέφθα* [*δ' ἑφθά*] *κρόκῳ λασχελίδας τε* Pollux VI, 9, 4. *ἀκροκώλια δίεφθα* Grammat. Bekkeri p. 371, 32. *ἀκροκώλια-δίεφθα.* Cfr. Meinek. Com. II, 1. p. 376, p. 299. — v. 32. *λευκοφορινοχρόους ῥύγχη κεφάλαια πόδας τε χναυμάτιόν τε σεσιλφιωμένον* correxerunt Dobraeus Adverss. II, p. 306. Meinek. Bergk. ll. ll. — Codd. *κεφαλαὶ ἄποδος τεχνάματιὄντες* (*τεχναματίοντες*) *ἐσιφώμενον.* Cfr. Athen. III, p. 95 A. *ἀκροκώλι' ἕψειν ῥύγχη, πόδας.* Athen. IX, p. 381. — v. 33. *κρέα, ὄπτ'* scripsi, vulgo: *κρέα ὀπτά.* Bergkius: *κρέ' ὀπτά τ'.* — v. 34. *ἀδὺ γέρας μακάρεσ*[*σιν*]. *χορδὰ* [*ἔπειτα*] *γλυκίστα* scripsi, vulgo: *ἀθυπέρκωμα* (*ρωμα*) *καρὸς χορδή:*

γλυκὺς ταμιξ . . . . . unde Bergkius: ἅ θ' ὑπέρω μακαρὸς χορδὰ γλυκίστα .μ. — [ἔπειτα] versus caussa adjeci. Verbum μακάρεσσι in mentem mihi revocat Sapphus versus ap. Athen. XV, p. 674 A. corruptissimos, in quibus sanandis Neuio frag. XLIV in eo imprimis res mihi cessisse videtur, quod verbum μάκαιρα emendavit in μακάρεσσι [θέοισι]. Habeo tamen pro Neuii emendatione [Μνασι]δίκα v. 1, licet eadem Fiorillonis emendatione Obs. Ath. p. 64. ὦ Δίρκα multo praestet, meliorem quandam in promptu medicinam. Quum enim in codd. scriptum sit ὤδικα πέρθεσθ' sponte fere genuina lectio subnascitur: ὦ ΘΥΓΑΤΕΡ ΘΕΣΘ'. — Welckerus, Seidlerus, Ahrensius Dial. Aeol. pag. 267. Bergkius P. L. G. pag. 617. ὦ Δίκα scripserunt. — Ad sensum cfr. Matro v. 72 ἀμβροσίη μοι ἔδοξεν ἦν ἄρα δαίονται μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἔοντες. — v. 35. ἂν δὴ φιλέοντι cum Bergkio scr. — ἂν Dindorf. δὴ φιλέοντι unus codex. Vulgo: ἀνδηφιλέοντι. Schweigh. longe a vero aberravit: ἂν δὴ φιλέοντι θεοί. — ταῦτ' ὦ φιλότας [⏑ ⏑ —] ἔσθοις κε· λαγῷα δ'] codd. τοῦτ' ὦ φιλέτας ἔσθοις (unus cod. ἔθοις) καὶ λαγῷά τ'. ταῦτ' ὦ debetur Bergkio. Lacunam primus indicavit idem et supplevit φιλίως. — φιλότας Dindorfii emendatio est. — καὶ librorum tritus est error pro κε, quod si considerassent Jacobsius et Schweighaeuserus abstinuissent haud dubie a conjiciendo: καλά τ' ᾠά (Athen. IX, 400 D.). Quin male deessent λαγῷα. Nam etiam Pollux carnes et animalia volatilia fere eodem ordine recenset: VI, 9, 4. δελφάκια, ἔριφοι, λαγῷ κρέα, λαγῷα, καὶ σκελίδες, — ἀλεκτρυόνες, ἀλεκτορίδες, πέρδικες — φάτται. — φασσῶν scripsi cum Meinek. III, p. 145 not.*) Vulgo: φασέων, Bergk.: φασσέων. — v. 36. ἤδη δὲ retinui. Bergkio videtur corruptum esse. — ἄρτων ὄχος. σύζυγα] scripsi. Libb. ὁμοσσύζυγα; inde Bergk. et Dindf. ὁμοσύζυγα. — ἄρτων ὄχος ut Alexis Athen. IX, p. 380 E. παρφέρων ἀγαθῶν ἀμάξας. — Relicua Meinek. Comm. Vol. III, p. 638 probabiliter correxit. — v. 37. τό κε Dindorfius. Libb. τὸ καὶ. — τυρόναπαστις Libb., emendavit Schweigh. — v. 38. ἦ μεν Dindorf. ἦ μὴν Schweigh. Libb. ἡμὲν. — v. 39. ἦμεν] codd. ἑταῖροι ἴμεν (ἴσμεν) Jacobsius ἤλθομεν. Rectum jam vidit Schweigh. — v. 40. ἐξαπάειρον.

Vulgo: —*έον* forma nihili. — Schweigh. *ἐξαπαείρεν*, male. Emendavit Meinek. III, p. 542. — *κατὰ χειρῶν*. Codd. *χειρός*.

II.

Athen. IX, p. 409 E. *καὶ Φιλόξενος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ φησίν. ἔπειτα δὲ παῖδες — ἰσθαλέας*. Athen. IV, p. 156 E. *Λόγος ἐγένετο, ποῖον τῶν ὑδάτων ἥδιστόν ἐστιν; καὶ τῶν μὲν ἐγκωμιαζομένων τὸ ἀπὸ τῆς Πειρήνης ὁ Καρνεῖος κατὰ Φιλόξενον εἶπεν· τὸ κατὰ χειρῶν*. Plut. quom. adul. ab amic. internosc. p. 177. Wyttenb. (c. V) *τί δὲ οὐ μέλλει φήσομεν; ἂν τὸν ἀληθινὸν κόλακα καὶ μετὰ δεινότητος καὶ τέχνης ἁπτόμενον τοῦ πράγματος διώκωμεν, ἀλλὰ μὴ καθάπερ οἱ πολλοί, τοὺς αὐτοληκύθους τούτους λεγομένους καὶ τραπεζέας καὶ τὸ κατὰ χεῖρας ὕδωρ ἀκουομένους, ὥς τις εἶπε κόλακας νομίζομεν ὧν ἐν μιᾷ μετὰ λοπάδι καὶ κυλίκι μετὰ βωμολοχίας καὶ βδελυρίας ἡ ἀνελευθερία γίνεται κατάδηλος*. — Eustath. Od. α' 146. p. 1401. 45. *ὅτι δὲ τὰς χεῖρας νίπτεσθαι κατὰ χειρὸς καὶ κατὰ χειρῶν ὕδωρ λαμβάνειν ἢ διδόναι ἢ δίδοσθαι ἢ χεῖσθαι ἐλέγετο παραδιδόασιν οἱ παλαιοὶ ῥήτορες· παρ' οἷς ᾄδεταί τις παράσιτος ἐγκωμιαζόντων τινῶν μὲν τὸ ἀπὸ Λέρνης ὕδωρ κρηνῆς Ἀργαίας, τινῶν δὲ τὸ ἀπὸ Πειρήνης τῆς κατὰ Κόρινθον, αὐτὸς εἰπεῖν ἄριστον εἶναι τὸ κατὰ χειρῶν*.[22]) Athen. IV, p. 410. *ἔκτριμμα*. — v. 41. *ἰρινομίκτοις*] Jacobs. Nott. Mss. —*τα*. *σμήγμασιν*] al. *σμήμασιν*, et sic B. M. — *χλιαροθαλπές*] Meinekius: De mensura vocis *χλιαρός* cf. Meinek. Com. II, 1. p. 99 sq. ubi etiam hunc locum respexit p. 100. Schweigh. Bergk. *χλιεροθαλπές*. Jacobs. Anth. Vol. III, ps. I, p. 33. *πυριθαλπές*. Nott. Mss. *ἡφαιστοθαλπές*. codd. *χαιεροθαλπές*. *χαιτροθαλπές*. *χαιροθαλπές*.— *ἐπεγχέοντες*] unus cod. *ἐπεπεγχέοντες*. — v. 42. *τόσσον*] cum 2 codd. Meinek. l. l. Vulgo: *τόσον*. — [*τις*] *ἔχρῃζ'*.] Meinek., Bergkius. Vulgo: *ἔχρῃζεν*. — *ἐκτρίμματα*] unus cod. Relic.

---

[22]) Moeris Attic. p. 62 ed. Fischer. *κατὰ χειρὸς*, *Ἀττικῶς*. *κατὰ χειρῶν Ἑλληνικῶς*. Addit Thom. M. *ὕδωρ ἐδέξατο*. Phrynich. p. 144: *κατὰ χειρῶν δεινῶς ἀνελλήνιστον*. Cfr. Meinek. ad Fr. Teleclid. I, Tom. II, 1, p. 362 sqq. *ἢν ὥσπερ ὕδωρ κατὰ χειρός*. Lobeck. ad Phrynich. p. 327.

ἔκτριμμά τε. Postea cum Meinek. et Bergk. indicavi lacunam, ut videtur, unius verbi. — v. 43. λαμπρὰ σινδονυφῆ] Casaub., Meinek., Dindf., Bergk. libr.: λαμπρασιν νύμφη vel λαμπρὰ σινδονύμφη. — δίδοσάν [τε]] scripsi cum Meinek. δίδοσαν δὲ tacite Bergk. — χρίματά τ'] Villebrunius, Meinek., Bergk., exposcente versu. Vulgo: χρίματ'. — ib. ἀμβροσίοδμα] unus cod., alius ἀμβροσιοιοδμά.

III.

(Bergk. fr. 1).

Athen. XV, p. 685. D. Φιλόξενος δ' ὁ διθυραμβοποιὸς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ ἀρχὴν ποιεῖται τὸν στέφανον τῆς εὐωχίας οὑτωσί λέγων· κατὰ χειρὸς δ' — διασύναπτον. Male Bergkius ab hoc fragmento carmen auspicatur; quoniam ἀρχὴν ποιεῖται, quae verba literis diversis exprimenda curavit, non ad totius convivii sed ad potationis tantum exordium spectant. — In errorem secum induxit Bergleinum p. 40 qui ab emendandis his locis omnino abstinuit. — v. 45. φέρων προχόῳ] Bergk., ut stare versus possit. προχόῳ φέρων] Mss. — ἐπέχευεν] c. Libb. scripsi. Retinuerunt etiam Grotef., Nott., Mss., Dindf., Bergk., ἐπεχεύεμεν conj. Fiorillo. — v. 46. εἶτ'] Mss. ἔπειτ' Grotefend. ib. στέφανον λεπτᾶς ἀπὸ μυρτίδος] Grotefend., Bergk. — ib. εὐγνήτων κλαδίων] cum Libb. scripsi. Possumus enim verbum εὐγνήτων, quo Lexica augenda sunt (*nobilis*, e) optime aliis similiter compositis defendere; qualia sunt Διόγνητος Hesiod. Scut. 340, fr. Loesn. p. 433; *Diognetus* mensor Alexandri itinerum occurrit ap. Plin. H, N. VI, 17. — Διάγνητος, a quo didicisse se τὸ ἀκινόσπουδον καὶ τὸ ἀπιστητικὸν confitetur Marcus philosophus apud Cramer. Anecd. Paris. IV, p. 106, — Δημόγνητος occurrit scriptor περὶ Κνίδου apud Herod. dict. sol. p. 11, 28, — Θεόγνητος, Thessalus cui nonnulli ἱερὸν λόγον Orphicum carmen vindicarunt, est apud Suidam; idem nomen Schneidewinus Simonid. CCVI restituit pro Θεοκρίτῳ (Pausan. VI, 9, 1), — κασίγνητος, — νυμφάγνητος Meinekius Anall. Alex. p. 158 vindicare studuit Euphorioni Schol. Eur. Rhes. 36. διὸ καὶ νυμφαγν ..... αὐτόν φησι τραφέντα παρ' ἐκείναις. Possis tamen etiam νυμφαγενῆ

tentare (cfr. Telest. Ath. XIV, p. 616 F.) — *αὐτόγνητος* fortasse scr. pro *αὐτόγνωτος*. Soph. Antig. 842. — Cramer. Anecd. Oxon. Vol. II, p. 383 *κασίγνητος παρὰ τὸ κάσις ὃ σημαίνει τὸν ἀδελφόν, καὶ τὸ γνὴς γνητὸς ὁ γνήσιος ἐξ οὗ καὶ γνητός, γνήσιος ὁ Ῥόδιος· λοιπὸν ἐξ αὐτοῦ κασίγνητος ὁ γνήσιος ἀδελφός.* — Canter conj. *εὔγνητον κλάδον*. Casaub. *εὐάγητον κλάδον* Grotef. Fior. *εὐγνάμπτων κλάδων*. Bergk. *εὐγνάμπτῳ κλαδεῶνι. κλαδίων*] scripsi. Libb. *κλάδων*. Sic recte *κλαδίοισι* restituit Jacobsius Leonidae Tarentino Anth. Pal. IX, 78. — Ibid. *θυσανωτόν*] h. e. lemniscatam coronam. In Libb. *δισύναπτον* quod nihili est. Dalecamp. sic vertit acsi *δυσσύναπτον* legisset. Bergkius *κλαδεῶνι συναπτόν*. Grotef. et Fior. nihil mutaverant. Bergkii conjecturas suo plausu donavit L. A. Berglein p. 40.

IV.

(Bergk. fragm. 4, p. 857).

Athen. XI, p. 487, 4. A. *Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ μετὰ τὸ ἀπονίψασθαι τὰς χεῖρας, φησὶ προπίνων τινί· Σὺ δὲ — πάντας ἄγει.* v. 47. 8. *τάνδε Βακχίου*] scripsi cum Jacobs.; Bergk., Meinek. *τάνδε Βακχίαν*, antea Casaub. *τάνδε Βάκχιον*. Codd. *τάνδ' ἐκβάκχια* (*-κχία· -κχιον*). Ante *Σὺ δὲ* et post *ἄγει* B. lacunae signa posuit. De voce *Βακχίου* cf. not. nostr. ad Timoth. Cycl. ap. Ath. XI, p. 465 C. v. 3. — v. 48. *εὔδροσον*] Jabobs. conj. *εὐδρόσου πλήρη* „roscidi Bacchi plenam." — *εὐπλήρη*] scripsi metri gratia. Vulgo: *πλήρη*. — v. 49. *πραΰ τί τοι*] Cod. A. Bergk., alii Codd. *πράν τί τοι*. Casaub. dederat: *ἐπάν τοι*. Grotefend. et Fiorill. (Obs. Athen. p. 91) *ἀπέραντόν τοι*. Jacobs., Nott., Mss., conj. *εὐφραντικόν*. — ibid. *γάνος*] Hanc vocem poetae libenter pro vino usurpant. cfr. Arist. Ran. 1327. *οἰνάνθαι γάνος ἀμπέλου*, Eurip. Andromed. apud Neoptol. Athen. XI, p. 476. *ὁ δ' ἀμπέλων γάνος*. Similiter Soph. apud Lex. Sangerm. Mss. ed. a Valken. in Diatr. Eurip. p. 179. *ἄνθος ἀνίας ἄλυπον* vinum vocat. De humore amoeno fluviorum *γάνος* usurpat: Aeschyl. Pers. 481. *οἱ μὲν ἀμφὶ κρηναῖον γάνος*. Eurip. Suppl. 1156. Tyrwh. *Ἀσωποῦ με δέξεται γάνος*. Lycophr.

Cassandr. p. 49. Steph. γάνος Ἠριδάνοιο. p. 152. Ῥυνδάκου ποτῶν γάνος. p. 53. Κυλιστάρνου γάνος. Callim. apud Strab. IX, p. 397. Βηφύρου γάνος. cfr. Musgr. ad Eur. Suppl. 1156. Schaefer. Melet. Crit. pag. 79. — v. 50. ἄγει] vet. cod. Schweigh. Vulgo: ἔχει. Grotef. et Fior. ἐπέχει. — ἐπὶ τέρψιν] cfr. Eur. Cyclop. v. 520. Metricas priorum exercitationes huc attulisse nihil interest, quamquam Schweigh. confitetur, libenter se eos in versibus dispescendis secutum esse.

Nuperrime vero Meinek. Tom. II, p. 644, quem sequitur Bergk. P. L. Gr. pag. 857 hanc loci restitutionem metricam proposuit:

* * Σὺ δὲ τάνδε βακχίαν
εὔδροσον πλήρη μετανιπτρίδα δέξαι
πραΰ τί τοι Βρόμιος γάνος τόδε δοὺς ἐπὶ τέρψιν
πάντας ἄγει. * * *

Cfr. quoque Meinek. Gr. Com. Fr. III, pag. 542. Sed in his versibus tota vis perit. Versus sunt aperte ex eodem genere, quo reliqui. — μετανιπτρίδα δέξαι] cfr. Diphil. Athen. XI, 487 a.

V.

(Bergk. fragm. 5, pag. 857).

Athen. XI, pag. 476 E. Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ φησίν· ἐπίνετο — μικρόν. In universum hunc locum ex Meinekii conj. dedi, quem etiam B. l. l. sequitur, nisi quod pro πίνετο quod ipse vult, in codicum lectione asseveravi (ἐπίνετο) cum Dindorfio. Est enim versus ab initio mancus ac desideratur anapaestus e. g. τότε δ' οὖν ἐπίνετο. — v. 50. πῶμ'] cum Fior., Dindf., Bergk. scripsi, quamquam librorum πόμα (πόμ') non male me haberet. Tamen versus plenius quiddam sonat. Cfr. Porson. ad Hecub. v. 396. Fiorillo l. l. — v. 51. χρυσέαις] M. B. Vulgo: χρυσαῖς. Cf., quae infra dicemus ad Philox. Cyclop. fr. II. — καλῶν] M. vulgo τε ἄλλων. Casaub. μεγάλων. — ἐβρέχοντο δ' αὖ] M. B. Vulgo: ἔβρεχον δέ. — [ἅπαντες]] Meinek. adjecit non absone. Berglein: ἑταῖροι, minus apte. — Bergkius versus distinguere noluit. De verbo βρέχειν cf. Meinek. Com. Fr. Vol. III. p. 147 ad Antiphan. fragm. incert. XXXV.

VI.

(Bergk. fragm. 3, p. 855.)

Athen. XIV, p. 642 B. Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ Κυθήριος Φιλόξενος ἐν τῷ Δείπνῳ δευτέρων τραπεζῶν μνημονεύων πολλὰ καὶ τῶν ἡμῖν παρακειμένων ὠνόμασε, φέρε καὶ τούτων ἀπομνημονεύσωμεν. Τὰς δὲ δὴ — ἤνησαν. Meinekius adjunxit hoc fragmentum Athenaeo IX, p. 409 E. — v. 53. μολούσας] deinde lacunam bene animadverterunt Meinekius et Bergkius. Berglein p. 42 plusquam choriambum excidisse ratus sic tentat: δμῶες ἔπειτα τραπέζας ἔξελον ὡς λιπαρ. v. 54. πορθμίδας] Sic navibus comparari solent convivales mensae, convivae nautis. Dionys. ap. Athen. X, p. 433 C. (elegg. rell. 5. Bergk. p. 433)

καί τινες οἶνον ἄγοντες ἐν εἰρεσίῃ Διονύσου,
συμποσίου ναῦται καὶ κυλίκων ἐρέται . . .

Ibid. εἴςφερον] Meinek., Bergk. Vulgo: εἰςέφερον. — v. 55. ἐφάμεροι καλεῦντι] M. B. vulgo: ἐφημέριοι καλέοντι vel καλέοντο. Scripsi ἐφάμεροι cum apud Pindarum certe non occurrat forma ἐφήμεροι. Fiorillo l. l. dederat. τὰς [μὲν] ἐφημέριοι. Bergk. addidit δευτέρας; optime. Sic ap. Athen. IV, p. 137 A. δεύτεραι αὖτε τραπέζαι ἐφοπλίζοντο γεμοῦσαι. Ad elocutionem compara Sannyr. apud Harpocr. s. v. πέλανος p. 149. 27. Πέλανον καλοῦμεν ἡμεῖς οἱ θεοί, ἃ καλεῖτε σεμνῶς ἄλφιτ' ὑμεῖς οἱ βροτοί. Cfr. Eur. Diatr. pag. 275 B. C. Loco Philoxeni usus est Valken. Eurip. Phoen. 1515. p. 419 et Graefenhan *Gesch. der class. Phil.* p. 176. Tom. I. — v. 56. δέ τ' Ἀμαλθείας] Fiorillo scripsit. Codd. δ' Ἀλμαλθείας. — v. 57. ταῖσι δ' ἐν μέσαισιν ἐγκαθιδρύθη] scripsi. Vulgo: ταῖσι δ' ἐν μέσαις ἐγκαθιδρύθη. Bergk. ταῖσιν δ' ἐν μέσαις καθιδρύθη. Versum sic restituo:

⏑́⏑⏑–⏓ | ⏑́⏑⏑–⏓ | ×– | ⏑́⏑⏑–⏑⏑–⏓ κτλ.

ib. ἐναλιγκίοισι] Ven. Bas. A. ἐναλίγκιος ex relicc. Casaub., al. ἀλιγκίοισι. λεπτοῖς ἀράχνας πέπλοις] Sic Plat. apud Suid. III, p. 528 εἴξασιν ἡμῖν οἱ νόμοι τούτοισι τοῖσι λεπτοῖς ἀραχνίοις, ἃν τοῖσι τοίχοις ἡ φάλαγξ ὑφαίνει. — v. 58. συγκαλύπτων] Casaub. vulgo: συγκάλυπτον. ib. κατίδῃ τις] unus cod. Meinek. ex conj. Vulgo: κατίδῃς. Cf. Soph. Trach. v. 2.

interpp. — v. 59. *μαλογενές*] Meinek., Bergk. codd. *μολογ.* vel *μηλογ.* Fiorill. *μαλογενές* conj. p. 91. — *λιπόντ' ἐν ἀνάγκαις*] scripsi, *λιπόνθ' ὑπ' ἀνάγκας* Bergk., *λιπόντ' ἀνάγκαις* Meinekius. Ceterum *ἐν ἀνάγκαις* non minus poetice dictum quam *ὑπ' ἀνάγκας*. Cfr. Simonides apud Plut. vit. Arat. c. 45. Codd. *λιπὼν ταῖς ἀνάγκαις* unde Fiorillo *λίπων ταῖς*. — v. 60. *παλιῤῥύτοις*] scripsi pro vulgata *παλιῤῥύτοισι*. Meinek. conj. *μελιῤῥύτοισι*. Bergkius *πολυῤῥύτοισι*. ib. *πάγοις*] „coagulis" scripsi. Libb. *πάγαις*, et sic Schweigh. „laqueis" cl. Plut. Amat. p. 757. Meinek., Bergk. *παγαῖς*. — v. 61. *τῷ δ' ὄνομ' ἧς ἄμυλος*] Meinek., Bergk., codd. *τὸ δ' ὄνομ' ἧς* (*ὄνομης*) *ἄμυλλος* (cod. A. *ἄμυλος* al.) vett. Libb. *τό δ' ὀνόμασαι μυελός* unde Fiorillo p. 91 *τόν δ' ὠνόμασαν μυελόν*. „Sequentia corrupta sunt." Bergk. — v. 62. *καὶ δίδῳ*] in vulg. constiti. Dindf., Bergk. *κα. ἃ Ζανὸς*] Schweigh. *ἀζανὸς* in Libb. est, unde Fiorillo l. l. *ὅτι καὶ ἐδίδω τιν' ἆζαν ὧν κτλ.* ibid. *καλεῦντι*] Meinek., B., codd. *καλέοντι* (*το*). — v. 63. *ἐγχυτοκνακομιγές*] scripsi. Vulgo: *ἐν κατὰ κνακομιγές*, unde Meinekius, quem Bergkius sequitur, refinxit: *ἐγκατακνακομιγές*. Fiorillo l. l. *ἐν κατανοῖς* „in canistris". ib. *τρώγματ'*] unus cod. *τρώγματα*. ib. *ἔπειτ'*] Schweigh. Vulgo: *ἐπεί τ'*. — v. 64. *πυροβρομωχρολεβινθακανθοσυνέκκριτον ἁδύ*] Scripsi. Codd. *πυροβρομολευκερεβινθοακανθυμικριτοαδυ*, *πυροβρομολευκε ῥεβινθο ακάνθου μικριτο ἀδυ*, *πυροβρομόλ' ἐρέβινθο ἀκάνθους μικριτυαδυ*. Meinek. conj. *πυρβρομολευκερέβινθον ἀνθεσίκρατον ἁδύ*. Bergkius ultima non expedivit. Antea Fiorillo l. l. satis audacter conjecerat: *κνακομιγὲς πεφριγμένον πυρόβρομον λεβίνθον | καὶ καλάθους μακτηρία δ' ἀδυβρώματος κτλ.* Equidem *λευκ* ejeci cum in omnibus codd. constanter *πυρο* legatur, et *ωχρο* supplevi, ut versus expleatur. De ciceribus sive ervilibus (*ὤχροί*) cf. Polluc. I, 12, 17. ubi etiam de *ἀκάνθῳ* videas, quem Meinekius nimis audacter ejecit. Pro *υμικριτο* dedi exempli gratia *συνέκκριτον*. Verum haud satis scio an lateat *κατέρικτα* h. e. legumina fresa. vel *ἐγκρίδας*, quemadmodum Stesichor. ap. Athen. IV, pag. 172 F. (Kleine Fr. 2. Bergk. P.L.Gr. fr. 2) *σασαμίδας, χόνδρον τε καὶ ἐγκρίδας ἄλλα τε πέμματα καὶ μέλι χλωρόν*. De compositis

cum voce *πυρ* — de quibus hic Meinek. et Bergk. cogitasse videntur cf. Passovius ad Musaeum p. 208. — v. 65. *βρῶμα τὸ παγκατάμικτον*] Meinek., Bergk., codd. *βρῶματοπανταναμικτον. ἀδυβρωματο πάντ' ἀνάμικτον. βρώματος πάντ' ἀνάμικτον.* — ib. *ἀμπυρικηροϊδίπτυχας*] scripsi. Codd. *ἀμπυρικηροιδηστίχας· ἄμπυκι κηρος δήστιχας.* Bergkius cum Meinekio *ἀμπυρικηροιδηστίχας* Versus gratia scribendum *ἀμπυρικηροϊδίπτυχας* ut infra *μαλακοφλοΐων. διστίχας* si scriptum esset, hoc nostro: zweizeilige (Semmel) aequivalere possit. Sed *δίπτυχας* scripsi quod notum est artolaganorum epithetum. — v. 66. *σταιτινο κογχομαγής*] Meinekius, Bergkius. Vulgo: *ταίτιν ὁ κολχομανής (κογχομανῆς).* ib. *ὅ τε ζεσελαιοξανθεπιπαγκαπύρωτος*] Meinekius, Bergkius conj. *ὅ τε σεσελειοξανθεπιπαγκαπύρωτος.* Vulgo: *τοξαισελειο(ελεο)ξανθεπίπαν καπυρός.* — v. 67. *χόνδρινος ἀδέα δ'*] scripsi. Libb. *χοιρινισάδεα δέ.* unde Meinek., Bergk. *χοιρίνας· ἀδέα* praeeunte Schweighaeusero. — ib. post *δέ* Bergk. lacunam indicavit. Scripsi *δ' εὖ*, verbo *εὐκύκλωτος* utitur etiam Aristopho Athen. XI, p. 472 e. — ib. *κύκλωθ' ὁμόφωκτ'*] Meinekius, Bergkius. Vulgo: *κυχλωτὰ (κύκλωτα) ὁμοφλωκτά. κύκλωτα* sunt „circuli" (Kringelchen) bellariorum species. — *μελίπηκτα*] Etymol. Par. cod. 2669. *ἄγγουρος τὸ μελίπηκτον.* — *ἄφθονα σασαμόφωκτα*] Meinek. praeeunte Schweighaeusero. Vulgo: *ἀφθόνας ἀσαμόφλωκτα.* — v. 69. *μέλι*] cod. *μέλιτι* cfr. supr. v. 16 corr. Meinek., Bergk. — ib. *συγκατάφυρτος ἧς*] Schweigh., Meinek., Bergk. Vulgo: *συγκαταφυρτόσης.* — v. 70. *πλαθανίτας σασαμοτυροπαγῆ*] Meinek., Bergk. nisi quod *τυρο* pro *ρυτο* scripsi; memini enim sic invenire *σασαμότυρον.* Vulgo *πλατανίσσα σαμορυτοπάγη*, vel *σαμόρυτο πηγή.* — v. 71. *ζεσελαιοπαγῆ*] Meinek. *σεσελειοπαγῆ* Bergk. ib. *πλατύνετο σασαμόπαστα*] Schweigh., Meinek., Libb. *πλατύνετος ἀσαμόπαστα.* — v. 72. *κἆτ' ἐρέβινθοι κνακομιγεῖς ἁπαλαῖς θάλλοντες ὥραις*] scripsi pro Libb. lectione: *καὶ τερεβινθο (θερεβινθο) κνακοσυμμιγεῖσα παλαῖς (γεῖσ' ἁπαλαῖς) θάλλοντες ὥραις.* Fiorillo p. 87. *καλαῖς.* Schweigh. *ἐρεβινθοκνακοσυμμιγεῖς πολλαῖς.* Idem conferre jubet p. 642 C., 649 A. Plin. H. N. XXIV, 18. Hard., Meinek. conj. *κἆτ' ἐρέβινθοι κνακοσυμμιγεῖς*

καλαῖς; idem dedit Bergkius P. L. Gr. pag. 856. Sed scribere ἀπαλαῖς cum codd. malui, atque συμ quod versum ex dactylico trochaicum reddit delendum censui. Praeterea nescio an scribendum sit Ὥραις, apud Winkelmannum Monumm. antt. inedd. II, p. 151 enim conspicitur Veris Hora manu pomorum canistrum portans, altera capellam compescens. — v. 73. ἁ ά τ'] codd. nisi quod τε exhibent, in edd. omissum est. — Ibid. τε τῶν μαλακοφλοΐων . . . τετρώγατε παισίν] Scripsi. In libb. τὰν (τὴν) μαλακόφλοια ἂν τε τετρώκατε (ἂν τετρώκασι) unde Meinek. τε τῶν μαλακοφλοΐων . . . τε τρωκτὰ τε παισίν et sic Bergk. — τετρώγατε, comedistis: loquitur convivii pater ad amicos. Fiorillo p. 87. ἀμυγδαλίδες μαλακόφλοιαι | ἂν τετρώκατε παισίν. — Quod syllaba οι in μαλακοφλοΐων in duas dirimitur non mirum est. Cf. Eustath. ad Odyss. α' 137 p. 1400, 60 προχοΐδιον, βοΐδιον, ῥοΐδιον. Sic ap. Sapph. in Stob. Floril. LXXI, 4 (Neue p. 47 fr. XX) οὐ γάρ τλάσομ' ἐγὼ ξυνοΐκεῖν ὄσα γεραιτέρα, ubi Volgerus primum diphthongi diaeresin notavit. Bergk. tamen P. L. Gr. p. 610. fr. 49 ξυνοίκην dedit. cf. Neue ad fr. CXXI, p. 96. Ahrens de Dial. Aeol. p. 104—7. Boeckh. Antigon. p. 222 *). — *ἀδυΐδῃ*] scripsi cum Fiorill. p. 87. Codd. ἀδυΐδη quod corruptum; servavit tamen indicata depravatione Meinek. et Bergk. — v. 75 [ἐμεῦ]] Meinekio debetur, recepit Bergk. alioquin enim versus hiulcus restaret. ib. τ' ἐπὶ κοινᾶς] Schweigh. Meinek. l. l. Bergk. Antea Fiorill. p. 87. τε πυκνοί. codd. τ' ἐπικοινας, τε πικοινάς. De λόγοις κοινοῖς cf. Kuithan *Pindar's Siegeshymnen Urkomoedien* p. 22—25 qui Pind. Olymp. X, 15. Plut. Symp. V, 10 p. 457 laudat. — v. 76. τι καινόν] Dalecamp. Meinek. Bergk. Etiam Fiorillo p. 87 sic conjecit. Codd. τεχηνόν. Meinek. Com. Gr. p. 101 καινὸν ἀθυρμάτιον de sermone novis et festivis salibus condito intelligit, comparato Cratino ap. Suid. I, p. 75 Bernh. νεοχμόν τι παρῆχθαι ἄθυρμα. Elmsl. Eur. Med. p. 268. Bergk. comment. p. 161. — v. 77. θαύμασαν] Meinek. Vulgo ἐθαύμασαν. αὐτοί· ἔπειτα (ἔπειτ') ᾔνησαν. Infeliciter Fiorillo p. 87. καὶ ἐθαύμασαν αὐτό· ἔπειτα | ᾔνησαν. — ἐπί τ'] Bergk. Idem ad ᾔνησαν adjicit περισσῶς nescio an Pindarum secuturus fr. 196 (Boeckh. 235) ap. Plut. consol. ad Apollon. c. 29.

Σοφοὶ δέ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνησαν περισσῶς. Post *ἤνησαν* cum Bergk. lacunae signa posui.

Ceterum hoc carmen a comicis poetis saepissime videtur exagitatum esse ad risum movendum auditorum. Exstant e. g. Antiphanis ex Homoeis versiculi quidam ap. Athen. XIV, p. 642 (cf. Koppiers Observv. Critic. p. 50. Raph. Fiorill. Observ. Crit. p. 3 sqq.)

εἶτ' ἐπεισῆγεν χορείαν ἢ τράπεζαν δευτέραν
καὶ παρέθηκε γέμουσαν πέμμασι παντοδαποῖς.
ὡς δ' ἐδείπνησαν (συνάψαι βούλομαι γὰρ τἀν μέσῳ)
καὶ Διὸς Σωτῆρος ἦλθε θηρίκλειον ὄργανον
τῆς τρυφερᾶς ἀπὸ Λέσβου σεμνοπότου σταγόνος
πλῆρες, ἀφρῖζον, ἕκαστος δεξιτερᾷ δ᾽ ἔλαβεν.

quos Dindorfius non dubium esse dicit, quin ex Philoxeni Convivio Antiphanes deprompserit. Cautius tamen Meinekius Com. Fr. III, p. 95 „vereri se ait, ut recte id factum sit a Dindorfio, quia similibus non tamen iisdem versibus quales apud Antiphanem habemus Philoxenus in suo carmine usus sit." Rectissime vero. Nam sane Philoxeni versum sic vidimus procedere –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏒ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓. Tres autem illi Antiphanis versus 2, 5, 6, qui Dindorfium in errorem abduxerunt, ancipiti illa in fine syllaba carent: sic: –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓. Tamen hoc Dindorfio cum Meinekio concedo, Antiphanem videri ad imitationem Philoxeni se composuisse.

Alius Antiphanis locus exstat ex Parasito ap. Athen. IV, p. 169 idemque totus ad irrisionem Philoxeni factus:

— — — *ἄλλος ἐπὶ τούτῳ μέγας*
ἥξει τις ἰσοτράπεζος εὐγενής. Β. τίνα
λέγεις; Α. Καρύστου θρέμμα, γηγενής, ζέων.
Β. εἶτ' οὖν ἂν εἴποις ὕπαγε. Α. κάκκαβον λέγω.
σὺ δ' ἴσως ἂν εἴποις λοπάδ'. Β. ἐμοὶ δὲ τοὔνομα
οἴει διαφέρειν.

Cf. Philox. Conv. v. 8. cl. v. 15.

De parodiis convivii ab Aristophane Gerytadi insertis jam supra dixi. Sunt vero duae, quarum prima legitur ap. Pollucem

X, 91. ἄλλος δ' εἰσέφερε πλεκτῷ κανισκίῳ περίλοιπα θρύμματα· ubi si recte se habet εἰσέφερε pro περίλοιπα legendum videtur περίλειπα: si περίλοιπα, ut credo sanum est, pro εἰσέφερε lego ἐξέφερε. Similiter Horat. Serm. II, 8, 11, „alter Sublegit, quodcunque jaceret inutile, quodque Posset coenantes offendere."

Secunda ap. Athen. XI, p. 485 legitur: Ἦν δὲ τὸ πρᾶγμ' ἑορτή, περιέφερε δ' ἐν κύκλῳ λεπαστὴν ἡμῖν τάχυ προσφέρων παῖς ἐνέχει τε σφόδρα κυανοβενθῆ· Tangit hunc locum Eustath. p. 1246, 36 = 1338, 1 ἐστι δὲ Δολόπων λέξις ἡ λεπαστή. ὡς δὲ καὶ μεγάλη ἦν, ὅθεν κυανοβενθῆ τις αὐτὴν ἔφασκεν, δηλοῖ κτλ.

His a Bergkio in Commentt. p. 212, aliisque addi video Arist. Eccl. 1168 sqq. — — τάχα γὰρ ἔπεισι·

λεπαδοτεμαχοσελαχογαλεο | κρανιολειψανοδριμυποτριμματοσιλφιο | παραομελιτοκατακεχυμενο | κιχλεπικοσσυφοφαττοπεριστεραλεκτρυονοπτεγκέφαλο . . . | κιγκλοπελειολαγωσιραιοβαφητραγανοπτέρυγον.

Dubito tamen num Philoxenum his perstringere voluerit; ut qui tantis ambagibus abstinuerit.

Denique vero Plut. de aud. poet. c. 1. Philoxeni cujusdam dictum affert: „Suaviores carnes esse eas, quae ad piscium naturam propius accedant, pisces autem illos esse suavissimos, qui carnem firmitate ac sapore maxime referant." (sequor in interpretando hoc loco Potterum.) quod si ad Philoxeni convivium referendum est, haud dubie ex ἀθυρματίοις illis post coenam jocatis depromptum est. Locus statim initio libelli legitur: „εἰ μέν, ὡς Φιλόξενος ὁ ποιητὴς ἔλεγεν, ὦ Μάρκε Σήδατε τῶν κρεῶν τὰ μὴ κρέα ἥδιστά ἐστι, καὶ τῶν ἰχθύων οἱ μὴ ἰχθύες, ἐκείνοις ἀποφαίνεσθαι παρῶμεν κτλ." Similia quaedam ex Varrone profert Macrob. Saturn II, 8: Et Albinus: Locus, inquit, Varronis, quem referri a me imperas, in his fere verbis est: „Bellaria ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt. Pemmasin enim cum pepsi societas infida." — In rem cfr. Strab. XV, p. 1050 A. τὰ κρέα δὲ τῶν θρεμμάτων ἰχθύων προβάλλει. E nostratibus quoque Philoxeneo dicto in fabulae gratiam usus est Lessing Tom. V, p. 164 (Lips. 1841).

Habetis igitur nunc, quicquid ex Philoxeni Convivio superest, pretiosas sane, neque contemnendas reliquias. Disserendum nobis nunc de metris est, ac de dialecto paucula addenda.

Ac primum, quod ad metrum attinet versus omnium simplicissime sunt constructi. Etenim praeter tres versus, qui trochaici generis sunt, atque hunc in modum procedunt:

v. 20. –́⏑–– –́⏑–– ⏑̈⏑̈ ⏑––– –́⏑–– (Meinek. breves syllabas minus recte extrusit.)

v. 60. –́⏑–– –́⏑–– –́––– –́⏑–

v. 55. –́⏑–⏓–́⏑–⏓–́⏑––[–́⏑–] (ex Bergk. restitutione.)

omnes sunt e genere dactylico. Atque per totum quidem carmen valet trim. dact. catal. –́⏑⏑–⏑⏑–⏓, qui admixtis trochaeis aut semel legitur aut iteratur, aut ter aut quater recurrit. Saepissime duobus trimetris usus Philoxenus est; iisque meris sine basi atque clausula trochaica[28]); quamvis neque alii affixis basibus et clausulis logaoedicis desint. Semel inter utrumque trimetrum inseritur, si sana lectio est, adonius.

v. 66. –́⏑⏑–⏑⏑–⏓[–́⏑⏑–⏑]–́⏑⏑–⏑⏑–⏓

Tres aut quatuor trimetri rarius occurrunt. Ceterum in tertio trimetri pede summa conceditur licentia. Spondei et trochaei aeque admittuntur, atque optimi quidem versus sunt, qui ad modum primi et septimi decurrunt, sequuntur quorum eadem cum v. 18 vel 27 ratio est; eorum ordinem excipiunt qui uti vv. 21 et 64 procedunt, pessime vero quippe qui maxime diffluant ac dilabantur, tales, quales 63 et 65 habendi sunt.

Restat ut de dialecto vel stilo paucis moneam: nam paucula tantum ex tam corruptis lacerisque reliquiis his nominibus colligi posse reapse patet. I. Hiatum in brevi syllaba admisisse constat v. 2 *μέχρι οὗ*. Bene igitur etiam v. 20 se haberet *σάφα οἶδα* si per versum stare posset. cf. de hoc apud Lyricos genere hiatus Godofr. Hermann de dialect. Pind.

---

[28]) Eundem versum Pindarus admisit: Nem. θ', 1. *Κωμάσομεν παρ' Ἀπόλλωνος Σικυῶνοθε, Μοῖσαι*. cf. Boeckh. de Metr. Pindar. p. 127.

p. VI, VII. Schneidew. Fr. Simonid. praef. p. XLVIII. II. Hiatum in longa syllaba, quae est in arsi habemus v. 33 κρέα ὀπτ', quamquam Bergk. ibidem dedit κρέ' ὀπτά· et v. 2 ἕτεροι, ἄλλοι. Frequentissimus autem ap. Philoxenum quoque ille hiatus est, quo longa syllaba ante vocalem corripitur. v. 28. καὶ ὀσφύς. v. 48. Βακχίου εὔδροσον. v. 34. χορδά [⏑—⏑]. IV. Correptiones brevium vocalium ante mutam cum liquida frequentes sunt; ante χν v. 3. ὑψιλύχνους [—⏑⏑—]. v. 5. τέχνας [⏑—]. v. 2. μέχρι [⏑⏑]. v. 57. ἀράχνας [⏑⏑—]. V. Mensurae ambiguitas non nisi in ισο reperitur, siquidem v. 15. ἰσοτράπεζος mensuram habet hanc [—⏑⏑—⏑]. v. 11. ἰσόκυκλος hanc [⏑⏑—⏑]. Cfr. Lehrs Quaestt. Epp. p. 272. VI. Contractionum unum exstat exemplum. v. 43. ἰθαλέας [⏑⏑——]; ἀργυρέᾳ choriambum efficit v. 44. χρυσέαις autem pro χρυσαῖς v. 51. cum Meinekio metro postulante restitui. VII. Pro κρέατα breviorem formam admisit v. 33 ultima longa, atque pro μέλιτι dixit v. 17 et 68 μέλι sed ultima brevi, quod memoratu dignum est. Fortasse huc etiam pertinet verbum Philoxeno proprium εὐγνήτων pro εὐγενετῶν (cf. v. 46) quam formam diductiorem metrum respuit. VIII. De diaeresi in voce μαλακοφλοΐων, dixi ad v. 73. — IX. Dialecto usus est plerumque Dorica; velut, in Ζανός, ἁδύ, ἐφάμαν. In voce τῆνα Sicelismum admisit; pro κεῖνα; eundemque intrudere in versum 11 volui βατανῆς pro πατάνης, sed Bergkii conjecturam βάτις δ' ἐνέης postea magis mihi placuisse jam supra dixi. — De forma τὸ λόπας, pro ἡ λοπάς (ut τὸ δέπας) vid. supra ad v. 8. —

Sed haec de metris et dialecto hactenus. Ad coenam Philoxeni et curiosum poetae scribendi genus Antiphanem respicere ap. Ath. XV, p. 643 b R. Fiorill. Observv. crit. Ath. p. 92 autumat, quod aeque falsum est, atque Bodii l. l. p. 319 et Th. Bergkii p. 851 XI fr. 1 opinio hoc quoque carmen XXIV Philoxeni dithyrambis adnumerandum esse; tum propter leviorum licentiorumque dithyrambicum modum rythmorum, tum propter tersam sermonis elegantiam ac nitorem. Quod cur nobis probari nequeat, totius septimi capitis argumentum commentationis nostrae optime docet. Suidas hoc carmen aut inscitia

aut negligentia ipsi vindicare oblitus est. Quid quod ne nomos quidem Ph. laudaverit, quorum ap. Ath., Aristot., Polybium mentio fit. —

Transeo nunc ad Cyclopem sive Galateam Philoxeni, quo erepto carmine haud levem si quid video passi jacturam sumus, cum non Aelianus V. H. XII, 44 tantum, id ipsum τῶν αὐτοῦ μελῶν τὸ κάλλιστον praedicaverit; sed Hermesianax quoque, qui et ipse elegiaco carmine Cyclopis amorem cecinit, unde Aelius Herodianus περὶ μονήρους λέξεως p. 16, 12 Dindorf. hunc versum servavit: δερκόμενος πρὸς κῦμα μόνῃ δὲ οἱ ἐφλέγετο γλήν· (ap. N. Bach fr. 1) hic, inquam, ap. Ath. XIII, p. 598 e his distichis celebraverit:

Ἄνδρα δὲ τὸν Κυθέρηθεν, ὃν ἐθρέψαντο τιθῆναι
Βάκχου, τὸν λώτου πιστότατον ταμίην
Μούσαις παιδευθέντα Φιλόξενον, οἷα τιναχθεὶς
Ὠρυγῇ ταύτης ἦλθε διὰ πτόλιος,
Γινώσκεις, ἀΐουσα μέγαν πόθον, ὃν Γαλατείας
Αὐτοῖς μηλιδίοις τήκετο καὶ προγόνοις.

quos versus dedi ex emendatione Bergleini p. 13—16, p. 58—61, nisi quod Ὀρτυγίῃ nolui in textum recipere pro Ὠρυγῇ. Latine sic verterunt Rigler et Axt p. 19, 21 (Colon. 1828. 12.)

Scis quoque, quem fidum Bacchi lotique Cytheris
Pronum nutrices Musae aluere pio
Eductum gremio, per nostra Philoxenus urbis
Moenia, quo plausu venerit attonitus.
Nam desiderium cecinit (Bach: audisti) quod subdidit ipsis
Agnis primigenis, o Galatea, tui.

De occasione carminis duae pervaluerunt veterum narrationes [24]. Alteram Athenaeus habet I, p. 7 ex Phaniae Eresii libris depromptam: „Philoxenum in latomias conjectum a Dionysio, cum ab eo vitiatam reperisset Galateam amasiam suam, in edolanda Cyclopis fabula, ad suum casum accommodasse argumentum, Dionysio Cyclopis, tibicinae Galateae tributis par-

---

[24]) De Polyphemi et Galateae amoribus Bergleinus p. 44—48 complura attulit, parum ad rem nostram pertinentia, satis tamen docte si mythicarum rerum scientiam consideraveris.

tibus, sibique Ulyxis persona sumta." Quibuscum Schol. Arist. Plut. v. 290 [25]) convenit, nisi quod post fugam demum e lapidicinis elaboratum carmen esse tradat. Altera vero fama quam Duris Samius ap. Schol. Theocriti VI. 7 (cf. XI, 1) [26]) servavit, Philoxenum refert, cum in Siciliensi commoratione,

---

[25]) Supponam nunc Schol. integrum, cum nobis saepius respiciendum sit. *τοῦτο δέ ἐκ Κύκλωπος Φιλοξένου ἐστί. πεποίηκε γὰρ οὗτος τὸν Κύκλωπα κιθαρίζοντα· διά δὲ τοῦ εἰπεῖν καὶ τοῖν ποδοῖν ὡδὶ παρενσαλεύων ἔδειξεν ὅτι πρὸς τὴν πυγὴν αὐτοὺς ποδὶ ἔτυψεν. τὸ δὲ ἑξῆς· καὶ μὴν ἐγὼ βουλεύσομαι ὑμᾶς ἄγειν. διασύρει δὲ Φιλόξενον τὸν τραγικόν, ὃς εἰςήγαγε κιθαρίζοντα τὸν Πολύφημον. τὸ δὲ θρεττανελό μέλος καὶ κρουμάτιον ἐστὶ. τὸ δὲ ἀλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπαναβοῶντες ἐκ τοῦ Κύκλωπος Φιλοξένου ἐστίν. — Φιλόξενον τὸν διθυραμβοποιὸν ἢ τραγῳδιδάσκαλον διασύρει, ὃς ἔγραψε τοῦ Κύκλωπος ἔρωτα τὸν ἐπὶ Γαλατείᾳ. εἶτα κιθάρας ἦχον μιμούμενος ἐν τῷ συγγράμματι, τοῦτό φησι τὸ ῥῆμα· θρεττανελό. ἐπεὶ γὰρ εἰςάγει τὸν Κύκλωπα κιθαρίζοντα* (*καὶ ἐρεθίζοντα* Suid.) *τὴν Γαλατείαν (ἐπεὶ οὖν ἔφη ὁ χορός· ὡς ἥδομαι, ἔφη καὶ ὁ οἰκέτης κἀγὼ βουλήσομαι χορεύειν καὶ ἅμα ἀναφωνεῖ τὸ μέλος ἐκεῖνο· ἡ γὰρ κιθάρα κρουομένη μέλος ποιεῖ· θρεττανελό.* addit Suid. v. *θρεττανελό*). *Φιλόξενος δ' ὁ διθυραμβοποιὸς ἐν Σικελίᾳ ἦν παρὰ Δωριεῦσι. λέγουσι δὲ ὅτι ποτὲ Γαλατείᾳ τινὶ παλλακίδι Διονυσίου προςέβαλε· καὶ μαθὼν Διονύσιος ἐξώρισεν αὐτὸν εἰς λατομίαν, φυγὼν δὲ ἐκεῖθεν ἦλθεν ἐς τὰ μέρη Κυθήρων καὶ ἐκεῖ Δρᾶμα τὴν Γαλατείαν ἐποίησεν ἐν ᾧ εἰςήγαγε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας· τοῦτο δὲ αἰνιττόμενος εἰς Διονύσιον, ἀπείκασε γὰρ αὐτὸν τῷ Κύκλωπι ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὁ Διονύσιος οὐκ ὠξυδόρκει.* (Ad quae postrema verba respicere videtur Eustath. Odyss. *α'* 45. p. 1338. 61. *καὶ ὁ ὀξυώπης. οἷον· ἐπεὶ ὁ Διονύσιος οὐκ ἦν ὀξυώπης.*) — *Καὶ γὰρ παρὰ Φιλοξένῳ πήραν ἔχων ἐπειςῆλθεν. ταῦτα δέ φασι καὶ τὰ ἑξῆς, ὡς καὶ τῆς τυφλώσεως αὐτοῦ ἐν ποιήματι οὔσης. ἐνταῦθα ὁ ποιητὴς παιγνιωδῶς εἰςφέρει τὰ τοῦ Φιλοξένου εἰπόντος πήραν βαστάζειν τὸν Κύκλωπα καὶ λάχανα ἐσθίειν. οὕτω γὰρ πεποίηκεν τὸν Κύκλωπος ὑποκριτὴν εἰς τὴν σκηνήν εἰςαγόμενον. ἐμνήσθη καὶ τῆς τυφλώσεως ὡς οὔσης ἐν τῷ ποιήματι· ταῦτα πάντα διασύρων τὸν Φιλόξενον εἶπεν, ὡς μὴ ἀληθεύοντα. ὁ γὰρ Κύκλωψ ὥς φασιν Ὅμηρος κρέα ἤσθιει, οἱ λάχανα, ἃ τοίνυν ἔφησεν ἐκεῖ ὁ Φιλόξενος. ταῦτα ὁ χορὸς εἰς τὸ μέσον ἀναφέρει.*

[26]) *Οὗρίς φησι διὰ τὴν εὐβοσίαν τῶν θρεμμάτων καὶ τοῦ γάλακτος πολυπλήθειαν Πολύφημον ἱδρύσασθαι ἱερὸν παρὰ τῇ Αἴτνῃ Γαλατείης. Φιλόξενον δὲ τὸν Κυθήριον ἐπιδημήσαντα καὶ μὴ δυνάμενον νοῆσαι τὴν αἰτίαν ἀναπλάσαι, ὅτι Πολύφημος ἐρᾷ τῆς Γαλατείας.* „Nihil novi h. l. afferunt" Scholia Theocr. inedita J. Aderti (Turic. 1843)

quid sibi Galateae templum vellet a Polyphemo propter lactis ubertatem armentorum ad Aetnam consecratum nesciret excogitasse fabellam istam de Polyphemi atque Galateae amoribus. Tamen utrique narrationi non desunt, quae opponi possint. Etenim in priori, ne multis, quae de tyranni caecitate adduntur, impugnem, mirus profecto casus tulisset, si tot cum rerum tum nominum similitudines tam prospere se non tam obtulissent poetae, quam accommodassent potius submisissentque: in posteriori vero Bacchylides aliquam nobis dubitationem excitat, quippe quem Natal. Com. Myth. IX, 8 (nescio sane, quo auctore) primum Galaten praedicasse Polyphemi ex Galatea prognatum referat. Utut est, Cyclopis erga Galateam in hoc carmine expressum amorem esse, lentumque desiderium utraque consentit narratio: unde Toup. ad Theocr. XX, 25 (Tom. II. p. 402 ed. Wart.) plenam inscriptionem fuisse *ΚΥΚΛΩΨ ΚΑΙ ΓΑΛΑΤΕΙΑ* suspicatus est. Sed, ne de titulo nobis litigandum sit, Aristotelis diserta verba prohibuerunt. A. P. II, p. 16 *ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς διθυράμβους καὶ τοὺς νόμους, ὡς Πέρσας καὶ Κύκλωπα* (sic enim pro *Κύκλωπας* c. Reiz. leg.) *Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος μιμήσαιτο ἄν τις.* Ac de variis quidem variorum poetarum fabulis nomine *Κύκλωψ* s. *Κύκλωπες* insignitis egit diserte Friebel Dram. Satyr. Fragm. p. 64 ed. Larsow, quamquam et *Γαλατεία* inscriptae fabulae ferebantur e. g. Nicocharis cf. Meinek. hist. cr. p. 254. Alexidis cf. Meinek. h. c. p. 360 etc. Tamen a veteribus promiscue nunc *ἐν Κύκλωπι* nunc *ἐν Γαλατείᾳ* citatur Philoxenus[27]).

p. 20, „nisi quod *Θοῦρις* B. quod proxime *τῷ Δοῦρις* accedit. Libri omnes *Οὗρις.*" Huic loco similis est Plut. de Pyth. Orac. c. XXIX. *οἱ μὲν οὖν περὶ Γαλάξιον τῆς Βοιωτίας κατοικοῦντες ᾔσθοντο τοῦ θεοῦ (Ἀπόλλωνος) τὴν ἐπιφάνειαν ἀφθονίᾳ τε καὶ περιουσίᾳ γάλακτος·*

προβάτων γὰρ ἐκ πάντων κελάρυξεν
ὡς ἀπὸ κρανᾶν φέρτατον ὕδωρ
θάλιον γάλα.

(Bergk. P. L. Gr. p. 266. Pindar. fr. 150.)

[27]) Serioribus quoque temporibus Cyclopis erga Galateam desiderium saepissime mimica saltatione expressum est. cf. Hor. Epp. II, 2. 125. Sat. I, 5, 63. c. nt. Heindf. Pollio Gallien. VIII. Vopisc. Carin. XIX.

Subjiciam nunc fragmenta eo ordine, quo in carmine integro extitisse suspicor.

I. (6)[28].

– ⏑ – – ⏖ ⏑ – – – ⏑ – ⏓

Συμβαλοῦμαί τι μέλος ὑμῖν εἰς ἔρωτα.

Athen. XV, p. 692 d. *ἐπεὶ δ' ἐνταῦθα τοῦ λόγου ἐσμέν, συμβαλοῦμαί τι μέλος ὑμῖν εἰς ἔρωτα, κατὰ τὸν Κυθήριον ποιητήν.* Cf. Athen. VI, p. 271 b. *συμβαλοῦμαι τί καὶ αὐτὸς μέλος εἰς ἔρωτα τῷ σοφῷ καὶ φιλτάτῳ.* Provv. Append. IV, 77 p. 453 ed. Schneidew.: *Συμβαλούμενος* [lege: *συμβαλοῦμαι μέλος*] *κατ' ἔλλειψιν καὶ αὕτη· ἐνδεῖ γὰρ εἰς ἔρωτα. μέμνηται ταύτης Ἀλέξανδρος.* Bernhardius: *Ἀλεξανδρίδης.* Adde Dionys. Halic. Compos. Vbb. p. 5. Reisk. *εἰς δὴ τοῦτο τὸ μέρος ὃ δεῖ πρῶτον νέοις ἀσκεῖσθαι συμβάλλομαί σοι μέρος εἰς τὸν ἔρωτα, τὸ περὶ συνθέσεως ὀνομάτων,* qui locus miro modo elusit criticorum exercitatissima ingenia, e quibus Upton alterum *μέρος* delevit, utpote vitiose ex praecedentibus repetitum; quod cum retinendum nihilo secius ex codicum consensu viderent posteriores, ex iis Reiskio post *μέρος* deesse *οὐ μικρὸν* videbatur, Schottio Comment. Societ. Philol. Lips. I p. 36 scribi placuit: *εἰς δὴ τοῦτο τὸ μέρος, ὃ δεῖ πρῶτον νέοις ἀσκεῖσθαι, τὸν ἔρωτα συμβάλλομαί σοι τὸ περὶ συνθέσεως τῶν ὀνομάτων.* Denique Schaeferus hanc periclitatus conjecturam est: *συμβάλλομαί σοι μέρος εἰς τὴν ἑορτήν, τὴν περὶ συνθέσεως τῶν ὀνομάτων πραγματείαν.* Quid vero, quod unius literulae emendatio totum locum ita prorsus salvum praestare possit, ut eo nihil et simplicius et dilucidius possit existere? Legendum enim est: *εἰς δὴ τοῦτο τὸ μέρος, ὃ δεῖ πρῶτον νέοις ἀσκεῖσθαι συμβάλλομαί* (vel *συμβαλοῦμαί*) *σοι* *ΜΕΛΟΣ εἰς τὸν ἔρωτα κτλ.* quam conjecturam miror equidem tam diu effugisse viros criticos, cum proverbialis ista locutio: *συμβαλοῦμαί τι μέλος ὑμῖν εἰς ἔρωτα* ex Athenaei ll. ll. omnium debebat esse notissima. Similiter vox *μέλος* pro codd. *μέρος* restituenda est Aristidi Quintiliano p. 71 ed. Meib. *ἑκάστῳ δὲ παρεγγυήματι μέρος* (lege *μέλος*) *ἴδιον ἀφορί-*

---

[28]) Numeri adjecti sunt collectionis Bergkianae.

ζουσα. sc. σάλπιγξ. — Bergkius hunc versum exordium esse Cyclopis non sine magna veri similitudine conjecit. Itaque ego quoque huc retuli. — Meinekius Vol. IV, p. 555 inde *carmen in Amorem* eruit. „Ex his conjicere licet, Philoxenum carmen aliquod suum in Amorem his ipsis verbis exorsum esse, quod cum satis jejunum et frigidum esset exordium carminis postea ut fieri solet in proverbii consuetudinem abiit, quo utebantur, qui post alios se quoque aliquid in medium allaturos esse profiterentur." Bergleinus p. 34 Bergkii „commentum demiratus, voculamque τι vix aptam putans" versum hunc fuisse suspicatur:

Συμβαλοῦμαι μέλος εἰς Ἔρωτα

´‿–´‿‿–‿–‿

II. (8).

. . . . *ὦ καλλιπρόσωπε*
χρυσεοβόστρυχε Γαλάτεια χαριτόφωνε κάλλος Ἐρώτων.

. . . . ⏓´‿‿–⏓
‿‿‿´‿‿‿‿´‿‿‿‿´⏓´‿‿––

Athen. XIII, p. 564 f. *Ὁ δὲ τοῦ Κυθηρίου Φιλοξένου Κύκλωψ ἐρῶν τῆς Γαλατείας καὶ ἐπαινῶν αὐτῆς τὸ κάλλος προμαντευόμενος μὲν τὴν τύφλωσιν πάντα μᾶλλον αὐτῆς ἐπαινεῖ ἢ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν μνημονεύει λέγων ὧδε· ὦ καλλιπρ. κτλ.* Eustath. Odyss. *Z* 167 p. 1558, 15=256, 28. *ἔτι δὲ καὶ Φιλοξένου τοῦ Κυθηρίου τὸ· ὦ καλλιπρόσωπε χρυσεοβόστρυχε, χαριτόφωνε κάλλος ἐρώτων. ἅπερ ἐκεῖνος εἶπεν ἐπὶ Γαλατείᾳ τῇ Νηρηΐδι, ἐπαινῶν αὐτὴν ὡς ἐρωμένην. ἐφ' οἷς παίζων τις ὅτι μὴ καὶ ὀφθαλμοὺς ἐκείνης ἐπῄνησε, φησί· τυφλὸς ὁ ἔπαινος καὶ κατ' οὐδὲν ὅμοιος ἐκείνῳ τῷ Ἰβυκείῳ· γλαυκέων χαρίτων θάλαμος μελέδημα καλλικόμων κτλ.*

Jacobsius Anthol. Vol. VI, p. 102 et Fiorill. ad Herod. Attic. p. 125. Observv. Athen. p. 69 legendum censent: *θάλλος ἐρώτων*, quorum hic de sensu figurato vocis *θάλλος* cfr. jubet Valk. ad Eur. Phoen. v. 98. Hedyl. in Anthol. Gr. VI, p. 559. Orph. Hymn. Proserp. 5. Ibycus [29]) ap. Athen. XIII, p. 564 f.

---

[29]) De loco Ibyci postremo Schoemannus in Prooemio Lectt. Catal. Gryph. 1835 p. 10, 11 contra Schneidewinum disputavit cujus, Boisso-

θάλος eos voluisse Dindorfius monuit. Et hoc ipsum reponendum asseverat Bergleinus p. 52. Tamen *κάλλος* hoc loco corrigas minime opus. Immo *κάλλος ἐρώτων* optime se habet, ac similis est loquendi ratio ap. Eur. Iph. Taur. 1117. Herm. *χαρίτων τε χαίτας*. Unde corrigendam censeo Sappho ap. Philostr. Epist. 73 (fr. CXXXII Neue fr. 138 Bergk.) *γῆς ἐστι* (sc. *τὸ ῥόδον*) *κόσμος, φυτῶν ἀγλάϊσμα, ὀφθαλμὸς ἀνθέων, λειμῶνος ἐρύθημα, κάλλος ἀστραπῶν* (vulg. *ἀστράπτον*). Itaque *κάλλος* bene retinuerunt Nitzsch Odyss. T. II, p. 111. Schneidewinus Delect. p. 339 et Bergkius P. L. Gr. p. 858. — Voce *χρυσεοβόστρυχε* (unus cod. *χρυσιοβόστρυχε*) usus est Euripides Phoen. v. 198. *ὦ πότνια χρυσεοβόστρυχε, ὦ Διὸς ἔρνος Ἄρτεμι.* Sed Euripides syllabam $\overline{χρυ}$ produxit, Philoxenus brevem admisit, quemadmodum in simplici cf. Conviv. v. 51. De metro vocis *χρυσός* et quae inde fiunt verborum egit Hermannus ad Eurip. Iphig. Taur, 1247. Boeckhius Annot. crit. Pind. Pyth. IV, 4 cl. Nem. VIII, 87 unde saepissime primam brevem admissam esse discimus. Adde qui nuperrime rem attigit Meinekium Anall. Alexandr. p. 378 adhibitis locis Athen. XIV, p. 649 c. et Anthol. Palat. XIII, 18. — Ad elocutionem totam compara Sapph. fr. CXX, p. 95 ed. Neue ap. Philostr. Imagg. II, 1. *τοσοῦτον ἁμιλλῶνται αἱ παρθένοι, ῥοδοπήχεις καὶ ἑλικώπιδες καὶ καλλιπάρῃοι καὶ μελίφωνοι, Σαπφοῦς τοῦτο δὲ τὸ ἡδὺ πρόσφθεγμα.* Aristaen. I, 10 *μειλιχόφωνοι.* — In

---

nadii admissa conjectura *νεανίδων*, versuum descriptionem quam maxime comprobo: *Εὐρύαλε γλυκεῶν χαρίτων θάλος | Καλλικόμων μελέδημα νεανίδων | Σὲ μὲν Κύπρις ἅτ᾽ ἀγανοβλέφαρος | Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν.* † Ceterum quod Schneidewinus Ibyc. p. 109 Nitzschium compellat, Eustathii lectionem *θάλαμος* omni intellectu destitutam ad Hom. Odyss. VI. 178 retinuisse, hoc incogitantius mihi factum videtur. Meminerit modo v. d. Sophoclis in Antigone v. 760 (Boeckh.): *Ἔρως — ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεανίδος ἐννυχεύεις.* — Ibyci mentionem Cramerus Anecd. Paris. Tom. IV, p. 189, 19 sibi invenisse visus est, *Ῥαδινὴν: λεπτὴν καὶ κλάδος παρὰ μύκει* (η above υ). Ibi Cramerus: „Leg. fors. *παρὰ Ἰβύκῳ* (*Ἴβυκι*)." Verbo *ῥαδινὸς* utitur quidem Ibycus fr. 52 ed. Bergk. ap. Schol. Apollon. Rhod. III, 106. Sed nihilominus conjectura Crameri falsa ac rejicienda. Leg. *ῥαδινὴν: λεπτὴν καὶ κράδην παραμήκη* (vel *περιμήκη*).

versibus dispescendis a Bergkio et Bergleino discedo, quos ille constituit

tales: – –́ ⏑ ⏑ – ⏓ hic: × – –́ ⏑ – ⏑

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏖́ ⏑ – ⏓́ ⏖ ⏑ – ⏑ ⏖́ ⏑ – ⏓

⏖́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ – – ⏖́ ⏑ – ⏑ ⏖́ ⏑ – ⏓́

III.

(deest ap. Bergk.)

⏑ –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ – ⏓

ὢ λευκότατος καὶ γάλακτος.

Himer. Orat. I, §. 19. Wernsdf. *εἰ δὲ καὶ τὸ ἄνθος τῆς ὄψιος γράφειν ἐθέλοιμι τὰ ποιητῶν ἀνάγκη φθέγγεσθαι· ὢ λευκότητος καὶ γάλακτος· ταῦτα γάρ πού τις ποιμὴν παρ᾽ ἐκείνοις ποθῶν τὴν Γαλατείαν τὴν Νηρηΐδα προσείρηκεν, ἐκ τῆς ἑαυτοῦ ποιήσας τέχνας τὸ μέλος.*

„Jambus est imperfectus, quo pastor Siculus et Cyclops Polyphemus album lac videre et bibere solitus adulatur Galateae apud poetam dithyrambicum Philoxenum Cytherium nunc deperditum; sed ut Schol. Theocr. testatur fabulae de amore Galateae verum inventorem. Hunc imitati postea Bio Smyrnaeus p. 205 Theocr. XI, 19. Callimach. test. Athen. VIII, p. 284 et Schol. Theocr. XI, p. 101. Lucian. Dial. Marin. p. 288. Philost. Icon. II, 18 p. 840, Ovid. Metam. XIII, v. 707, Sed nuspiam in ullo loco exstant illa verba ab Himerio laudata, ut a Philoxeno, cujus drama Cyclops dictum jambis (?) constabat, sumpta fuisse verisimile sit." Wernsdorf. Ac sane sunt haec verba Theocriteis prorsus similia:

ὢ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ᾽ ἀποβάλλῃ;
λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν κτλ.

cujus modi ad hyperbolas respiciens Gregor. Comment. in Hermog. p. 914 ait *αἰσχρῶς μὲν κολακεύει τὴν ἀκοὴν ἐκεῖνα, ὅσα εἰσὶν ἐρωτικά. οἷον τὰ Ἀνακρέοντος, τὰ Σαπφοῦς. οἷον γάλακτος λευκοτέρα, ὕδατος ἁπαλωτέρα, πηκτίδος ἐμμελεστέρα κτλ.* cf. Neue ad Sapph. fr. XCVI, p. 90.

IV. (11.)

– –́ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏖́ ⏑ –́ ⏓

ἀλλ᾽ εἷα τέκεα, θαμίν᾽ ἐπαναβοᾶτε.

Schol. Arist. Plut. v. 290. τὸ δὲ ἀλλ' εἶα κτλ. ἐκ τοῦ Κύκλωπος Φιλοξένου ἐστίν. — Philoxeni est etiam χρουμάτιον· θρεττανελό. — ἀλλ' εἶα exhortantis est. Io Chius ap. Athen. XIV, p. 634 c. ἀλλ' εἶα Λυδαὶ ψάλτριαι παλαιθετῶν | Ὕμνων ἀοιδαὶ τὸν ξένον κοσμήσατε. Cfr. Reisig de constr. antistr. p. 19. ἐπαναβοᾶτε Meinek. Vol. IV, p. 550.

V. (7.)

Schol. Theocr. XI. 1: καὶ Φιλόξενος ποιεῖ τὸν Κύκλωπα παραμυθούμενον ἑαυτὸν ἐπὶ τῷ τῆς Γαλατείας ἔρωτι καὶ ἀντελλόμενον τοῖς δελφῖσιν, ὅπως ἀγγείλωσιν αὐτῇ, ὅπως ταῖς μούσαις τὸν ἔρωτα ἀκεῖται. Plut. Q. Symp. I, 5 Tom. II, p. 622 c. καὶ τὸν Κύκλωπα Μούσαις εὐφώνοις ἰᾶσθαί φησιν τὸν ἔρωτα Φιλόξενος. Plut. Erot. c. 18. Μούσαις εὐφώνοις ἰωμένη τὸν Ἔρωτα κατὰ Φιλόξενον· unde patet in utroque loco verba Philoxeni expressa esse.

Eadem sententia expressa est ap. Theocr. XI, 1 οὐδὲν ποττὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο Νικία οὔτ' ἔγχριστον (ἐμὶν δοκεῖ) οὔδ' ἐπίπαστον Ἢ ταὶ Πιερίδες. v. 80. οὕτω καὶ Πολύφαμος ἐποίμαινεν τὸν ἔρωτα Μουσίσδων ῥᾷον δὲ διᾶγ' ἢ χρυσὸν ἔδωκεν.

VI. (9.)

— ⏑ — — ⏑⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑

Οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν.

Zenob. V, 45. ἐπὶ τῶν δυσανασχετούντων ἐπί τινι δυσχερεῖ πράγματι λέγεται ἡ παροιμία. Κύκλωψ γάρ ἐστι δρᾶμα Φιλοξένου τοῦ ποιητοῦ, ἐν ᾧ Ὀδυσσεὺς περισχεθεὶς τῷ τοῦ Κύκλωπος σπηλαίῳ λέγει: οἵῳ κτλ. cf. Diogenian. VII, 19. Mich. Apostol. XIV, 24. Arsenius p. 379. De hoc versu sic disputat Fiorillo Observ. Ath. p. 84 sqq.: „Verba sunt Ulyxis caverna a Philoxeno inclusi. Grotius ut Jambum sanum redderet, emendavit συγκαθείρξατο, quam emendationem recepit Gataker Adverss. Miscell. posth. p. 522. Forma activa se recte habet. Ananias Sicul. ap. Athen. III, p. 70 f. (vel Hipponax teste Stobaeo Serm. XCV, p. 519 Gesn.) εἴ τις καθείρξε χρυ-

σὸν ἐν δόμοις πολλόν. Eur. Bacch. 688: *πρὸς φάτναις δὲ ταῦρον εὑρών, οὗ καθεῖρξ' ἡμᾶς ἄγων.* v. 509. *χώρει καθείρξατ' αὐτόν.* T. H. ad Xen. Ephes. in Miscell. Observv. Tom. VI, p. 303 putat versum corruptum et ut fieret trimeter voculam addidit *ἄν. συγκαθεῖρξεν ἄν.* Sed nullam video necessitatem catalecticum mutandi in acatalectum. De hoc versiculo judicium etiam tulit Valken. Eur. Hipp. 1389, p. 314. „Versus fertur ex Eur. Androm. *οἴῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκατῴκισεν* quod ibi vulgatur *συγκαθεῖρξεν* alteri forsan adscriptum fuerat ut interpretamentum." — „*συγκαθείρξατο* Graecis quibus nostra debentur monumenta, non opinor in usu fuisse, qua in re saepe peccant correctores." Memorabile vero est Casaub. ad Athen. III, p. 203 ex Eurip. Andromeda versum laudare hunc: *οἴῳ μ' ὁ δαίμεν θηρίῳ συνῴκισεν,* quem etiam sub Euripidis[30]) nomine exhibent Gataker Adv. Crit. p. 522. Barnes. add. ad Eur. Fragm., Valk. Eur. Hippol. 1389 et Beck Add. ad Musgr. Fr., sed qua auctoritate nescio, nam minime auctorem, qui conservaverit laudarunt. Caeterum Theognet. Com. ap. Ath. III, p. 104 C. versiculum parodia expressit:

— — — *οὐδεὶς πώποτε*
ταύτην λαβὼν ἀπώλεσ', ὦ τάλας ἐγώ,
οἴῳ μ' ὁ δαίμων φιλοσόφῳ συνῴκισεν.

Ex Eurip. Alcmaeone *παῖδά μοι ξυνοικίσας* adfert Suid. v. *πένθερα.*" — De metro versiculi hujus verissime Meinekius Com. Fr. Tom. IV, p. 550. „In illo autem Ph. versu tanto minus aliquid mutaverim, cum iisdem numeris aliud etiam ex Cyclope fragmentum apud Arist. Plut. 292 adstrictum sit: *ἀλλ' εἶα τέκεα θάμιν' ἐπαναβοᾶτε.* Nec aliam metri speciem referre videntur verba *ἐθύσας ἀντιθύσῃ,* quae ex eodem carmine Suidas I, p. 685 et alii afferunt." Tamen neque iambum a dithyrambica poesi alienum fuisse Plut. de Mus. Vol. XI. p. 68, Reisk. testis est. Bergleinus versum ab initio mutilum putat . . . — ⏑́ ⏑ — — || ⏑⏑́⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑

---

[30]) His adde Matthiaeum Eurip. T. IX, p. 45. V. Fritzschium Aristoph. Thesmoph. 489 et Witzschelium Eurip. fragm. Tom. IV. p. 183.

VII. (10.)

⏑ – ⏑ – ⏑ – –

Ἔθυσας; ἀντιθύσῃ.

Suid. v. ἔθυσας ἀντιθύσῃ· τοῦτο παρὰ Φιλοξένῳ ὁ Κύκλωψ λέγει πρὸς τὸν Ὀδυσσέα· ἀπεδέχοντο γὰρ τό — ἔνθάδε πῦρ κείαντες ἐθύσαμεν — παρὰ τῷ ποιητῇ εἰρῆσθαι ἐπὶ τῶν ἀρνῶν οὐχὶ δὲ τὸ ἀπεθύσαμεν νοεῖσθαι. Zonar. Tom. I, p. 625 Tittm. ἔθυσας· ἀντὶ τοῦ θύσῃ. [τοῦτο παρὰ Φιλοξένῳ.] cfr. Prov. Vat. II, 1 ἔθυσας, ἀντὶ θύῃ, Cod. Bodlej. 456 ἐθύσας ἀντιθύει.

Locus Homeri est Odyss. IX, v. 231. — Bergleini (p. 55) disputationi non assentior.

VIII. (13.)

– – – – – – ⏑

εὐρείτας οἶνος πάμφωνος.

Athen. II, p. 35. ὁ δὲ Κυθήριος Φιλόξενος λέγει κτλ. Bene epitom. εὐρείτας pro εὐρρείτας. Bergkius inter fragmenta incerta posuit. Bergleinus p. 62. „Ambiguum est an e convivio sumpta sint, nam Epitomator titulum carminis omisit. Dissuadet tamen metrum cujus de caussa transponenda sunt verba: ἐυρείτας πάμφωνος οἶνος." Ad Cyclopem jam retulit Fiorillo p. 86 Casaubonus: „Vinum large fluens omnis generis voces ciet. Sic saepe τὸ ῥεῖν non fluere simpliciter, sed ferri cum impetu significat. Demosth. [pr. Coron. I, p. 272 R.] Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ λαμπρῷ ῥέοντι καθ' ἡμῶν. Et εὐρείτας ἄνεμος ap. poetas vehemens et λαμπρός." — Paulo post in versu Mnesithei p. 36 A. legitur: ἰσχύν τε ταῖς ψυχαῖσιν καὶ τοῖς σώμασιν· unde obiter corrigendus est Soph. O. C. 610 Brunck. Φθίνει μὲν ΙC ΨΥΧΗC φθίνει δὲ σώματος· (vulgo ἰσχὺς γῆς mendose.), quam conjecturam, a se profectam, communicavit mecum J. Heldius V. D. cf. Solon. fr. 25. Bergk. . . . μαλακώτερα δ' αὐτοῦ πρὸς μεγάλην ἀρετὴν σῶμά τε καὶ δύναμις· quo in loco δύναμις idem valet ac ἰσχὺς ψυχῆς. Clitarchus ap. Maxim. Monach. Serm. XXIX, p. 93, 57. Ἡ ἰσχὺς τοῦ σώματος μὴ γενέσθω τῆς ψυχῆς ἀσθένεια, ἰσχὺν δὲ ψυχῆς φρόνησιν νόμιζε.

IX.

(deest ap. B.)

τὸν ἀρκεσίγυιον.

Antiphan. ap. Athen. X, p. 446. a. παράδιδου δ' ἑξῆς ἐμοί
τὸν ἀρκεσίγυιον, ὡς ἔφασκ' Εὐριπίδης.
B. Εὐριπίδης γὰρ τοῦτ' ἔφασκεν; A. ἀλλὰ τίς;
B. Φιλόξενος δήπουθεν. A. οὐδὲν διαφέρει.
ὦ τᾶν, ἐλέγχεις μ' ἕνεκα συλλαβῆς μιᾶς.

Casaub. h. l. „Apud poetam unde sunt ista poscebat aliquis vinum, sed ille non οἶνον appellat, verum ἀρκεσίγυιον, ut comico more rideat Philoxenum, qui sic erat locutus. At de industria ignorantem fingit, qui loquitur et Euripidi attribuit quod erat Philoxeni verbum. In ea voce illud novum, quod epitheton vini pro appellatione vini usurpat. Deinde ἀρκεσίγυιον vinum appellans Homero contradicit, qui contra ἀπογυιοῦν id dixit Il. ζ' 265." cf. Meinek. Tom. III, p. 645. Antiphan. frgg. Tom. III, p. 120. Ceterum epitheton ἄκρατον simili modo usurpatur: immo daemonem Ἄκρατον novimus. cf. Nevium ad Sapph. fr. CXXVII, p. 98.

Denique Hugo Grot. Excerptt. p. 866 hunc etiam versum ex Cyclope Philoxeni citat: ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ. Sed hunc Aristiae Cyclopi Dramati Satyrico adjudicandum esse, bene viderunt R. Fiorillo Observ. crit. p. 84 et Friebel fragm. Satyr. Gr. p. 65 ed. Fr. Larsow. — Cf. Toup. Emendd. in Suid. T. II, p. 477.

Tam parca igitur, cum nobis fragmentorum seges provenerit, de ipsa carminis venustate ac praestantia mancum tantum modo judicium conceditur. Tamen quo modo singula cohaeserint, fabulaeque nexus ac progressus qualis fuerit non ita difficile est conglutinatu. Ac de dupplici quidem choro ex Ulyxis sociis atque Polyphemi armentis composito, infra ubi de cycliis choris sententiam meam aperiam, disputabo. Videtur igitur Ulyxes suo choro primus incentivum dedisse; ut jure possit προεξάρχων vocari, quod eum ea quoque narratione optime convenit, Philoxenum ipsum Ulyxis sibi personam sumpsisse. Et quid multum? Conquesti haud dubie dura belli marisque mala, post quam diu anxie, num quid ista regio,

quo frui ad expellandam famem possent, procrearet, undique circumspexissent extemplo Polyphemi visis armentis, descensum in antrum ad mactandas oves parant. Etenim in antris cogitandum Ulyxem esse fragmentis VI et VII evincitur. Ubi dum commorantur Polyphemus videtur cantilenam suam amoris desideriique plenam auspicatus esse; increpante cithara ridiculum illud θρεττανελό, θρεττανελό. Atque cantus ipse ex quo genere fuerit, optime Theocriti ni fallor docebit Galatea, nimirum laudes amasiae ineptissimae pulcritudinis praedicationes rusticae, comparationes denique rerum dissimillimarum plane ridiculae; omnia tamen flagrantia ignibus amoris, aut lento torrentia ac marcescentia desiderio, cf. fr. I, II, III. Neque ipsi quantae sint in antris pratisque pascentes armentorum pecorumque greges, quanta lactis, caseique ubertas, oblitus esse videtur commemorare, imo fragm. IV, capellas agnosque alloquitur, ut laetas voces emittant, dominique et promissa confirment, et ipsi desiderio impleantur mutuo. Quibus omnibus tentatis, ubi nihil moveri Galateam videret, — ne putes amore ipsum periisse, aut ex rupibus in mare se dedisse praecipitem quomodo Alpheum quondam fecisse fama perduravit; — sed delphinis imperat, ut hunc potius ad Galateam nuncium afferant: in Musarum sibi donis desiderii subnaturum esse remedium, tristiciaeque edacis medicinam. Haec ubi dicta dedit, ad antra reditum parans, conspicit Ulyxem cum sociis, atque nefandam armentorum caedem, ulturus, expavefacto heroi (fr. VI) immanem minatur interitum: Necasti, ait, ideo nece poenas dabis (VII). Verum tamen Ithacensem Sisyphi prolem, ne nunc quidem fugit insita atque innata ingenii calliditas, sed crescente periculi magnitudine veterem recuperat astutiae dexteritatem, promptoque vini, quem Maroni acceptum retulit, utre laudat potus praestantiam, et Cyclopi ad bibendum porrigit poculum fr. VIII, IX, eumque post immodicum bibacioremque haustum alto somno obstrictum, immani trabe in oculum incussa, excaecat. Itaque hanc fere ex tam paucis reliquiis de nexu et argumento totius carminis facere conjecturam possumus, quod quantum poetae occasionem dederit et poeticae et saltatoriae artis doctrinam

dexteritatemque ostentandi nemo est, quin videat. Equidem certe satis mirari nequeo, quod Eichstadius de Dram. Com. Satyr. p. 31 sqq. hujus carminis indolem tam male perspexerit, ut, cum quatuor sibi excogitasset Satyricae poeseos aetates hoc poëma in pessima earum excogitatum putaret, qua quidem poetae satyrici a populi celebritate et lumine scenico ad umbratilem exercitationem scribendique solitudinem revocati, eam modo ad artis affectationem, modo ad impune lacessendi cupiditatem traducerent, dramata proponentes legenda aequalibus non item spectanda in theatris[31]). Jacobus quidem Q. S. p. 33—40 hanc opinionem studuit retundere, at satis eam infirmis aggressus argumentis nempe, quod etiam si scriptum fuerit carmen, tam magnam unquam celebritatem nacturum fuisse vix credibile sit, neque caussa Philoxeno metuendi Dionysii ulla fuerit. Sed res, ut dixi in integro est, quoniam ex ipsa carminis quam delineavimus compositione ne quid de Aristophanis parodia addam, publica lux abunde clarescat. Neque hanc meam sententiam a Bergleino mihi eripi patiar, quamvis affirmet, a scena tale carmen, quod neque verus dithyrambus neque drama fuerit, alienum esse. Fuit enim, si quid aliud carmen, Cyclops verus dithyrambus, quod bene affirmat Fiorillo p. 83: „Credo Cyclopem ad dithyrambos esse referendum; at personas inter se locutos." — Nam sane callide sententiam torsit finxitque Eichstadius his verbis concipiendo: „dithyrambicis versibus ad dramatis similitudinem conformatis" constitisse Cyclopem, quae repetiit Bergleinus p. 56 non dissentientibus docto Brittano in Monthly Review p. 799 Jan. p. 100. God. Hermanno A. P. p. 101 et

31) In quo judicio Bergleinum p. 56, 7 prorsus habet assentientem: „Quod si Aristoteles Rhetor. III, 12. Chaeremonem una cum Licymnio poeta lyrico inter ἀναγνωστικούς refert poetas quorum carmina legenda potius sint aequalibus quam in scenis committenda et spectanda eadem mihi ratio valere videtur de Cyclope Philoxeni, eoque magis quo a fabulae scenicae specie longius abfuit" . . . . . „Nisi tu forte putas dithyrambum etiam illum, quo poeta mensarum lautitias persecutus est scenicis luminibus illustratum esse."

Franc. Ritter diss. de Aristophanis Pluto Bonn. 1828. 8, qui Eichstadii verba etiam nonnullis auxit atque illustrare studuit p. 19 „versibus dithyrambicis ad idyllii dramatici similitudinem conformatis et Cyclops inscriptis." A qua sententia non multum abest H. Bartsch de Chaeremone tragico poeta (Mogunt. 1843. 4) p. 44. „Fuit igitur re vera Chaeremonis Centaurus et compositione et forma *ein episch-lyrisch-dramatisches Allerlei;* ita ut vel adeo certum nomen deesset quo ejusmodi opus distincte significaretur. Perquam apte cum eo confertur Cyclops Philoxeni, dithyrambus Aristotele teste, sed in quo et Cyclopi et Ulyxi et Galateae suae cuique partes essent, ita ut ab aliis drama diceretur." Cf. l. l. p. 14. — Vossium Instit. Poet. II, p. 97. Fabricium B. Gr. II, p. 315. Brumoeum Th. de Grecs Tom. X, p. 19. Buhlium Aristot. Poet. p. 11. Burettum Mem. de l'Acad. T. XIII, p. 205. Wernsdorfium Himer. Or. I, 19. Schoellium Hist. Lit. Gr. I. p. 269, qui Eichstadium male intellexisse videtur; Luetckium de Dithyr. p. 22, 78 et quem assentientem habet Ulricium II. p. 601, omnino non curamus. Ceterum vide, quod infra dicturi sumus c. VII de munere *ἐξάρχοντος* et *προσεξάρχοντος.*

Unum addam. Asservatur enim in Villa Albani N. 36 Polyphemus lapide expressus, quem ad nostri similitudinem efformatum esse persuasum habeo. De eo Winkelmannus Monum. Ant. ined. N. 36, p. XLIII sic disputat:

„POLIFEMO. La figura di Polifemo, figliuolo di Nettuno, scolpita, nel basorilievo della villa dell' Eminentissimo Alessandro Albani al Numero 36, non perde il pregio di rarità appresso due pitture Ercolanesi che figurano l'istesso Gigante considerandosi che il nostro è l'unico che si trovi espresso in marmo. Egli sta cantando in suoi amori per Galatea; mentre un amorino sembra dettargli il canto e i pensieri. La sua cetra vedesi rozzamente composta di rami d'alberi et il plettro ch' egli ha nella mano destra sarà stato uno stecco di legno o una cosa simile, conveniente a questa cetra per altero il braccio antico, essendo stato staccato dal fondo del marmo, si è perduto, e quello che gli è stato rimesso è moderno."

Praeter haec paucula fragmenta e Philoxeneis nihil omnino aetatem tulit. Etenim, quae praeterea sub Ph. nomine feruntur, dubitari potest, cui potissimum e tanto Philoxenorum numero attribuenda sint. Sunt vero haec:

I. Plut. non posse suav. viv. sec. Epicur. Tom. XIV, p. 114 Hutten. *Φιλόξενον δὲ γράψαντά που περὶ παιδῶν καλῶν, εἰ πρίεται, μικρὸν ἐδέησε τῆς ἐπιτροπῆς ἀποστῆσαι:* —

II. Theophr. de ventis p. 65 ed. Furlean. *Πνεῖ δ' ἐνιαχοῦ μὲν χειμερινός, ὅθεν καὶ ὁ ποιητὴς δυσαῆ προςηγόρευσεν. ἐνιαχοῦ δὲ μετρίως καὶ μαλακῶς· διὸ καὶ Φιλόξενος ἰδίαν αὐτοῦ πεποίηκε τὴν πνοήν.*

Tale quid facile in dithyrambo exstitisse potest, quos valde ventosos ac turgidos fuisse vidimus. Quod ad elocutionem cf. Meleag. Epigr. XLV Graef. *Χειμέριον μὲν πνεῦμα. χειμαίνει δ' ὁ βαρυ πνεύσας πόθος* (lusit in voce *πόθος* et *Νότος*).

III. Etym. Gud. p. 85, 44. *'Αστεφής (ἀστεμφής) καὶ ἀστεμφέως ἀμετακινήτως καὶ ἰσχυρῶς, παρὰ τὸ σέμμα. (στέμβω) ὃ σημαίνει καὶ κινεῖν συνεχῶς· οὕτω μέμνηται (κέχρηται ?) Αἴσχυλος. ἀςεμβὴς οὖν ὁ ἀμετακίνητος καὶ ἀςεμφής, οὕτω Φιλόξενος.* Cfr. Etym. Graec. Paris. Cod. 2636 apud Cramer Anecd. Paris. Tom. IV, p. 61, 18.

Schoemannus praef. catal. lectt. Gryph. 1835. 4. p. 9. „Formam *ἀστέμβης* autem praeter Hesychium etiam Etym. Gud. agnoscit, et si recte locus habet Philoxeni poetae (?) auctoritate comprobat."

Conf. quae supra suspicati sumus p. 22. — Non minus dubium est, quisnam intelligendus Philoxenus sit apud Cramerum Anecd. Paris. Tom IV, p. 188, 27 s. v. *Πολύϊδος.* Certe grammaticum laudari hoc loco non constat, quamquam ipsius librum *περὶ μέτρων* respici videri possit.

IV. Antigon. Hist. Mirab. 127. *οἱ Δελφοὶ δὲ λέγουσιν, ὅτι ἐν τῷ Παρνασσῷ κατά τινας χρόνους τὸ Κωρύκιον φαίνεται χρυσοειδές. Διὸ καὶ τὸν Φιλόξενον οὐδεὶς ἂν εἰκαιολαλεῖν εἴποι λέγονθ' οὕτως·*

αὐτοὶ γὰρ διὰ Παρνασσοῦ
χρυσορόφων Νυμφέων εἴσω (ἴσαν) θαλάμων.

Th. Bergkius Poet. Lyr. Graec. p. 859 fr. 14 addidit ἴσαν. quem etiam nunc sequi malo, quam Bergleinum p. 62, qui sequutus Emperium in Zimmerm. Diar. 1830, p. 1143 verba ad lyricos numeros revocat:

vituperans Westermannum in edit. παραδοξογράφων p. 91 et probata Emperii conjectura: αὐγὴ s. αὐτή. De re cf. Meinek. Anal. p. 272.

V. Hesych. p. 1025 ed. Albert. s. v. Δορύφορον· τὸν δορυφοροῦντα. Ἀριστοφάνης Δαιδάλῳ· ὅτι δὲ Φιλοκτήτης τῇ λέξει ἐχρήσατο πρῶτος δηλοῖ Τηλεκλείδης ἐν Πρυτανεῦσιν. — Tib. Hemsterh. h. l. Φιλόξενος correxit, quem contra Meinekius Hist. crit. p. 89 disputat his: „Quae si vera esset conjectura Teleclidem minimum usque ad Olymp. XCIV fabulas docuisse censendum esset. Philoxenus enim ex fide Chron. Par. Ep. 69. quinquagesimo aetatis anno mortuus est Olymp. CI, 1. Natus igitur est Olymp. LXXXVI, 2. Nominis autem celebritatem assecutus est circa Olymp. XCV, ½ ut diserto constat testimonio Diod. Sic. XIV, cp. 46. Commemorari igitur non potuit a Teleclide, quem vitam ultra Periclis aetatem produxisse demonstrari non potest. Quae cum ita sint ap. Hesych. pro Φιλοκτήτης fortasse Philoclis nomen reponendum est, cujus etiam in Hesiodis meminisse Teleclidem vidimus."

VI. Etym. Magn. p. 753, 50. τριτημόριον τοὺς ἓξ χαλκοῦς εἴρηκε Φιλόξενος. Ibi Meinekius Comic. Fragm. T. IV, p. 24 ex Polluce IX, 65 pro Philoxeno restituit Φιλήμων nomen.

VII. Etym. Magn. p. 376, 40: Ἑρμῖς, ὁ κλινόπους, ἐπειδὴ ἐν αὐτοῖς ἔγλυφον ἀγάλματα Ἑρμοῦ, ὡς ἐφόρου ὕπνου καὶ ὀνείρων καὶ Φιλοξένης χάρισιν. Cfr. Sturz Etym. Gudian. p. 868. Sylburgius l. l. et Meursius ad Hesych. Illustr. p. 128 conjecerunt: Φιλόξενος χάρισιν. Non dubito, quin hic quoque corrigendum sit Φιλήμων Χάρισιν. Bergleinus p. 38 locum attigit, sed rem, quasi „valde incertam in medio relinquendam" duxit.

VIII. Superest Epigramma in Anthol. Palat. IX, 319: *Φιλοξένου·*

> *Τληπόλεμος ὁ Μυρεὺς Ἑρμᾶν ἀφετήριον ἕρμα*
> *ἱροδρόμοις θῆκεν παῖς ὁ Πολυκρίτεω,*
> *δὶς δέκ' ἀπὸ σταδίων ἐναγώνιον· ἀλλὰ πονεῖτε*
> *μαλθακὸν ἐκ γονάτων ὄκνον ἀπωσάμενοι.*

Hoc epigramma ad Philoxenum Cytherium referri auctorem non posse quemadmodum Bergkius fecit, perspexit Bergleinus p. 63 Pausania V, 8, 11 in partes vocato. Cfr. Fr. G. Schneidewinus in Annall. Beroll. critt. p. 501 (1844 mens April).

Philoxeni Leucadii haec esse videntur:

I. *στρεπταιγλᾶν.* cf. Schol. Arist. Nubb. v. 334.

II. *Γάμε θεῶν λαμπρότατε.* Athen. I, p. 5 (Bergkius Cytherio tribuit fr. 12 p. 859) unde Meinek. Com. Vol. III, p. 178 correxit Anaxandr. Odyss. II, 2.

III. *Ἄρξομαι ἐκ βόλβοιο τελευτήσω δ' ἐπὶ θύννον.*

Plato Com. ap. Athen. I, p. 6 (Meinek. Com. Fr. Tom. II, 2, p. 673) Eustath. Il. p. 1164, 25. *τοῦτον δὲ ἀνάπαλιν ἔχει παραποιηθὲν ἀστείως ἐξ Ὁμήρου τὸ ἄρξομαι δ' ἐκ βόλβοιο, τελευτήσω δ' ἐπὶ θύννον.*

Ceterum memorabile est illud *δὲ* insertum post *ἄρξομαι*, quod ap. Athen. habet etiam Cod. B. V.; quia hic versus videtur Casauboni Lectt. Theocr. 18, T. II, p. 195 Reisk., Salmasii ad Dosiad. ar. p. 242. Merrikii ad Tryphiodor. 420. Jensii Lectt. Lucian. 2, 6 p. 166. Fabric. B. Gr. I, 19, 5. Passowii ad Musaeum p. 141 sententiae favere, diphthongos nempe *αι* et *οι* corripi posse. Sed hic versus ex eodem genere est, e quo secundus eorum, quos Gronov p. 274 e Manethone collegit II, 201. *ἀντ' ἀγαθῶν καὶ λυγρὰ καὶ δ' ἀντία γίνεται αἰεί.* Corrigendus enim uterque versus, ejecto *δ'* cf. Dorvill p. 663. Eadem vocula redundat in Eurip. Cyclop. v. 93, *τὴν δ' ἀνδροβρῶτα* (leg. *τὴν ἀνδρ.*) *δυςτυχῶς ἀφιγμένοι.* —

Restat, ut de laudatoribus ac de ingenio Philoxeni nonnulla addantur. Atque ex tota antiquitate nemo splendidiores ejus laudes depinxit, quam Antiphanes comicus ap. Athen. XIV, p. 643 A.

Πολύ γ' ἐστι πάντων τῶν ποιητῶν διάφορος
ὁ Φιλόξενος· πρώτιστα μὲν γὰρ ὀνόμασι
ἰδίοισι καὶ καινοῖσι χρῆται πανταχοῦ·
ἔπειτα τὰ μέλη μεταβολαῖς καὶ χρώμασιν
ὡς εὖ κέκραται· θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν
ἐκεῖνος, εἰδὼς τὴν ἀληθῶς μουσικήν.
οἱ νῦν δὲ κισσόπληκτα καὶ κρηναῖα καὶ
ἀνθεσιπότατα μέλεα μελέοις ὀνόμασιν
ποιοῦσιν ἐμπλέκοντες ἀλλότρια μέλη.

De Machon. com. vss. ap. Athen. VIII, p. 341 B. jam supra dixi, quid sentiam, atque Hermesianactis disticha pulcherrima ap. Athen. XIII, p. 598 non semel laudavi. Alexander Magnus, quanti Philoxeni fecerit carmina, eo diserte indicavit, quod per Harpalum ea sibi mittenda in Asiam curaret, (Plut. V. Alex. c. VIII), tamen Antigenidas ille tibicen, quem eodem Plut. teste (de Alex. fort. orat. II, 2, p. 355 A.) secum habuit Alexander, non Philoxeni auloedus fuit, ut Bodius in hist. Gr. Poes. T. II, p. 321 §. 21 autumat, sed Satyri filius tibicen (*αὐλητής*) de quibus infra pluribus locuturi sumus. Quid quod Arcadum institutis sancitum esset, ut pueri non hymnos solum paeanesque ex patrio more in festis deorum heroumque decantarent, sed certis quoque anni diebus Timothei ac Philoxeni nomos iterum in certamen immitterent. Docet Athen. XIV, p. 626: *παρὰ γοῦν μόνοις Ἀρκάσιν οἱ παῖδες ἐκ νηπίων ᾄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμον τοὺς ὕμνους καὶ παιᾶνας, οἷς ἕκαστα κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους ἥρωας καὶ θεοὺς ὑμνοῦσι. μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς Τιμοθέου καὶ Φιλοξένου νόμους μανθάνοντες χορεύουσι κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Διονυσιακοῖς αὐληταῖς ἐν τοῖς θεάτροις, οἱ μὲν οὖν παῖδες τοὺς παιδικοὺς ἀγῶνας, οἱ δὲ νεανίσκοι τοὺς τῶν ἀνδρῶν*, cf. Polyb. IV, 20, 9. Omnino etiam vivo Philoxeno, carmina ipsius plurima inter popularia, ut ita dicam abierunt, siquidem sat limpido e fonte profluxerunt, quae, nescio unde Lilius Gyraldus narrat opp. Tom. II, p. 344. „Graecorum monumentis proditum est, cum Philoxenus quosdam coctilium laterum confectores audisset sua carmina male concinentes, ille tum in eorum lateres insiliens eos pedibus conculcavit hoc simul dicens: „Vos ô operarii ut mea, sic ego

vestra opera corrumpo." Laudes ejus celebrat etiam Aelian. H. A. II, 11: *Δάμωνα μὲν οὖν καὶ Σπίνθαρον καὶ Ἀριστόξενον καὶ Ξενόφιλον καὶ Φιλόξενον καὶ ἄλλους ἐπαΐειν μουσικῆς κάλλιστα καὶ ἐν ὀλίγοις ἐξετάζεσθαι τήνδε τὴν σοφίαν θαυμαστὸν μὲν ἄπιστον δὲ καὶ παράλογον οὐδαμῶς.* — Alexandrini denique Philologi in canonem receperunt Philoxenum. — Jo. Tzetzes stich. *περὶ διαφόρων ποιητῶν* 140 sq.

Φιλόξενον δὲ τὸν Κυθήριον λέγε
τῶν διθυράμβων εὑρέτην συγγραμμάτων.

(cf. Duebner Rhen. Mus. 1835. p. 393. Cramer Anecd. Oxon. III, p. 334. Meinek. Com. Gr. Fr, T. II, p. 1245.) Tzetzes Prol. ad Lycophr. p. 252 (ed. Mueller). Tanto igitur apud suppares et posteros in honore Philoxenus fuit, ac licet neque defuerint, inter severiores, rigidioresque poetas comicos, qui depravatorem eum ac musices corruptorem haud secus ac Melanippidem, Timotheum, Polyidum all. coarguerent, tamen quo majore adversus eum vehementia calamum stringerent eo dignioren tantae concertationis adversarium fuisse ipsi haud obscure prodiderunt. Atque in musica arte quam audax exstiterit novator, ut priores omnes, qui a genuina atque severa musica deflectentes comicorum bilem moverant, quin etiam Melanippidem praeceptorem suum facile superasse visus sit, multis Plutarchi locis evincitur. Plut. de Music. XII. *Κρέξος δὲ καὶ Φιλόξενος καὶ Τιμόθεος καὶ οἱ κατ' αὐτὴν τὴν ἡλικίαν γεγονότες ποιηταὶ φορτικώτεροι καὶ φιλόκαινοι γεγόνασι, τὸν φιλάνθρωπον καὶ θεματικὸν νῦν ὀνομαζόμενον τρόπον διώξαντες. τὴν γὰρ ὀλιγοχορδίαν καὶ τὴν ἁπλότητα καὶ σεμνότητα τῆς μουσικῆς παντελῶς ἀρχαϊκὴν εἶναι συμβέβηκεν.* Plut. de Mus. XXIX, XXX. *Ὁμοίως δὲ καὶ Μελανιππίδης ὁ μελοποιὸς ἐπιγενόμενος οὐκ ἐνέμεινε τῇ προϋπαρχούσῃ μουσικῇ, ἀλλ' οὐδὲ Φιλόξενος οὐδὲ Τιμόθεος.* cf. Burette Mem. de l'Acad. T. X, p. 207. Plut. de Music. c. XXXI, p. 1142 B. C. *ὅτι δὲ περὶ τὰς ἀγωγὰς καὶ τὰς μαθήσεις διόρθωσις ἢ διαστροφὴ γίγνεται δῆλον Ἀριστόξενος* (p. 160 Mahne) *ἐποίησε· τῶν γὰρ κατὰ τὴν αὐτοῦ ἡλικίαν φησὶ Τελεσίᾳ τῷ Θηβαίῳ συμβῆναι νέῳ μὲν ὄντι τραφῆναι ἐν τῇ καλλίστῃ μουσικῇ καὶ μαθεῖν ἄλλα τε τῶν εὐδοκιμούντων καὶ δὴ καὶ τὰ Πινδάρου τά τε Διονυσίου τοῦ*

Θηβαίου καὶ τὰ Λάμπρου καὶ τὰ Πρατίνου καὶ τῶν λοιπῶν ὅσοι τῶν λυρικῶν ἄνδρες ἐγένοντο ποιηταὶ κρουμάτων ἀγαθοὶ καὶ αὐλῆσαι δὴ καλῶς καὶ περὶ τὰ λοιπὰ μέρη τῆς συμπάσας παιδείας ἱκανῶς διαπονηθῆναι· παραλλάξαντα δὲ τὴν τῆς ἀκμῆς ἡλικίαν οὕτω σφόδρα ἐξαπατηθῆναι ὑπὸ τῆς σκηνικῆς καὶ ποικίλης μουσικῆς ὡς καταφρονῆσαι τῶν καλῶν ἐκείνων ἐν οἷς ἀνετράφη. τὰ Φιλοξένου δὲ καὶ Τιμοθέου ἐκμανθάνειν καὶ τούτων αὐτῶν τὰ ποικιλώτατα, καὶ πλείστην ἐν αὐτοῖς ἔχοντα καινοτομίαν· ὁρμήσαντά τε ἐπὶ τὰ μέλη καὶ διαπειρωμένον ἀμφοτέρων τῶν τρόπων τοῦ τε Πινδαρείου καὶ Φιλοξενείου μὴ δύνασθαι κατορθοῦν ἐν Φιλοξενείῳ γένει· γεγενῆσθαι δὲ αἰτίαν τὴν ἐκ παιδὸς καλλίστην ἀγωγήν. Ultimus Plutarchi de Philoxeno locus legitur de Music. c. XXX. καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς μνημονεύει Φιλοξένου καί φησιν ὅτι εἰς τοὺς κυκλίους χορούς μέλη εἰσηνέγκατο· quo de multi jam viri docti sententias tulerunt: Heinrich Epimenid. Cretens. (Lips. 1801) p. 190. Jacobsius in Wolfii Analectt. Tom. II, p. 375. Meinek. Tom. II, 1 p. 334 sq. Bergk. fr. Aristoph. incert. XCIV ap. Meinek. Com. Gr. Fr. II, 2 p. 1199 sed primus, ni fallor R. Hanov. Exerc. crit. I, p. 37 sq. p. 57 in eam sententiam incidit quam unice probabilem esse, recentiores viri critici consentiunt, totum hunc de Aristophane ac Philoxeno locum ejiciendum videri, utpote ex Arist. Plut. 290. Schol. insertum ad interpretandam vocem νίγλαρος. — — Praeterea de melopoeia Philoxeni locus insignis exstat ap. Aristotel. Polit. VIII, 7, 12 (Bekk. p. 1342). οἷον ὁ διθύραμβος ὁμολογουμένως δοκεῖ εἶναι Φρύγιον· καὶ τούτου πολλὰ παραδείγματα λέγουσιν οἱ περὶ τὴν σύνεσιν ταύτην ἄλλα τε, καὶ διότι Φιλόξενος ἐπιχειρήσας ἐν τῇ Δωριστὶ ποιῆσαι διθύραμβον τοὺς μυθοὺς (lege τοὺς Μυσοὺς cf. supr. p. 24) οὐχ οἷός τ' ἦν, ἀλλ' ὑπὸ τῆς φύσεως αὐτῆς ἐξέπεσεν εἰς τὴν Φρυγιστὶ [32]) τὴν προςήκουσαν ἁρμονίαν πάλιν. Pollux Onomast. IV, 9: „καὶ Φρύγιος καὶ Λύδιος καὶ Δώρικὴ Φιλοξένου τὸ εὕρημα" nescio an nostrum intelligat Philoxenum. Sed Pollucis hunc locum aliter legisse

[32]) Berglein non improbaliter conjecit huc aliquid facere Apostolium IV. 9. ἀπὸ Δωρίου ἐπὶ Φρύγιον.

Alex. Sardus videtur de rer. invent. I, p. 16 qum sine dubie huc respiciens dicat: laconicam harmoniam Phyloxenum invenisse. Cui comparandus Lilius Gyraldus Opp. Tom. II, p. 346. „Laconicam vero Harmoniam a Philoxeno repertam prodit Pollux." Ac Hypodorii modi inventorem celebrari Philoxenum Boeckhius de Metr. Pind. p. 236 ex Roussavii dictionario musico annotat. De Locrensi harmonia lege Bergleinum p. 25 sqq. — — Ad rythmopoeiam, quod attinet, unicus, quod sciam testis est Dionys. Halic. de Comp. Verbb. p. 131 Reisk. *καὶ τοῖς ῥυθμοῖς κατὰ πολλὴν ἄδειαν ἐνεξουσιάζοντες διετέλουν, οἵ γε δὴ κατὰ Φιλόξενον καὶ Τιμόθεον καὶ Τελέστην. ἐπεὶ παρά γε τοῖς ἀρχαίοις τεταγμένος ἦν ὁ διθύραμβος.* Nescire enim me confiteor, unde Georgius Valla sciat: „Philoxenus musicus longe celeberrimus *ῥυθμὸν τάξιν τῶν χρόνων* i. e. ordinem temporum esse definivit." An emendandum: Aristoxenus? cf. Hoffmann *Beweis und Darstellung des ausgebildeten musikal. Tactes bei den Griechen.* Berl. 1831. 8, p. 32. — Postremo superest ethographia, de qua iterum unum tantummodo habemus testem Aristot. de Arte Poetica p. 4 ed. Ritter. *οἷον Ὅμηρος μὲν βελτίους, Κλεοφῶν δὲ ὁμοίους, Ἡγήμων δὲ ὁ Θάσιος, ὁ τὰς παρῳδίας ποιήσας πρῶτον, καὶ Νικόχαρις ὁ τὴν Δηλιάδα χείρους. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς διθυράμβους καὶ τοὺς νόμους, ὡς Πέρσας καὶ Κύκλωπα Τιμοθέου καὶ Φιλοξένου μιμήσαιτο ἄν τις.* Quem ego locum miror, in Philoxeni censura a Bodio omissum, in Timothei vero tam perverse intellectum esse, ut hoc potissimum Aristotelem contendisse harioletur, quod ipsi ne per quietem ac somnium quidem in mentem venire potuit. Nempe hoc, ait, edite testatur Aristoteles: „Timothei Persas plane *μιμητικοὺς* esse, eoque nomine ad Cyclopem Philoxeni indubie aequiparandos." Quid vero? an non contrarium potius Aristoteles dicit? nimirum, cum uterque poeta mimetica carmina composuerit, tamen in ipsa imitatione tam diversas rationes sequi solitos esse, ut jure aliquis Persas illius, hujus Cyclopi opponat. Persas enim meliores, quam erant Timotheus finxit; Cyclopem vero Philoxenus hominibus omnino similem (*ὅμοιον, καθ' ἡμᾶς* ut ipsius Aristotelis verbis utamur) ad-

umbravit. Bodio quidem sanius locum jam Harlesius interpretatus est p. 17, cum certe oppositionem senserit: „ut si Persas meliores quam erant Timotheus quis, contraque Cyclopes saeviores Philoxenus aliquis imitatus esset." Verum tamen ne hic quidem recte illud „saeviores" addidit, cum „similes" potius subaudiendum foret, quod quidem jam Schol. Arist. Plut. v. 290 optime intellexit, imprimis Aristophani irrisioni fuisse: *καὶ γὰρ παρὰ Φιλοξένῳ, πήραν ἔχων εἰςῆλθε, ταῦτα δὲ πάντα διασύρων τὸν Φιλόξενον εἶπεν, ὡς μὴ ἀληθεύοντα, ὁ γὰρ Κύκλωψ, ὥς φησιν Ὅμηρος κρέα ἤσθιε καὶ οὐ λάχανα ἅ τοίνυν ἔφησεν ἐκεῖ ὁ Φιλόξενος.* Bene Ed. Mueller *Gesch. der Theor. d. Kunst bei den Alten* Tom. I, p. 206. „*Ueberhaupt erschien ihm* (Aristophanes) *der wilde Cyclop citherspielend, eine Hirtentasche tragend und statt rohem Fleische Kräuter essend eine zu seltsame Person, als dass er ihn hätte können ungeneckt lassen.*" Eo igitur quod Philoxenus immanem istum Cyclopem humane (ad homines) et viventem et amantem induxit, ab Aristotele Persis Timothei opponitur, quos ille haud dubie divinum aliquid majusque terrigenarum more et ingenio spirantes descripserat. Desideratur sane pro tertia imitandi ratione, quae quidquid ad ornandum sibi sumit in pejorem speciem transformat exemplum e poetis aut dithyrambicis aut nomorum compositoribus petitum, sed tale quid unde depromatur, minime negotium parat. Reminiscamur modo, quae de impiis Diagorae Melii dithyrambis narrant veteres quibus deos non nisi ludibrii caussa praedicatos esse scimus. Apparet simul ex his, quae diximus, a Ritteri sententia, in Comment. ad Poeticae cap. 2, §. 4 [33]) pro-

---

[33]) Rittero adversarius exstitit Leonh. Spengelius in Zimmermanni ephemerid. 1841. p. 1256. *Herr R. streicht jene Worte, weil er in ihnen nichts als ein Beispiel eines Nomos und Dithyrambos finden kann. Hätten wir noch diese Gedichte und wir fänden ihre Behandlung ganz gleich ohne die von Aristoteles angegebne Verschiedenheit, wonach das Eine über die Wirklichkeit erhoben, alles identisch gestaltet, das Andre unter diese gestellt, sich der Karrikatur nähert, so wäre doch einiger Grund die Worte dem Aristoteles abzusprechen, aber in Dingen des Alterthums die wir nicht haben und nicht kennen überklug zu sein, und rasch zu verwerfen, kann nie zum rechten Ziele*

posita, nos mirum quantum dissentire; quippe qui verba ὡς Πέρσας καὶ Κύκλωπα Τιμοθέου καὶ Φιλοξένου uncis inclusa Aristoteli vel abjudicaturus, perquam oblique intellexerit. Nempe hic p. 96. „Philoxenus, inquit Cyclopem suum non parem fecit sed infra mythi dignitatem quam maxime dejectum quod partim ex fragmentis partim ex veterum testimoniis apparet: contra ex uno frustulo Cyclopis a Timotheo editi non liquet eum celsiorem et ad dignitatem carminis Homerici expressum fuisse, quod credidit, statuitque Tyrwhittus." Ceterum reliqua etiam Philoxeni sic καθ' ἡμᾶς composita fuisse, reputanti mihi, quidquid ex convivio superest, admodum fit probabile.

führen. Hier ist auch die Verbindung der Dichter die sonst dem Aristoteles nicht eigen ist, zu beachten, fast scheint es als wolle er damit andeuten, dass Timotheus durchaus in seinen Gedichten ein Polygnotus gewesen und idealisirt habe, Philoxenus aber ein Pauson dem Gemeinen und Niedrigen gefolgt sei. Von ersterm sind die Πέρσαι und der Κύκλωψ bekannt; dass auch Polyphemos einer edlern Behandlung fähig gewesen, sieht man aus Theocritus, wiewohl Timotheus (nach Athenäos zu schliessen) die Blendung, nicht die Liebe zur Galatea darstellte. Vielleicht, dass auch Ph. ausser seinem Cyclop zugleich Πέρσαι gleichen Abstandes der Haltung gedichtet und Aristoteles darum beide Gedichte absichtlich zusammengestellt hat.

II.

DE MELANIPPIDE UTROQUE ET LICYMNIO.

Philoxeno subjungere liceat Melanippidem [34]) juniorem, discipulo magistrum teste Suida p. 3797 Gaisf. Verum tamen, quae de vita ipsius tradita sunt, quum non semper accurate dignosci ab iis possint, quae ad Melanippidem seniorem spectant, optimum visum est, utriusque Melanippidis vitam hoc loco deinceps enarrari. Ac Suidas quidem de utroque sic disputat p. 2440 Gaisf. *Μελανιππίδης Κρίτωνος γεγονὼς κατὰ τὴν ξε΄ Ὀλυμπιάδα Μήλιος, ἔγραψε δὲ διθυράμβων βιβλία πλεῖστα καὶ ποιήματα ἐπικά, καὶ ἐπιγράμματα καὶ ἐλεγείους καὶ ἄλλα πλεῖστα. — Μελανιππίδης θυγατριδοῦς τοῦ πρεσβύτου παῖς δὲ Κρίτωνος λυρικοῦ καὶ αὐτοῦ, ὃς ἐν τῇ τῶν διθυράμβων μελοποιΐᾳ ἐκαινοτόμησε πλεῖστα καὶ διατρίψας παρὰ Περδίκκᾳ τῷ βασιλεῖ, ἐκεῖ τὸν βίον κατέστρεψεν· ἔγραψε δὲ καὶ αὐτὸς ᾄσματα λυρικὰ καὶ διθυράμβους.* Bergleinus quidem p. 6 annotat, Suidam eos non accurate internoscere videri, caussam tamen non addit; quare meo mihi jure ab opposita sententia stare licebit. Etenim accuratissime inter utrumque discrevisse Suidam arbitror, nisi quod in enumerandis junioris carminum generibus forte solito more neglegentius versatus sit. Hoc igitur teste Melanippides avus vixit circa

---

[34]) Cfr. G. Cobet Prosopogr. Xenophont. Lugd. Batav. 1836. Ulrici *Gesch. der griech. Lyr.* p. 589. F. G. Wagner Arist. Ran. Spec. I, p. 36, 39. Th. Bergk. P. L. Gr. p. 847—50.

Olymp. ξε′ (LXV) quod nescio cur Reinesius ad Suid. l. l. corruptum ex πε′ suspicatus sit, nisi summam ab eo admissam neglegentiam dixeris, ut qui de M. juniore disputatum crederet, quod Suidas sciens de seniore ediderat. In hunc igitur cadit Pherecratis comici convicium ap. Plut. de Mus. c. XXX.

ἐμοὶ γὰρ ἦρξε τῶν κακῶν Μελανιππίδης
ἐν τοῖσι πρῶτος, ὃς λαβὼν ἀνῆκέ με
χαλαρωτέραν τ' ἐποίησε χορδαῖς δώδεκα.

quo de loco Rud. Hanovii sententiam (exercit. crit. p. 39) omnimodo probabilem infra exhibebimus. Apparet simul, hujusce M. novationes ad fidicinam artem pertinuisse, atque vehementer errare Bodium hist. poes. lyr. Tom. II, p. 294 not. 4, qui eum una cum Phrynnide, Cinesia et Timotheo eidem scholae lyricorum adnumerandum censet, atque Lasum et Philoxenum. Hi enim *αὐλῶν πολυφωνίαν* induxerunt, illi vero chordarum ambitum ac multitudinem ampliaverunt. — I. Jam vero fragmenta carminum, quae sub Melanippidis nomine circumferuntur, si consideramus, opportune unum sese offert nobis ex carmine ni fallor dithyrambico desumptum, Marsya inscripto, quo tibiarum in musica usum valde exagitasse poetam docet Athenaeus XIV p. 616 E.: *περὶ μὲν γὰρ αὐλῶν ὁ μέν τις ἔφη τὸν Μελανιππίδην καλῶς ἐν τῷ Μαρσύᾳ διασύροντα τὴν αὐλητικὴν εἰρηκέναι περὶ τῆς Ἀθηνᾶς·*

Ἁ μὲν Ἀθάνα
τὤργαν' ἔρριψέν θ' ἱερᾶς ἀπὸ χειρός
εἶπέν τε· Ἔρρετε αἴσχεα, σώματι λύμα·
οὔ με τᾶδ' ἐγὼ κακότατι δίδωμι.

Sic, quae numeris carentia ediderat Henr. Stephanus p. 640, ac vario modo tentaverant Boettigerus Att. Mus. Tom. I, fasc. 2, p. 285; Fiorillo Observv. Ath. p. 48; Schweighaeuserus ad Ath. XIV, p. 616; probabiliter restituit Bergkius P. L. Gr. p. 848, 2. Nescio tamen, an in v. 3 melius servaverim codicum lectionem: *εἶπέν τε· ἔρρετε αἴσχεα*, quum apud Simonidem quoque in locis persimilibus non sit elisa vocalis ε̄. Cfr. Brunckius Anall. I, p. 121. *φίλαν χέρα, εἶπέν τε· ὦ τέκος.* quo de loco vide Schneidewini annotationem fragm. Simonid. prol. p. XLVIII.

Rhythmi videntur esse Lydii. Mirum praetera quoddam hoc de loco accidit Welckero. Additam. p. 215 not. 105 qui sic disputat: *„Einsichtsvoll hat Boettiger im Attischen Museum I. 354 bemerkt, dass Marsyas nur durch das attische Satyrspiel zu einem Satyr umgewandelt sei, wie er denn namentlich bei Melanippides dem Satyrdichter als θὴρ vorkomme. Athen. XIV, p. 616 F. Platon im Conviv. p. 215 B. hat ihn ebenfalls als Satyrn."* Primum enim de Melanippide satyrico poeta nihil, quod sciam apud veteres proditum est; deinde vero etiamsi invenirentur loci, apud Melanippidem certe Marsyas Satyrus non occurrit; cum ex Marsya his quatuor versibus non plus aetatem tulisset. Apud Telesten in Argo legitur sane: *νυμφαγενεῖ χοροκτύπῳ φηρὶ Μαρσύᾳ κλέος*; quo licet carmine teste Athenaeo Melanippidi adversarius exstiterit, tamen apud ipsum Melanippidem fuisse Marsyam *φῆρα* sive *θῆρα* vocatum, minime concludi poterit. Tamen quae de Marsya Satyro in universum statuit Welckerus veritati non repugnant; de quibus tamen prolixius expediendi rem alius locus concedetur. Verum ut ad propositum revertar; carmen istud Marsyas inscriptum, avi Melanippidis fuisse ex tibiarum detestatione luce clarius patet. Etenim ex iis, quae apud Athenaeum leguntur, *ἀλλ᾽ ὅγε Σελινούντιος Τελέστης τῷ Μελανιππίδῃ ἀντικορυσσόμενος ἐν Ἀργοῖ ἔφη· κτλ.* non sequitur Melanippidem hunc coaequalem Telestae fuisse, cum dithyrambum Marsyam, qua erat nobilitate, saepius post auctoris obitum repetitum esse, probabile videatur.

II. Ceterum aliud quoque fragmentum, seniori huic poetae adscribere mihi non sine veri aliqua similitudine videor; id quod apud Athenaeum legitur XIV, p. 651 ex fabula sive dithyrambo *Δαναΐδες* superinscripto: *Μελανιππίδης δ᾽ ὁ Μήλιος ἐν τοῖς Δαναΐσι φοίνικας τὸν κάρπον οὕτως ὀνομάζει, τὸν λόγον ποιούμενος περὶ αὐτῶν τῶν Δαναΐδων·* (sic pro codd. lect. *τῶν γὰρ ἀΐδων*, unde Fiorillo *τῶν γραΐδων*, recte emendarunt Emperius, et Th. Bergkius.)

οὐ γὰρ ἀνθρώπων φόρευν μορφᾶεν εἶδος
οὐδὲ διαίταν γυναικείαν ἔχον

ἀλλ' ἐν ἁρμάτεσσι διφρούχοις ἐγυμνάζοντ' ἀν' εὔδι' ἄλ-
σεα πολλάκι θήραις φρένα τερπομέναι
ἱερόδακρυν λίβανον εὐώδεις τε φοίνικας κασίαν τε πα-
τεῦσαι
τέρενα Σύρια σπέρματα.

Nimirum videtur haec fabula nomen a choro Danaidum accepisse quarum cum L fuerint quot histrionibus antiquum cyclium constitisse chorum novimus, hujusce fabulae aetatem eam fuisse apparet, ut seniori solummodo Melanippidi vindicari possit. Emendarunt fragmentum, quod in codd. Athenaei depravatissimum legitur; Jacobs Animadv. Athen. p. 342. Fiorillo Observv. critt. p. 111. Emperius *Zeitschrift für Alterth.* 1835. p. 10. Meinekius Com. Fragm. III, p. 575. Bergkius P. L. Gr. p. 847. Tamen ne sic quidem nihil mihi corrigendum supererat. Metrum sic procedit:

–́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏓
–́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏓
–́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑
– ⏑ ⏑ –
⏖́ ⏑ – – ⏖́ ⏑ – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓
⏖́ ⏑ ⏖ – –́ ⏑ –

v. 1. *οὐ γὰρ ἀνθρώπων*] Emperius, quem sequitur Bodius II, 2, p. 296 conjecit: *οὐ παρθένων*, sensu plane repugnante. Hoc enim vult Melanippides: „Non illae quidem virorum repraesentabant faciem atque imaginem, nec tamen muliebri degendi rationi sese assuetas gerebant; imo vero in essedas insilientes exercebant corpora, animosque (virorum instar) ferarum venatione relaxabant, spretis graminum floribus, quos inculcarent pedibus, non colligerent, uti virgines adamant." Itaque *ἀνθρώπων* h. l. idem atque *ἀνδρῶν* valet, ut Odyss. XX, 49. — *μορφᾶεν εἶδος*] Codd. *μορφὰν ἐνεῖδος*, unde ipse aliquando refinxeram *μορφὰν ἐνειδοφόρευν*. Verbo *ἐνειδοφορέω* usus est Meleager XII Graef. p. 56. At ingeniose Emperius: *μορφᾶεν εἶδος*. Priores tentaverant: *μορφὰν καὶ εἶδος* aut *ἐν εἴδει*, neque defuerunt, qui *ἐνιδεῖν* conjicerent. v. 2. *οὐδὲ διαίταν*] scripsi monente Boeckhio. Bergkius *οὐδὲ τὰν διαίταν*, haud scio, an metri detrimento. Vulgo: *αὐτάν*, unde

Casaubonus et Fiorillo αὐτάν. Emperius et Bodius αὐδάν. — γυναικείαν] Casaub., γυναικίαν codd. — Bergkii vv. 3 et 4 conjunctim exaeravi. Codd. ἄνευ ἡλιαάδέα. Inde Bergkius, Emperio praecedente, edidit: ἂν εὖ | ἢ δι᾽ ἄλση (Emperius ἄλσεα). At mirum quantum displicet illud ἂν εὖ, pro quo Bodius ἂν αὖ, nisi hoc typothetae potius imputandum sit, quum alioquin Emperii vestigia premere soleat Bodius. Multo certe elegantius Meinekius Com. III, p. 575 conjecit: ἀν᾽ εὔδι᾽ ἄλσεα quod non dubitavi recipere, etiamsi forte ferri possit ἀν᾽ εὔηλ᾽ ἄλσεα. Casaubonus periclitatus erat: ἀν᾽ ὕλας ἴδας τε, οἷα πολλάκι; Fiorillo p. 111: ἀεὶ. ὕλαις δὲ πολυθήραις φρένα τερπομέναι· — πολλάκι] in codd. est. Retinuerunt Casaubonus et Emperius. Meinekius πολλάκις, quem sequitur Bergkius. — θήραις] post Porsonum recentiores omnes. Casaub. θῆρες. Fiorillo πολυθήραις. — v. 4. ἱερόδακρυν] scr. ἢ ἱερόδακρυν Bergkius. Vulgo: ἱερόδακρυ. ν addidit Casaubonus. — κασίαν τε] Codd., καὶ κασίαν Casaub. — πατεῦσαι] Vulgo: Casaub. κρατεῦσαι, Fiorillo καταπατεῦσι, Emperius et Bergkius ματεῦσαι. — v. 5.] τέρενα Σύρια σπέρματα] Primus Fiorillo; quem secuti omnes, nisi quod male Bodius: Συρίας. Vulgo Συρίας τέρματα, Casaub. τέρενα τε Συρίας μυρώματα.

III. Denique propter lugubrem carminis indolem (τρόπον θρηνητικόν) non abjudicandam censeo avo Melanippidi fabulam: Περσεφόνη inscriptam, unde Apollodorus Stob. Ecl. Phys. I, 52 duos servavit versiculos:

Καλεῖται γὰρ ἐν κόλποισι γαίας
ἄχεα θνατοῖσιν προχέων Ἀχέρων.

ubi γὰρ Bergkio debetur, quae fere commutatio nulla est, siquidem γὰρ compendiose γ̇ δὲ vero δ̇ scribi soleat. — θνατοῖσιν cum Schneidewino Anall. critt. Berol. 1844. p. 511 addidi, qui codicis vestigia premens, aut θνατοῖσιν aut ἄχε᾽ ἀνθρώποισιν (?) legendum esse bene monuit.

E contra junior Melanippides, quo acerbior avus tibiarum hostis, eo fidelior exstitit amicus. De hoc enim intelligendus est Plutarchus l. l. ἀλλὰ γὰρ καὶ αὐλητικὴ ἀπὸ ἁπλουστέρας εἰς ποικιλωτέραν μεταβέβηκεν μουσικήν· τὸ γὰρ παλαιὸν ἕως

εἰς Μελανιππίδην τὸν τῶν διθυράμβων ποιητὴν συμβέβηκε τοὺς αὐλητὰς παρὰ τῶν ποιητῶν λαμβάνειν τοὺς μισθούς, πρωταγωνιζούσης δηλονότι τῆς ποιήσεως τῶν δὲ αὐλητῶν ὑπηρετούντων τοῖς διδασκάλοις, ὕστερον δὲ καὶ τοῦτο διεφθάρη· id quod probe perspexit Bergleinus p. 20, 21. At perquam perverse Bodius p. 296: *„— oder spielte sie (die lydischen Melodien) zuerst auf der Laute zum Dithyrambus, den gewöhnlich Flöten begleiteten. Denn er war ebenso wenig ein Freund der Flöte als Anacreon."*

Ejusdem *ἀναβολάς* longissimas acerbe exagitavit Democritus Chius, licet ipse propter musicas novationes a comicis vexatus, teste Aristotele Rhet. III, 9. *ὁμοίως δὲ καὶ αἱ περίοδοι αἱ μακραὶ οὖσαι λόγος γίγνεται καὶ ἀναβολῇ ὅμοιον ὥστε γίγνεται ὃ ἔσκωψε Δημόκριτος ὁ Χῖος εἰς Μελανιππίδην, ποιήσαντα ἀντὶ τῶν ἀντιστροφῶν ἀναβολάς·*

Οἷ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων
ἡ δὲ μακρὰ 'ναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη.

Neque hoc loco intellego Bodium: *„dem die Anabole in folgendem Hexameter missfiel."* Certe Melanippidis verba ab Aristotele minime proferuntur, sed Democriti salse dictum, qui Hesiodeo versui notissimo alterum de suo addidit versiculum. Cfr. Jons. scr. hist. phil. p. 90 ed. Dorn.

Idem Melanippides teste Xenophonte Mem. Socr. I, 4, 3 dithyramborum poeta quasi classicus habebatur, atque praestantiae ipsius hoc nobilissimum indicium est, quod perinde atque Agatho, Euripides, alii ad Macedonum reges Perdiccam atque Archelaum accerseretur. Nam Suida p. 2440 teste, non ultra Perdiccae annos vitae spatium produxit; longiorem tamen vitam concessit ipsi Praxiphanes apud Marcellin. vit. Thucyd. §. 30, p. 5 Duker. *συνεχρόνισε δ', ὥς φησι, Πραξιφάνης ἐν τῷ περὶ ἱστορίας, Πλάτωνι τῷ κωμικῷ, Ἀγάθωνι τῷ τραγικῷ, Νικηράτῳ ἐποποιῷ καὶ Χοιρίλῳ καὶ Μελανιππίδῃ καὶ ἐπεὶ μὲν ἔζη Ἀρχέλαος ἄδοξος ἦν.* Junior vero fuit Diagora Melio, teste Suid. s. v. *Διαγόρας, — ὁ δὲ καὶ λυρικῇ ἐπέθετο τοῖς χρόνοις ὢν μετὰ Πίνδαρον καὶ Βακχυλίδην, Μελανιππίδου δὲ πρεσβύτερος.* — Cfr. Bergkius Commentt. p. 176. —

Alius est Melanippides qui philosophus perstringitur ab Alexide comico Athen. IV, p. 161 C.

Reliqua fragmenta, quae utri Melanippidi adscribenda sint relinquimus in medio, haec sunt:

I. Athen. IX, p. 429 B. ὅθεν ὁ Μελανιππίδης ἔφη·

Πάντες δ' ἀπεστύγεον ὕδωρ
τὸ πρὶν ἐόντες ἄϊδριες οἴνου·
τάχα δὴ τάχα τοὶ μὲν ἀπ' ὦν ὄλοντο,
τοὶ δὲ παράπληκτον χέον ὀμφάν.

‒ ‒́ ◡ ‒́ ◡ ◡́◡ ◡ ‒
‒́ ◡ ◡ ‒ ◡ ◡ ‒ ◡ ◡ ‒ ‒
◡ ◡ ‒́ ◡ ◡ ‒ ◡ ◡ ‒ ◡ ‒ ‒
‒́ ◡ ◡ ‒ ‒ ‒́ ◡ ◡ ‒ ‒

Locum correxit Bergkius p. 849. — An scr. ἐπωλεύοντο?

II. Athen. II, p. 35 A. φησὶ δὲ καὶ Μελανιππίδης ὁ Μήλιος·

Ἐπώνυμον, δέσποτ', οἶνον Οἰνέως

◡ ‒́ ◡ ‒ ‒́ ◡ ‒ ‒ ‒́ ◡ ‒

Versum hunc Schweighaeuserus jambico metro adstringendum ratus: ἐπώνυμόν γ' (δ') ὦ δέσποτ', οἶνος Οἰνέως, ex dramate quodam desumptum ideoque seniori M. adscribendum putat. Similiter Chaeremo ap. Arist. Rhet. II, 23. 24: Πενθεὺς ἐσομένης ξυμφορᾶς ἐπώνυμος· ubi vide quos citat H. Bartsch. p. 36; — Euripid. Rheso Δόλων ἐπώνυμος μὲν κάρτα. Cfr. Odyss. XIX, 409 hymn. Hom. I, 372.

III. Clemens Alex. V, p. 602 D. Sylb. ὁ μελοποιὸς δὲ Μελανιππίδης ᾄδων φησίν·

Κλῦθί μοι, ὦ πάτερ, θαῦμα βροτῶν
τᾶς ἀειζώου ψυχᾶς μεδέων.

‒́ ◡ ◡ ‒ ◡ ‒ ‒́ ◡ ◡ ‒
‒́ ◡ ‒ ‒ x ‒ ‒́ ◡ ◡ ‒

IV. Plut. Erot. c. XV. Γλυκὺ γὰρ θέρος ἀνδρὸς ὑποσπείρων πραπίδεσσι πόθον, κατὰ τὸν Μελανιππίδην.

◡ ◡ ‒́ ◡ ◡ ‒ ◡ ◡ ‒ ‒ ‒́ ◡ ◡ ‒ ◡ ◡ ‒

Sic ex Bergkii conjectura admodum probabili scripsi. Vulgo: πραπίδων πόθῳ; at πόθῳ in uno tantum codice exstat. Vide num his similia lateant in desperatissimis verbis Licymnii apud Dionysium Halicarn. de Demosth. p. 1035. ὕβριν ἢ πρὶν

μισθῷ πόθεν ἢ μόχθον πατρίδων, fortasse hunc in modum adornandis:

*ὕβριν ἢ [Κύ]πριν *ὅσσων* πόθον ἢ μόχθον *πραπίδων.*

— ◡ ⏑́ ◡ ◡ — ⏑́ ◡ ◡ — — ⏑́ ◡ ◡ —

Ac Licymnii quidem cum semel mentionem injecerim, aliud quoque in transcursu corrigam fragmentum ab Athenaeo XIII, p. 564 C servatum: *Λικύμνιος δ' ὁ Χῖος τὸν Ὕπνον φήσας ἐρᾷν τοῦ Ἐνδυμίωνος οὐδὲ καθεύδοντος αὐτοῦ κατακαλύπτειν τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀλλ' ἀναπεπταμένων τῶν βλεφάρων κοιμίζειν τὸν ἐρώμενον· ὅπως διὰ παντὸς ἀπολαύῃ τῆς τοῦ θεωρεῖν ἡδονῆς· λέγει δ' οὕτως·*

Ὕπνος δὲ χαίρων ὀμμάτων αὐγαῖς ἀναπεπταμένοις ὄσσοις ἐκοίμιζεν κόρας.

— ⏑́ ◡ — — ⏑́ ◡ — — ⏑́ ◡ ◡ — ◡ ◡ — — ⏑́ ◡ — — ⏑́ ◡ —

Idem metrum atque nos descripsimus habet Pindarus Nem. *θ'* 2, nisi quod anacrusi careat. *Ὕπνος* jam Casaubonus dedit pro codd. lectione *ὕπνον* vel *ὕμνον*. Locum adhibuit in suam rem Valkenar. Eurip. Phoen. p. 424 *ὄμματος αὐγαῖς ἐπενώμας*, ubi schol. *ὄμματος αὐγαῖς, ἀντὶ τοῦ τῶν ὀμμάτων.* Fiorillo in observv. critt. p. 70 praepropere verba *ἀναπεπταμένοις ὄσσοις* ejecit, nulla addita caussa: unde quod ipse reposuit: *Ὕπνος δὲ χαίρων ὀμμάτων αὐγαῖς ἐκοίμιζεν κόρον* satis jejunum ac languidum est. Latet tamen vitium in codicibus *κοῦρον*, quod non sustulerunt viri *κριτικώτατοι* Meinekius et Bergkius. Ille enim Comm. Fragm. III, p. 214 scribendum existimat:

Ὕπνος δὲ χαίρων
ὀμμάτων αὐγαῖς ἀναπεπταμένοις ὄσσοισιν ἐκοίμισε κοῦρον.

— ⏑́ ◡ — —

⏑́ ◡ — — ⏑́ ◡ ◡ — ◡ ◡ — — ⏑́ ◡ ◡ — ◡ ◡ — ⏓

hic vero PLG. p. 839.

Ὕπνος δὲ χαίρων ὀμμάτων αὐγαῖς ἀναπεπταμένοις
ὄσσοις ἐκοίμιζε κοῦρον.

— ⏑́ ◡ — — ⏑́ ◡ — — ⏑́ ◡ ◡ — ◡ ◡ —

— ⏑́ ◡ — ⏑́ ◡ — ⏓

Neque his viris dd. felicior fuit *Ἀλέξανδρος Μ. Βλάσος* in libro *Χιακὰ* inscripto (*ἐν Ἑρμουπ.* 1840. 8.) p. 112.

"Ὕπνος δὲ χαίρων ὀμμάτων
αὐγαῖς ἀναπεπταμένοις ὄσσοις
Κοιμίζει κοῦρον.

Scribendum sine dubio κόρας, cui simillima est dictio apud Soph. O. T. 1222 Br. καὶ κατεκοίμισα τοὐμὸν ὄμμα. — Vocem ὄσσων non recte retinuit Musgravio obsecutus Porsonus in Euripid. Phoen. 381:

ὧν οὐ δικαίως ἀπελαθεὶς ξένην πόλιν
ναίω, δι᾽ ὄσσων νᾶμ᾽ ἔχων δακρυῤῥοοῦν.

νᾶμ᾽ reponens pro codd. lectione ὄμμ᾽, licet jam Valkenarius p. 241 mendam in verbis δι᾽ ὄσσων latere recte suspicatus esset ex scriptura codicis Leidensis optimi, δ᾽ ἴσσων. Rescribe:

ὧν οὐ δικαίως ἀπελαθεὶς ξένην πόλιν
ναίω, τὸ δισσὸν ὄμμ᾽ ἔχων δακρυῤῥοοῦν.

De articulo τὸ cfr. Boeckhius Simon. Dial. praef. p. XXII.

De Licymnio obiter dixit Henr. Bartschius de Chaeremone tragico poeta (Mogunt. 1843. 4.) p. 23, 29. Reliqua ejusdem Licymnii fragmenta collegit Bergkius PLG. p. 840 quorum tamen, quod sub n. 8, posuit ex Ael. Fest. Aphth. p. 241 Gaisf. desumptum: „μέλος autem dictum putant — sive ut Licymnius ἀπὸ τοῦ μελεάζειν τοῦτ᾽ ἐστι θρηνεῖν" aut abjudicandum est Licymnio dithyramborum poetae, aut ampliandus etiam fragmentorum numerus, uno certe loco, apud Schol. Venet. Il. β' 106. Λικύμνιος δὲ παραδηλοῦσθαί φησι λεληθότως τὴν ἔχθραν ἵνα μὴ λοιδορήσῃ τὸ γένος, τὸ μὲν γὰρ δῶκε φιλίας τεκμήριον τὸ δὲ καταλιπεῖν ἀνάγκας, διὸ ἐφ᾽ ὧν τῷ ἔδωκεν ἐχρήσατο, ἐφ᾽ ὧν δὲ τῷ ἔλιπεν. Etenim, cum locus iste edoceat nos, Licymnium quoque aliquem inter eos nomen professum esse, qui Homericis lectionibus illustrandis operam navaverunt, non dubito, quin Licymnii illud de voce μέλος placitum in epimerismis ad Il. ρ, 211 exstiterit; quem ad locum cfr. Cramer. Anecdd. Oxonn. Tom. I, p. 285. Μύρσιλος τὰς ἐν Λέσβῳ γενομένας ἑπτὰ παρθένους Μούσας ἐπὶ τὰ πένθη φοιτᾶν καὶ θρηνεῖν· ὅθεν ἐπεκράτησε τὰ ᾀδόμενα, μέλεα κληθῆναι, ὁ δὲ ἀπὸ τῆς μελιγήρυος· Πίνδαρος· μελισσοτεύκτων κηρίων ἐμὰ γλυκερώτερος ὀμφά. ἢ ὅτι τὸ μέλος ἑκάστου μεμέληται ὅ ἐστι μετὰ φροντίδος σκευάζεται. Fr. Aug. Wolfius Prolegg. Hom.

p. CXCI Licymnium istum iis annumerat scriptoribus, quos accuratius nos non cognovimus. Cui adversarius obstat Leonh. Spengelius in Artt. scrr. p. 91, iis potius adscribendum scriptoribus ratus quos Wolfius l. l. p. CLXII, 23 recensuit, Theageni, Anaxagorae, Metrodoro, Stesimbroto, aliis. Quod nescio an audacius factum sit, cum Theagenem, Anaxagoram, reliquos in eo elaborasse videamus, ut „fabulas interpretatione sua corrigerent, atque ad physicam et moralem suae aetatis doctrinam accommodarent," e contra Licymnium, quatenus ex ll. ll. conjecturam facere licet, in satis jejuna verborum derivatione sive etymologica sive grammatica acquievisse; etiamsi, quae fuit istius aetatis etymologiae tractandae ratio, non mirum sit, quod insignis rhetoris celebritatem adeptus sit Licymnius iste his ipsis conaminibus, siquidem idem est Homeri interpres atque Licymnius rhetor, qui τέχνην composuisse dicitur. Rhetoricae istius artis fragmenta collegit Leonh. Spengelius l. l. p. 84—91. Qui ap. Cramer. Anecd. Par. I, p. 394, 22 occurit *Ολύμνιος Ἀλεξανδρεύς*, nescio an scribendus sit: *Λικύμνιος Ἀλεξανδρεύς*. Artem profitebatur medici. — Neque diversum rhetorem a poeta putat idem Sp. p. 91 et quos laudat Westermannus hist. eloquent. p. 139, Graefenhan, *Gesch. der class. Phil.* p. 181 sqq. Adversantur huic opinioni Geelius hist. crit. Soph. p. 179. Heindorfius ad Platon. Phaedr. p. 319. Attamen confiteor nescire me tum unde Luetckius suam doctrinam hauserit, qui Licymnium poetam ante Simonidem fuisse contendit, ergo ante Olymp. LV, tum unde Bodius compertum habuerit, rhetorem poeta longe juniorem fuisse.

V. At jam redeundum est ad Melanippidem, cujus ultimum fragmentum superest Schol. Il. σ' 570. *ἡ δὲ κατὰ Λίνου ἱστορία παρὰ Φιλοχόρῳ* (*ἱστόρηται* Villois.) *ἐν τῇ ιθ'* Bekk. (*καὶ παρὰ Μελανιππίδῃ*) Cramer Anecd. Par. III, p. 289, 3. *ἡ δὲ περὶ τὸν λίνον ἱστορία παρὰ Φιλοχόρῳ ἐν τῇ ιθ' καὶ παρὰ Μελανιππίδῃ*. Plura de h. l. dabit Schneidewinus Exercc. critt. Cap. VII, p. 47 sqq.

CAPUT II.

I.

DE PHRYNNIDE MITYLENAEO.

Phrynnidis patrem Camonem appellat Pollux Onomastico IV, IX. *Φρύννιν δὲ τὸν Κάμωνος πολυκάμπεσι μέλεσι κτλ.* Tamen lectionem *Κάμωνος* unus Palatinus codex offert, reliqui apud Falkenb. et Jungerm., ut Hemsterh. I, p. 385 annotat habent: *Κάβωνος*, litera *β̄* tamen ita scripta, ut Latinorum *v̄*, unde facile *μ̄* literae fieret simillima. Hinc Burettus Mem. Acad. XIII, p. 269 scribi jubet: *Κάβωνος*. Uno elemento in medio auctum affert hoc nomen Plutarchus de laude sui c. 1. *Νικᾷ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος τὸν Κάρβωνος* quod verum putat Plehn Lesbiac. p. 169 sqq. Denique Suidas quartae varietatis auctor exstitit *Κάνωπος*; Istri testimonio innitens: *Ἴστρος δὲ ἐν τοῖς ἐπιγραφομένοις μελοποιοῖς τὸν Φρύννιν Λέσβιόν φησι Κάνωπος υἱόν*, unde Xylander ad Plutarchi l. l. annotat *Κάνωβος* sibi pro *Κάρβωνος* legendum videri, *Κάνωπος* eum voluisse Plehnius l. l. suspicatur. At mihi unice verum videtur *Σκάμωνος*. Suidas: *Σκάμων* (v. *Σκάμμων*)· *ὄνομα κύριον*. Notum hoc Mytilenaeorum nomen. Nam Sapphus quoque pater, *Σκαμανδρώνυμος* ab Herodoto II, 135. Aeliano V. H. XII, 19. Schol. Platon. p. 312 Bekk. vocatus, ab aliis, Suida teste, nominatus est *Σκάμων* sive *Κάμων*. Qua de nominis depravatione videsis Neuium ad Sapphus fragm. p. 1. Deinde Scamon Mitylenaeus occurrit apud Clement. Alex. Strom. lib. I, p. 308 Sylb. qui de inventione rerum plures libros composuit, quorum primum Athenaeus citat: *Σκάμων ἐν πρώτῳ περὶ*

εὑρημάτων κτλ., ac paullo infra Σκάμων ἐν τοῖς περὶ εὑρημάτων non indicato libri indice; secundum librum laudat Photius Lexic. p. 652, 6 Porson. (p. 564 ed. Lips.) Σκάμων δ' ἐντῇ δευτέρᾳ τῶν εὑρημάτων ἀπὸ Φοινίκης τῆς Ἀκταίονος ὀνομασθῆναι, quem locum omiserat Vossius Hist. Gr. p. 411. Corrigendus ex Photio igitur est Michael Apostolius Proverb. Φοινικήϊα γράμματα· qui Camonem citat in secundo inventionum libro. Ac Vossium male Camoni locum concessisse in Hist. Graec. III, p. 339 vidit Jons. scr. h. ph. p. 13 ed. Dorn. Nisi forte idem nomen est Σκάμων et Κάμων quemadmodum planta σκαμωνία Nicandro vocatur κάμων [35]). Etiam in Photii loco variat codd. lectio inter Κάμῶν et Σκάμων. Ceterum in Plutarch. de laude sui c. 1 pro Κάρβωνος conjicio scriptum fuisse Κάμβωνος, quemadmodum in Pausan. I, cap. 38,2 memorantur Σκαμβωνίδαι, ubi nonnulli Mss. habent Σκαβωνίδαι. Verum de ipsius Phrynnidis nomine, ne pluribus disseram, effecerunt Seidlerus Museo Rhenano III, 2, p. 180. Boeckh. Corp. Inscr. II, p. 189. Meinek. Com. Fragm. II, p. 334. Scribendum enim forma aeolica Φρύννις. Patria Phrynnidis Lesbos [36]) fuit, cultu Dionysiaco insignis; de quo, quum omnia satis explorata sint, lectores ad Plehnii Lesbiac. p. 119 relego.

De Phrynnide Scholiasta ad Aristophan. Nubb. 971. ὁ Φρύννις κιθαρῳδὸς Μιτυληναῖος· οὗτος δὲ δοκεῖ πρῶτος παρὰ Ἀθηναίοις κιθαρωδικῇ νικῆσαι Παναθηναῖα ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος. ἦν δὲ Ἀριστοκλείτου μαθητής, ὁ δὲ Ἀριστόκλειτος τὸ γένος ἦν ἀπὸ Τερπάνδρου. ἤκμασε δ' ἐν τῇ Ἑλλάδι κατὰ τὰ Μηδικά. παραλαβὼν δὲ τὸν Φρύννιν αὐλῳδοῦντα κιθαρίζειν ἐδίδαξεν. ὁ δὲ Ἴστρος Ἱέρωνος αὐτόν φησι μάγειρον ὄντα σὺν ἄλλοις δοθῆναι τῷ Ἀριστοκλείτῳ. ταῦτα δὲ σχεδιάσαι ἔοικεν. εἰ γὰρ ἦν γεγονὼς δοῦλος καὶ μάγειρος Ἱέρωνος οὐκ ἂν ἀπέκρυψαν οἱ κωμικοί, πολλάκις αὐτοῦ μεμνημέ-

---

[35]) Similia exempla extrusae literulae σ ante κ habemus non pauca: κινδαψός, κάρωρη, κέραφος, κορδύλη, κύλλαρος, κοῖδος, κάμανδρος.


[36]) Qui ἐν τῷ περὶ Λέσβῳ citatur Στάμις apud Schol. Il. γ' 250, is apud Cramer. AP. III. p. 159 in Cod. 2556. 79. Στάμων in Codd. 2676 Σταμών vocatur. Nescio an leg. Σκάμων.

νοι, ἐφ᾽ οἷς ἐκαινούργησεν κλάσας τὴν ᾠδὴν παρὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶ καὶ Ἀριστοκράτης (leg. Φερεκράτης)[37]. Καθ᾽ ὃ πρῶτος τὴν ἁρμονίαν ἔκλασεν ἐπὶ τὸ μαλθακώτερον· ἦν δὲ γύννις καὶ ψυχρός. Eadem fere Suidas p. 3860 A. E contra e recentionibus nemo fere Phrynnidem singulari observatione dignum habuit; ac Luetckius quidem l. l. plane omisit, Bodius autem cujus alioquin fere anxiam inconditamque vidimus in colligendis veterum scriptorum testimoniis, industriam, de hoc poeta vix notissimos locos attulit p. 304—6. Id quod permirum factum est, quoniam Phrynnis non modo depravationum in musica invalescentium jure vocitari parens possit, sed etiam, si dithyrambum potissimum spectaveris, tibiae invalescentem usum inducto rursum citharae lusu imprimis coercuerit. Primum, quamvis Pherecrate teste Melanippides avus praegressus esset, edocet Plutarchus de Musica: τὸ δ᾽ ὅλον ἡ μὲν κατὰ Τέρπανδρον κιθαρῳδία καὶ μέχρι τῆς Φρύννιδος ἡλικίας παντελῶς ἁπλῆ τις οὖσα διετέλει; ad alteram novationem, quod attinet, non parvi faciendum est, quod Schol. l. l. refert Phrynnidem e tibicinum, ut ita dicam, collegio ab Aristoclito inter fidicinum numerum translatum esse, quo loco bene perpenso, vix erraturum esse eum dixeris, qui Phrynnidem praesertim tangere illa Platonis putarit de Legg. III, p. 100 E.: καὶ αὐλῳδίας τε ταῖς κιθαρῳδίαις μιμουμένοι καὶ πάντα ἐς πάντα συναγαγόντες. Itaque is citharam tanta dexteritate pulsavit, ut neque deessent, qui notum illud proverbium μετὰ Λέσβιον ᾠδὸν de ipso intellegendum esse censerent: Bodlej. Provv. 596. Λέσβιος ᾠδός· οἱ μὲν τὸν Εὐαινητίδην, οἱ δὲ Φρύννιν, quamquam de Terpandro rectius interpretantur alii cfr. Neuius ad Sapph. fr. p. 79.

---

[37]) Verissima haud dubie h. l. pro Ἀριστοκράτης emendatum est Φερεκράτης ac miror sane quod Otto Schneider de vett. scholl. in Arist. fontib. p. 109 Aristocratem inter eos reponat, quorum in scholiis ad illustrandam historiam usurpatam auctoritatem videamus. „Saltem veri non dissimile arbitratur eundem esse cum eo, cujus laconica usurpavit Athenaeus III, p. 82 E. nisi verior sit Valkenarii conjectura, Ἀριστόξενος corrigentis." Dixit de Aristocrate historico pluribus Meursius Miscell. Lacon. p. 336.

Bodius de Orpheo p. 16. 7. Idem atque Bodl. Provv. voluit Photius p. 215, 23. *Λέσβιον ᾠδόν· τὸν Φρύνιχον, οἱ δὲ Εὐαίνετον.* Atque in Panathenaeis quidem e fidicinibus Phrynnis primus victor renunciatus est, tantaque gloria hominis fuit, ut Timotheus, quum ipsi Phrynnide superiorem evadere contigisset haud mediocriter sese jactaret. Plut. de laude sui c. 1. *ἢ καὶ Τιμόθεον ἐπὶ τῇ κατὰ Φρύννιδος νίκῃ γράφοντα· Μακάριος ἦσθα, Τιμόθεε ὅτε κῆρυξ εἶπε· Νικᾷ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος τὸν Κάρβωνος τὸν Ἰωνοκάμπταν· εἰκότως δυσχεραίνομεν.* Timothei verba in tres versus dispescere Georg. Bippartus periclitatus est, qui ipsi conatus perquam infauste cessit; nimirum Th. Bergkio viam non praemuniente. Versus posuit hosce:



unde novum etiam quid de prosodia vocis *Μιλήσιος* edocemur. Quod vero plerumque factum videmus, ut qui populo impense placerent musici, ii gravissimis comicorum conviciis premerentur, idem Phrynnidi accidisse Schol. Ar. Nub. 971 et Provv. Bodd. 596 testantur. Tamen ipsorum comicorum, qui haec comprobarent, duo tantum loci supersunt, Aristophanis Nubb. 971 et Pherecratis ap. Plutarch. de Mus. c. XXX. Neque Lacedaemoniorum idem, tam candidum, quam Atheniensium judicium expertus est, quippe cui Ephori duas illas quae septenarium numerum superarent chordas, abscinderent, hoc tantum musico pro arbitrio liberum relinquentes, superasne an infimas chordas deleri mallet. Plut. quom. q. profect. virt. sent. p. 289 Wyttenb. *Φρύννιν μὲν γὰρ οἱ Ἔφοροι ταῖς ἑπτὰ χορδαῖς δύο παρεντεινάμενον ἠρώτων, πότερον τὰς ἄνωθεν ἢ τὰς κάτωθεν ἐκτεμεῖν αὐτοῖς ἐθέλει παρασχεῖν.* Plut. Ag. X, 4. *Σὺ δ' Ἐκπρέπη μὲν ἔφησεν ἐπαινεῖς, ὃς ἐφορεύων Φρύννιδος τοῦ μουσικοῦ σκεπάρνῳ τὰς δύο τῶν ἐννέα χορδῶν ἐξέτεμε.* Eadem leguntur Plut. Lacon. Apophth. Tom. II, p. 149 ubi codd. pro *Ἐκπρέπης* habent *Ἐμπρέπης* vel *Ἐμηρέπης* Ephori nomen. Jam quid novarit Phrynnis, Schoemannus ad Plut. Ag. p. 130 ait, in veterum testium dissensu non satis

liquet, obiterque citat Plehn. Lesbiac. p. 197. Placet tamen veterum inter se comparari ac componi testimonia. Quare ab ampliato chordarum numero ut exordium fiat, Plutarchi ll. ll. adjiciendus est Pherecrates:

ἐν ἑπτὰ χορδαῖς δώδεχ᾽ ἁρμονίας ἔχων.

Malo enim cum Buretto Mem. Acad. XIII, p. 152. Rud. Hanov. exerc. critt. p. 51. Meinekio Comm. II, 1 p. 239 ἑπτὰ legere; quam quod in codd. est πέντε; licet objici queat hoc: Phrynnidis, quo paucioribus fidibus majorem harmoniarum numerum elicuerit, eo admirabiliorem effici artificii praestantiam. At non parvi momenti hac in re est Procli cum Plutarcho consensus, qui Φρύννις δὲ ὁ Μιτυληναῖος ait, καὶ χορδαῖς ταῖς ἑπτὰ πλείοσι ἐχρήσατο, nec vero alioquin hoc vitio dari musicis videmus, quod paucioribus, quam quod justo aut consueto pluribus chordis lyram intenderent; unde comici plerumque in πολυχορδίαν invehunt. Antestatur Plut. Mus. 12. τὴν γὰρ ὀλιγοχορδίαν παντελῶς ἀρχαϊκὴν εἶναι ξυμβέβηκεν. Aliam viam Georg. Bippartus ingressus est, qui de citharae ac lyrae discrimine cogitans „citharis Phrynnidem fortasse primum inter Graecos usum autumat, iisque non amplius quinque chordis tensis, sed e quibus flectendo (*durch Greifen*) infinitam sonorum multitudinem elicere et vel omnes, quae intra unum diapason continentur duodecim harmonias exhibere poterat." Quod quam perverse excogitatum sit, nemo non videt, qui non Arionem modo ac Terpandum optimos κιθαρῳδοὺς vocatos fuisse novit, sed Phrynnidem etiam citharizandi praeceptis ab Aristoclito imbutum esse sciat Schol. Ar. tradere. Ceterum Plutarchus, qua in re vitium Phrynnideae musices ponendum sit minime tacet Ag. X, sed ipsius τὸ σοβαρὸν καὶ περιττὸν vituperat, h. e. tumorem atque ostentationem et nimium ornatus studium, quomodo Schoemannus interpretatur, licet in v. σοβαρόν magis immodicum rythmici ductus celeritatem, quam tumorem notari dixerim. Cum quo Plutarchi judicio concinit Aristophanes:

εἰ δέ τις αὐτῶν βωμολοχεύσαιτ᾽ ἢ κάμψειέν τινα καμπὴν
αὐτὸς δείξας, ἐν θ᾽ ἁρμονίαις χιάζων ἢ σιφνιάζων

οἵας οἱ νῦν τὰς κατὰ Φρύννιν ταύτας τὰς δυσκολοκάμπτους ἐπετρίβετο τυπτόμενος πολλὰς, ὡς τὰς Μούσας ἀφανίζων. atque τῷ περιττῷ respondet τὸ χιάζειν et σιφνιάζειν quod Pollux interpretatur περιέργοις μέλεσι χρῆσθαι· quo contra τὸ σεμνὸν καὶ ἀπερίεργον veteri musicae tribuitur a Plutarcho Mus. c. XXXVII. Inde vero non dubites, quin simul ταραχῶδες aliquid subnatum sit, quale Pherecrates hisce vituperat:

Φρύννις δ' ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα.

Etenim στρόβιλος ut ait Phrynichus Bekkeri p. 63, 28. καὶ μεταφορικῶς ἐπὶ ᾠδῆς κιθαρῳδικῆς πολὺν ἐχούσης τάραχον. Proprie enim στρόβιλος ventus est, aliis τυφώς dictus, sive procella, quae de terra coorta, turbine sursum effertur. Schol. Soph. Antig. v. 418. πνεῦμα θυελλῶδες, ὅταν συνερείδῃ τῇ γῇ, καὶ πάλιν ἄνω αἴρῃ. Plerumque enim venti e coelo quasi immissi in terram irruunt. Itaque στρόβιλος, de ventosis in re musica furoribus usurpatum, significare videtur modulationum turbinem ad νήτην ab ὑπάτῃ ascendentem. Qua licet adoptata interpretatione optime stabit Bergleini haud improbabilis loci interpretatio, qui (de Philox. p. 24) non v. στρόβιλον sed voces ἴδιον et ἐμβαλών urgendas esse putat: ita ut seorsim et a verbali musicoque textu dithyramborum segregatam alieno loco intercalasse musicam (*Zwischenspiele*) dicatur Phrynnis.

Quum vero insolens quidam ornatus ac magniloquentiae amor fere sine mollitudine quadam non inveniatur, merito puto Phrynnidi Ionicam quoque effeminationem opprobatam esse. Nempe Ἰωνοκάμπτας audiebat, quod sicut Iones — sunt verba Hemsterhusii ad Polluc. I, p. 385 — saltationes masculas in effeminatos gyros flexionesque frangerent, ita ipse in severiorem musicam crispos quosdam et lubricos invexisset modos. Hinc etiam δυσκολοκάμπτας καμπὰς notat Aristophanes; h. e. ut ejusdem verbis utar modulos contortuplicatos, non facile variis inflexionibus exprimendos. Cfr. Polluc. Lex. IV, 10. Hinc κλάσαι τὴν ᾠδὴν ἐπὶ τὸ μαλθακώτερον coarguitur. Neque in re musica solum novationes conatus est, sed nomum quoque dithyrambico generi magis assimilem reddidit quippe quem Proclo teste ἐκαινοτόμησεν· τό τε γὰρ

ἑξάμετρον τῷ λελυμένῳ συνέθηκε, in quo ipsum Timotheus imitatus, postea etiam, si fides Hephaestioni p. 119, 9 Gaisf., ulterius progressus est. Verumtamen, quae novaverat, Phrynnis ipse postea, jussit irrita esse, Pherecrate teste: *εἰ γάρ τι κἀξήμαρτεν αὖθις ἀνέλαβεν*, nec omnino spernendam ipsi laudem posuit Aristoteles Metaph. I, p. 393 B. *εἰ μὲν γὰρ Τιμόθεος μὴ ἐγένετο, πολλὴν ἂν μελοποιΐαν οὐκ εἴχομεν, εἰ δὲ μὴ Φρύννις, Τιμόθεος οὐκ ἂν ἐγένετο.*

II.

DE TIMOTHEO MILESIO.

Fridericus Rambachius, qui Milesiorum res singulari sibi libello pertractandas proposuit, solita neglegentia e poetis quorum multos haud ignobiles Miletus protulit, non nisi duos commemoratione dignos censuit, Melanippidem et Lamynthium: Melanippidem quidem Melium communi aliquando omnibus errore Milesiis falso vindicans; Lamynthium sane re vera Milesium, nunquam tamen apud veteres tanto in honore habitum ut prae Timotheo nominari meruerit.

Ac Timotheum quidem, Milesium declarat epigramma tumulo ipsius in Macedonia inscriptum, quod apud Stephan. Byz. v. *Μίλητος* legitur:

Πάτρα Μίλητος τίκτει Μούσαισι ποθεινὸν
Τιμόθεον κιθάρας δεξιὸν ἡνίοχον.

Vulgo *τίκτει τὸν* legebatur. Vitium diverso modo sustulerunt VV. DD., Meinekius conjiciendo: *τέκε τόν.* Jacobsius AP. Nott. cr. p. 949 assentiente Schneidewino Simonid. p. 199 delendo articulum *τόν.* Quae postrema emendatio locum obtinet coll. Eustath. Il. 237, 3 = 313, 13 et Dracon. Metr. p. 67. Neque aliter jam Lilius Gyraldus Opp. Tom. II. p. 349. Jam vero audiamus de Timotheo Suidam p. 3569 C. *Τιμόθεος· Θερσάνδρου, ἢ Νεομύσου, ἢ Φιλοπόλιδος, Μιλήσιος· λυρικὸς ὃς τὴν δεκάτην καὶ ἑνδεκάτην χορδὴν προσέθηκε καὶ τὴν ἀρχαίαν μουσικὴν ἐπὶ τὸ μαλακώτερον μετήγαγεν. Ἦν δὲ ἐπὶ Εὐρι-*

(r) παίδων χρόνων τοῦ τραγικοῦ, καθ' οὓς καὶ Φίλιππος ὁ Μακεδὼν ἐβασίλευεν, καὶ ἐτελεύτησεν ἔτη ἐννενήκοντα ἑπτά. γράψας δι' ἐπῶν νόμους μουσικοὺς δεκαεννέα, προοίμια λς', Ἄρτεμιν, διασκευὰς η', ἐγκώμια. Πέρσας ἢ Ναύπλιον, Φινείδας, Λαέρτην, διθυράμβους ιη', ὕμνους κα' καὶ ἄλλα τινά. Pater igitur, num Thersander an Neomysus, an Philopolis audiverit, Suidas quidem in medio reliquisse videretur, nisi constaret, ubique fere nomen ab ipso primo loco positum, optimis inniti testimoniis. Etenim Νεομύσου nomen, quod, nisi fallit suspicio in Νεόμουσου commutandum erit, comico debetur, nescio cui, qui succrescente Timothei gloria, propter novationes ipsius in re musica factas, patrem ei jocose affinxit Neomusum. De Philopolide non habeo, quae conjiciam nisi Ephesiorum erga Timotheum amorem eo nomine tangi putaveris. At Thersandri ipsum filium fuisse satis evincitur Alexandri Aetoli testimonio, ap. Macrob. Saturnn. V, 22. Τιμόθεον, κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων | υἱὸν Θερσάνδροιο κτλ. quem ad locum Meinekius Anall. Alexx. p. 227 non importune monuit, eum quem in praestantissimis Joniae tibicinibus Thersandrum memorent Polyaen. Strategg. VI, 10 et Xenoph. Hellen. IV, 8, 18 fortasse Timothei fratrem habendum esse. Supersunt denique Pherecratis comici apud Plutarch. de Musica p. 1141 F. versus:

Α. ποῖος οὑτοσὶ
ὁ Τιμόθεος; Μ. Μιλήσιός τις Πυῤῥίας.

unde Georg. Bipparto l. l. p. 50 (praecedente Reinesio ad Suidam) non improbabiliter visum est, posse conjici, Timotheum etiam aliquando serviisse siquidem Suid. p. 3186 ed. Gaisf. ajat: *Πυῤῥίαις, δούλοις· Ὄνομα γὰρ δούλου Πυῤῥίας.* Quibus de nominibus plura vide apud Hemsterhusium ad Lucian. Timon. p. 112 cl. Philos. p. 486, 492. Tamen Reinesii huic sententiae favere nequeo propterea, quod servitutis op-

(*) Hucusque typis mandata erat *Diatribe* nostra, cum pervenirent ad nos duae Schneidewini commentationes, altera Nunc. Erudd. Gottingg. p. 1373 inserta, altera sejunctim repetita lyricorum, a Bergkio editorum, censura (Gotting. 1844. 8.), unde quid in meos usus, antea a me non animadversa contulerim, indicavi religiose.

probrium vix tantam excitare indignationem, tantosque movere spectatoribus cachinnos potuit, quam viva aliqua corporeae mendae adumbratio; quas inter rutilus aeriquae assimilis capillorum color non injucundam praebere potuit comico penicillo imaginem. Accedit praeterea hoc, quod, cum *Πυῤῥίαι* plerumque Thraces vocarentur servuli, rufi illi ac vaferrimi, ne hoc quidem nomine jocus non pungat Timotheum, ut qui hoc ipso tempore apud Macedonum reges hospitio exceptus nobilissimo commoraretur. Cfr. Lehrs Quaestt. Epp. p. 20, 21.

Ab hoc Timotheo secernendum tibicinem esse post Reinesium ad Suid. l. l. plerique annotarunt, indicatis simul iis locis omnibus quibus tibicinis mentionem fieri crederent. — De Timotheo comico v. Meinek. III, p. 589 sqq. — Denique inter Dionysiacos artifices referendus est Timotheus Zacynthius quode Schol. V. ad Soph. Aj. 863 inspiciendus est.

Ceteroquin de Timothei vita tam trita sunt omnia ut, quae nuperrime demum recoxit magis quam recollegit Bippartus satis sint semel decantata. Juvabit tamen haec tum augeri tum emendari iis, quae in Anall. Alexx. p. 225 sq. Meinekius; in Annall. critt. Berol. 1843 m. Jul. Marquardtius, et in Nuncc. Erudd. Gotting. p. 1393 sqq. disputavit Schneidewinus. Nonnulla dabit Od. Muellerus in Doriens. Tom. II, p. 316 ed. Schneidew. Licebit igitur nunc Timothei perlustrare carminum reliquias in quibus cum colligendis tum emendandis

---

[39]) Inter hos locos Diphili comici sunt Bigae apud Athen. XIV, p. 657 E. *ἐχηνίσας; ποιοῦσι τοῦτο πάντες οἱ | παρὰ Τιμοθέῳ* unde non improbabilem nobis facere conjecturam licet, quanam inflanda tibia Timotheus iste imprimis excelluerit. Inquit comicus: *ἐχήνισας* h. e. gingrivistine? A gingritu autem quam vocem de anserum clangoribus usurpat Arnobius, gingrinae tibiae sunt dictae, Graecis *γίγγραντες* nominatae, de quibus praeter Solinum c. V et Festum (ex restit. Salmas.) p. 87 lege Amphidis, ex Dithyrambo fabula versus:

A. Ἐγὼ δὲ τὸν γίγγραντα τὸν σοφώτατον.
B. Τίς δ' ἐστ' ὁ γίγγρας; *A.* Καινὸν ἐξεύρημά τι
ἡμέτερον, ὃ θεάτρῳ μὲν οὐδεπώποτε
ἔδειξ'· Ἀθήνῃσιν δὲ κατακεχρημένον
ἐν συμποσίοις ἤδη 'στίν· (Athen. VI, p. 174 F.)

Inepte in Diphili loco ante Meinekium legebatur: *ἐχηνίσας*. —

prioribus paullum fortasse feliciori mihi esse contigit. Atque ordinem ducat carminum Timothei longe nobilissimum, hymnus in Dianam Ephesiam compositus, cujus nisi egregie fallor initium servavit nobis Athenaeus XIV, p. 636. *Δηλοῦσθαι θ' ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ᾄσματι, οὗ ἐστιν ἀρχή· Ἄρτεμι σοί μ' ἔτι φρὴν ἐφίμερον ὕμνον ὑένει τε, ὅθεν ὦ δέ τις ἀλλὰ χρυσοφαννία κρέμβαλα χαλκοπάραα χερσίν.* Verba sunt misere corrupta, ac certe Jacobsius ea in exercitt. critt. non sanavit, sic tentando:

Ἄρτεμις, ὁρμᾶται φρὴν ἐφ' ἵμερον ὕμνον ἱέναι κτλ.

Reliqua ne aggressus quidem est. Neque felicior mihi equidem videtur Fiorillo in observv. critt. p. 48. 49 licet ipse solita sua confidentia, quin rem acu tetigerit, nullus dubitet. Legit vero:

Ἄρτεμι σοί μ' ἔτι φρὴν ἐπ' ἐφίμερον ὕμνον ἔνωθεν
Ἀιδε τι χρυσοφαυνῆ κρέμβαλα χαλκοπαγῆ
Χερσὶν

In Athenaei libris nihil est, quod veram poetae sententiam vel leviter indicet. Liceat igitur etiam mihi meam audere conjecturam:

Ἄρτεμι, σοί μ' ἔλε φρὴν ἐφ' ἵμερον ὕμνον ὑφῆναι θεόθεν
ἅμα δέ τις λάλα χρυσοφαεννὰ
κρέμβαλα χαλκοπάραα χερσίν

–́ ⏑ ⏑ – ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑
⏑⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑

In quibus ἔλε legendum censeo pro ἔτι· nisi sub *σοί μ' ἔτι* latet *σῇ δ' ἰότητι* ut in Antipatri carmine est Anthol. Pol. VI, 276 vs. 6. Deinde *ὕμνον ἐφ' ἵμερον* non dubito quin recte restituerim pro *ἐφίμερον*. Sic enim Alcman quoque apud Hephaest. Enchir. p. 40 (Bergk. PLG. fr. 29). *ἐπὶ δ' ἵμερον ὕμνον καὶ χαρίεντα τίθει χορόν. ὑφῆναι* Codd. *ὑεναι, ιεναι.* — Pro *θεόθεν* libri praebent *τε, ὅθεν*; quod verbum Aeschyli versum mihi in memoriam revocat, Agam. v. 97 quem sic corrigo:

ἐμοὶ γὰρ θεόθεν καταπνεῖ
Πειθὼ μολπᾶν
ἀλκᾷ ξύμφυτος αἰών.

vulgo: *Πειθὼ μολπάν, Ἀλκὰν ξύμφυτος αἰών·* *θέοθεν* i. e. *ἔνθεον*, ut Christodorus Coptita v. 41 *ἔνθεον ἱμερόων ἀνάγειν μέλος.* — Versu secundo corruptissimo dedi *ἅμα δὲ* pro *ἅ δὲ* et *λάλα* h. e. *garrula* pro *ἀλλὰ* quae fere commutatio nulla est. Simillima enim sunt *ΑΛΛΑ* et *ΛΑΛΑ.* Sic Erycius dixit *λάλα κύμβαλα.* — *χρυσοφαεννά*] vulgo *χρυσοφαννία.* Voce hac unus hucusque Anacreo usus videbatur (Bergk. PLG. fr. 24) *χρυσοφαεννῶν πτερύγων ἀήταις.* Neque sane secundum grammaticas regulas consuetas formata vox est. Usitatior forma: *χρυσοφαής.*

Ultimo versu forma Doria *χαλκοπάρᾳα* non tentanda, qua etiam Pindarum usum videmus, pro *χαλκοπάρεια, χαλκοπαρῄα.* — *χεραίν* quod est in codd. retinui. Bergk. Commentt. p. 374 confidentius *χεροῖν* emendavit. Usitatissimum hymnorum in Dianam initium fuit: *Διὸς κόραν Ἄρτεμιν.* Eurip. Iphig. Aul. 1476. *Ὑμεῖς δ' εὐφημήσατ' ὦ νεάνιδες παιᾶνα τῇ μῇ ξυμφορᾷ· Διὸς κόραν Ἄρτεμιν.* Iphig. Aul. 1521. *Ἀλλὰ τὰν Διὸς κόραν κλήσωμεν Ἄρτεμιν.* —

Ex eodem carmine Meinekius Anall. Alexx. p. 227 etiam haec Hesychii deprompta putat vol. II, p. 998. *Πολυθύσανε: Ἄρτεμι πολυθύσανε κούρα· διὰ τὸ θυσάνοις καὶ αὐτὴν χρῆσθαι, ἢ ὅτι πολλαχόθεν ἄσσεται ὡς κυνηγέτις ἢ πολυθώϋκτος* (vulg. *πολυθώϋστος*) *ἢ πολυθυσίαστος.*

Apertis autem veterum auctorum testimoniis haec in eo exstiterunt verba:

Μαινάδα, θυάδα, φοιβάδα, λυσσάδα.

— ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡

Sic enim Plutarch. de audd. poett. c. IV. *Τιμοθέῳ μὲν γὰρ ᾄδοντι τὴν Ἄρτεμιν ἐν τῷ θεάτρῳ· Μαινάδα κτλ. Κινησίας εὐθὺς ἀντεφώνησε· Τοιαύτη σοι θυγάτηρ γένοιτο.* Eadem habet Plutarch. de Superst. c. X (p. 170). — Deinde haec:

Διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων
διά τ' ὠκυτόκοιο σελάνας.

Plut. Quaest. Sympp. III, 10, 3: *ὅθεν οἶμαι καὶ τὴν Ἄρτεμιν λοχείαν καὶ Εἰλείθυιαν οὐκ οὖσαν ἑτέραν, ἢ τὴν σελήνην, ὠνομάσθαι. Τιμόθεος δ' ἀντικρύς φησι· Διὰ κυάνεον κτλ.*

Eadem Macrobius Saturn. VII, 16. Certe Bergkius non improbaliter ista ad hoc carmen retulit p. 860.

De eodem hymno Macrob. Saturn. V, 22. „Alexander Aetolus poeta egregius in libro qui inscribitur: *Musae* refert, quanto studio populus Ephesius dedicato templo Dianae curaverit, praemiis propositis, ut qui tunc erant poetae ingeniosissimi in Deum carmina diversa componerent. In his versibus Opis non comes Dianae sed Diana ipsa vocata est. Loquitur autem, ut dixi de populo Ephesio:

Ἀλλ' ὅγε πευθόμενος πάγχυ Γραϊκοῖσι μελέσθαι
Τιμόθεον κιθάρας ἴδμονα καὶ μελέων
Υἱὸν Θερσάνδροιο, τὸν ἤνεσαν ἀνέρα σίγλων
Χρυσείων ἱερῇ δὴ τότε χιλιάδι
Ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλήτειραν ὀϊστῶν
ἥτ' ἐπὶ Κεγχρείῳ [29]) *τίμιον οἶκον ἔχει.*

Hymni in honorem Dianae Ephesiae compositi singulari nomine appellabantur *Οὔπιγγες* de quibus apud Veteres loci insignes exstant Athen. XIV, p. 619. Polluc. I, 38. IV, 53. Schol. Apoll. Rhod. I, 972. Cfr. Albin. Kries hymn. Graec. p. 31. Ilgen Scol. poes. p. XLIII, 47. E. Guhl Ephess. p. 86, 10. Namque apud Ephesios potissimum Upis sive Opis Diana vocabatur ipsa, quum ab aliis inter deae comites referretur. Vid. Turneb. Adverss. XXII, c. 3. Spanheim. ad Callim. Del. 292. Guhl. l. l. p. 78 sqq.

Ad paeanem in Apollinis honorem rite cantum referendum fragmentum est ap. Macrob. Saturn. I, 17: „Sed Timotheus ita:

Σύ τ' ὦ τὸν ἀεὶ πόλον οὐράνιον
ἀκτῖσι λαμπραῖς Ἅλιε βάλλων
πέμψον ἑκαβόλον ἐχθροῖς βέλος
σᾶς ἀπὸ νευρᾶς,
ὦ ἰὲ Παιάν.

29) E. Guhl. Ephess. p. 165 not. 29. Cenchreos antem pro Selinuntibus posuit Timotheus, vel Cenchrio, Ephesiorum fluvio, in errorem inductus, vel de consilio celebriori nomine fluviolos istos appellans. Templum enim illud, quod in Ortygia ad Cenchreum re vera habuit Diana, vix intellegi potest.

ἀκτῖσι λαμπραῖς Bergkius P.L.Gr. p. 852 vulg. λαμπραῖς ἀκτῖσι. — ὦ ἰή] addidit Schneidewinus Nuncc. Gott. 1844. p. 1387 a Bened. Hasio monitus in Macrobii vetustissimo codice Thuan. legi: CACAΠONEYPACωIEΠAIAN et in cod. n. 8678 (sec. XV) scribi: νεῦρας ὦ παῖαν. — ̓́Αλις] Cod. Thuan. EA IE.

Transeo ad Cyclopem, sine contreversia dithyrambicum carmen; unde duo fragmenta etiamnunc supersunt:

Ἔπλησε δ' ἓν μὲν δέπας κίσσινον
μελαίνας σταγόνος
ἀμβρότας ἀφρῷ βρυάζον·
εἴκοσιν δ' [ὕδατος] μέτρ' ἀνέχευεν, ἔμισγε δ'
αἷμα Βακχίου νεορρύτοις δακρύοισι Νυμφᾶν.

Athen. XI, p. 465, C.: Τιμόθεος δ' ἐν Κύκλωπι Ἔχευε δ' κτλ. Eusthat. p. 1631, 60. ἐστὶ δὲ κισσύβιον ποιμενικὸν ποτήριον ἐκ κισσίνου φασὶ ξύλου. ὁποῖον καὶ ἐφ' αὑτῷ ... ἐκ ... ἑξῆς Εὐμαίῳ ἐστὶν ὡς δηλοῖ (φασὶ) καὶ Τιμόθεος ἐν τῷ κατ' αὐτὸν Κύκλωπι, παραφράσας οὕτως· ἓν μὲν δέπας κτλ. Eustath. 1635, 5. δοκεῖ δὲ Αἰολικῶς τὸ κισσύβιον τρέψαι τὸ ο εἰς υ, εἴπερ ἀπὸ τοῦ κισσοῦ γίνεται· γίνεται δὲ πάντως ὡς τῷ εἰρημένῳ Τιμοθέῳ, καὶ ἄλλοι συγγράφουσιν.

v. 1. ἔπλησε δ'. om. Epit., Eust. codd.: ἔχευε δὲ vel ἔχυνεν δὲ. „Fortasse scribendum est: ἓν μὲν ἦν δέπας" Bergk. p. 861. Friebel dramat. Satyr. fragm. p. 64 ed. Larsow. legit: ἓν δ' ἔχευε μὲν δέπας κίσσινον. Fiorillo Observv. p. 2 et Grotefend.: ἔχευε δ' ἓν μὲν κίσσινον δέπας κτλ. jambicos inde procudere versus studentes. Primus Schneidew. Nuncc. Gott. 1844. p. 1386. ἔπλησε conjecit. — δέπας κίσσινον] A κισσῷ (hedera)

peculiare Bacchicorum poculorum genus κισσύβιον dictum esse monuit Creuzerus in Dionyso p. 15.

v. 3. ἀμβρότας] Boeckh. Comment. Acad. scient. Berol. 1814 p. 116, eo verbo non sine caussa usum esse Timotheum suspicatus, de Ambrosiorum festo cogitare nos jubet, quo primum solebat vinum depromi, atque poetis in certamine musico victoribus praemio dari. — ἀφρῷ βρυάζον] Mss. ἀφρο-βρυάζον. —

v. 4. εἴκοσιν] Sic Dind. Bergk. vulg. εἴκοσι. — δ' ὕδατος μέτρ'] ὕδατος ex Eustath. l. l. recepi, Homeri Odyss. ι' 204 vestigiis insistens:

ἓν δέπας ἐμπλήσας, ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα
Χεῦ' κτλ.

Ac certe sensus quoque requirit vocem. — μέτρ' ἀνέχευεν] duo Codd. ἀνέχευαν. Eustath. ἔχευεν. ἀνέχευεν bene revocavit primum Friedel II. male extrusum a Fiorillone II. et Grotefendo, qui multorum hac in re immerito consensum tulerunt. Nimirum conjecerant νηχύτου vel νηχύτου vel ναχύτω vel χεύματος, relegantes lectorem ad Schol. Apollon. Rhod. III, v. 530. νήχυτον ὕδωρ τὸ πολύχυτον. τὸ γὰρ νῆ καὶ στέρησιν σημαίνει καὶ ἐπίτασιν. Apollon. Rhod. IV, 1367. Etym. M. p. 602, 40. Suid. v. διθυραμβοδιδάσκαλος. Hesych. voc. νήχυτον. — ἔμισγε δ'] Libb. ἀνέμισγε δ' Epitom. —

v. 5. δ' αἷμα] Grotef., Bergk. δ' ἅμα vel διάμα in Codd. — Βακχίου] unus cod. βακχεῖα. — νεοῤῥύτοις Epitom. Bergk. codd. νεοῤῥύτως vel νεωρύτως vel νεωῤῥυτῶς. Fiorillo scripsit νεοῤῥύτῳ, quod non inepte sane excogitatum esset, modo de Ambrosiorum festo cogitasset. — δακρύοισι] Epit., cod. δακρύοισι. Ad elocutionem conferri poterit Euphorio Etym. Magn. p. 565, 15. πολύστροφα δάκρυα Βύνης de mari, quem ad locum Meinek. Anal. Alex. p. 124 nostri etiam memor fuit. — Νυμφᾶν] Schweigh., Bergk., codd. νυμφᾶν. epit. πηγᾶν. Palmerius ad nostrum locum respicere Plutarchum Sympos. III, 9 extr. δοκοῦσιν δ' οἱ μὲν παλαιοὶ τοῦ μὲν Διὸς δύο τιθέναι τιθήνας· τοῦ δὲ Διονύσου πλείονας, ὅτι δεῖ τὸν θεὸν τοῦτον ἐν πλείοσι μέτροις Νυμφῶν τιθασσευόμενον καὶ παιδευόμενον ἡμερώτερον ποιεῖν καὶ φρονιμώτερον. Cf. Casaub.

P. S. p. 28 ed. Ramb. Ceterum de Nympharum cum Dionyso consuetudine lege Welckeri Additi p. 188, 14. Boeckh. l. l. p. 116 not. Eadem ista familiaritas in artificum etiam monumentis expressa comparet, Zoëga Basiril. ant. di Rom. 1828. p. 142. Tav. LXXIV. „Dietro la tigre giacè una naide che dalla sua urna versando dell' acqua come Dionyso del vino dal suo nappo si rimembra que chel si spesso inculcan gli antichi scrittori che senza unirvi il dono d'Acheloo funesto è quello di Baccho."

Alterum fragmentum hoc est:

οὔτοι τόν γ' ὑπεραμπέχοντα
οὐρανὸν εἰσαναβήσει.

–́ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

–́ ⏑ ⏑⏑ – ⏑ ⏑ –

Chrysipp. *περὶ ἀποφατικῶν.* c. 10: *Εἰ Κύκλωψ ὁ τοῦ Τιμοθέου πρός τινα οὕτως ἀπεφήνατο. οὔτοι κτλ.* Cf. Fragmens inédits d'anciens poëtes Grecs tirés d'un papyrus appartenant au Musée royal, par M. Letronne. Paris 1838, p. 7. Col. 7, XIX. „Le verbe *ὑπεραμπέχειν* n'était pas connu." De dictione *οὐρανὸν εἰσαναβήσει* idem conferri jubet Mimnerm. Fragm. VIII. Apollon. Rhod. I, 1100; II, 938 cett.

Ad idem carmen Bodius non improbabiliter retulit etiam hunc versum:

τεταμένον ὀρίγανα διὰ μυελοτρεφῆ

⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ –

Etym. Magni p. 630, 41. *ἢ ἐπειδὴ (ὥς φησιν Ὠρογένης) εὕρηται ἐν συστολῇ ἡ ρι συλλαβή, ὡς παρὰ Τιμοθέῳ τῷ κιθαρῳδῷ· οἷον· τεταμένον κτλ. σύγκειται δὲ οὗτος ὁ στίχος ἀπὸ προκελευσματικῶν· ὁ δὲ τελευταῖος ποὺς ἀνάπαιστός ἐστι τῶν δύο βραχέων εἰς μίαν μακρὰν συναιρεθεισῶν.* Cfr. Cramer Anecd. Paris. Tom. IV, p. 12, 25.

Versum sec. cod. Dorvill. emendavit Gaisford ad Hephaestion. p. 289. Similis solutionis anapaestorum exempla vid. ap. Boeckh. de Metr. p. 49.

Transeo ad *Πέρσας* Timothei, quod Suidas carmen pro more suo bis recensuit, cum sit Nomis accensendum, teste Pausan. VIII, 50, 3. *Πυλάδου δὲ Μεγαλοπολίτου μὲν ἀνδρὸς*

γένος, κιθαρῳδοῦ δὲ τῶν ἐφ' ἑαυτοῦ δοκιμωτάτων, καὶ ἀνῃρημένου Πυθικὴν νίκην, τότε δὲ ᾄδοντος Τιμοθέου Νόμον τοῦ Μιλησίου, Πέρσας, καὶ καταρξαμένου τῆς ᾠδῆς:

κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον,

ἀπεῖδεν ἐς τὸν Φιλοποίμενα τὸ Ἑλληνικόν. Idem narrat Plut. Philopoem. II, p. 362 D. (c. 11). *Ἄρτι δὲ αὐτῶν εἰσελθόντων κατὰ τύχην Πυλάδην τὸν κιθαρῳδὸν ᾄδοντα τοὺς Τιμοθέου Πέρσας ἐνάρξασθαι*

κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων (vulg. *τεύχω*) *μέγαν Ἑλλάδι κόσμον,*

ἅμα δὲ τῇ λαμπρότητι τῆς φωνῆς τοῦ περὶ τὴν ποίησιν ὄγκου συμπρέψαντος, ἐπίβλεψιν γενέσθαι τοῦ θεάτρου πανταχόθεν εἰς τὸν Φιλοποίμενα καὶ κρότον μετὰ χαρᾶς.

Metrum: [illegible]

Similiter Pindar. fr. 164 Bergk. *ὅθι παῖδες Ἀθηναίων ἐβάλοντο φαεννὰν | κρηπῖδ' ἐλευθερίας.* cf. Simon. fr. 144. Bergk.

Alium ex Persis versum exhibet Plut. de audiend. poetis p. 74 ed. Krebs. *ἀφ' ὧν καὶ Τιμόθεος ὁρμηθεὶς οὐ κακῶς ἐν τοῖς Πέρσαις τοὺς Ἕλληνας παρεκάλει.*

Σέβεσθ' αἰδῶ σύνεργον ἀρετᾶς δορυμάχου.

ad hunc v. respicit idem de fort. Rom. c. XI. Metrum est hoc:

[illegible]

Neque tertium Timothei fragmentum huc referre dubitamus; ap. Plut. Ages. c. XIV. *Ἡδεῖαν δὲ θέαμα τοῖς κατοικοῦσι τὴν Ἀσίαν Ἕλλησιν ἦσαν οἱ πάλαι βαρεῖς καὶ ἀφόρητοι καὶ διαρρέοντες ὑπὸ πλούτου καὶ τρυφῆς ὕπαρχοι καὶ στρατηγοί, δεδιότες καὶ θεραπεύοντες ἄνθρωπον ἐν τρίβωνι περιιόντα λιτῷ καὶ πρὸς ἓν ῥῆμα βραχὺ καὶ Λακωνικὸν ἁρμόζοντες ἑαυτοὺς καὶ μετασχηματίζοντες· ὥστε πολλοῖς ἐπῄει τὰ τοῦ Τιμοθέου λέγειν.*

Ἄρης τύραννος, χρυσὸν δ' Ἑλλὰς οὐ δέδοικεν.

Respicit idem Demetr. c. 42, p. 909 D. — Metrum hoc est:

[illegible]

Bergk. p. 862 conj. *χρυσὸν Ἑλλὰς δ'*, atque voc. *δὲ* ad Persas retulit. Sed opponuntur *Ἄρης* et *χρυσός*, tyranni infestissimi: itaque in vulgata lectione constiti. — In Demetr. c. 42. *Ἄρης μὲν γὰρ κτλ.*

Denique Graefenhanio ad Aristot. A. P. p. 176 hunc etiam versum, quem sine auctoris nomine habet Aristot. A. P. c. XXII. ὡς ῥᾴδιον ποιεῖν, εἴ τις δώσει ἐκτείνειν ἢ ἐξαλλάττειν ἐφ' ὁπόσον βούλεται ἰαμβοποιήσας ἐν αὐτῇ τῇ λέξει.

ἦ τάχ' Ἄρην εἶδον Μαραθωνάδε βαδίζοντα,

ex Persis desumptum putat; supplendumque ad εἶδον aut Πέρσαι aut Ἕλληνες putat. Ac tot quidem reliquiae carminis aetatem tulerunt. Carmen vero ipsum jam Passowio tale fuisse videtur, quale Aeschyli de pugna Marathonia, vel Simonidis de Spartanis ad Thermopylas occisis, cujus praeclarum fragmentum etiam nunc habemus nr. 9 ed. Schneidew. Fuerunt enim Athenis ex eodem tempore, quo laudationes funebres principium duxisse Diodor. XI, 33. et Dionys. Halicarn. Ant. Rom. V, 17 testantur [40]; etiam certamina varia funebria instituta, ἀγῶνες, ut ait Plato Menex. c. 21, p. 249. B. γυμνικοὶ καὶ ἱππικοὶ καὶ μουσικῆς πάσης. Cfr. Westermann de publ. Ath. honor. ac praem. comment. p. 62. Verisimile igitur est Timotheum quoque carmen hoc in certamen immisisse, quo Marathonios victores redeunte anniversario festo rite ac digne laudaret. Nec exiguam sibi isto carmine gloriam peperisse, praeter laudatos veterum locos, hoc praesertim testimonio esse debet, quod Aristoteles A. P. c. 2 ubi Timotheum nostrum cum Philoxeno poesis genere comparat, Philoxeni quidem Cyclopem, quo praestantius nihil aliud condidisse Philoxenum ab Aeliano XII, 40 supra testari vidimus, Timothei Persis opposuit, quasi et hujus carmini praestantissimo. Atque de discrimine, quod inter utrumque poetam interesse Aristoteles statuit, supra fusius locuti sumus; ac sane probabile est, si quid aliud poëma, Persas inprimis sublime quiddam ac plus quam humanum spirasse, quippe quum nihil dignius poeta esset, quam ut heroes aut deos, non homines inter se dimicantes describeret. Tamen nonnisi in moribus imitandis adumbrandisque Aeschyleam istam majestatem gravitatemque affectavit, ceteroquin enim Euripidi impense placuit. At vero, Aeschyli

40) Cf. Otto Friedrich Rer. Plataic. Specim. (Berl. 1840. 8.) p. 15 sq. et Stallbaum praef. ad Platon. Menex. p. 7 sqq.

mentione facta, pristinae formae reddam Perss. vv. 945—68, quo de loco Passow. Meletem. crit. p. 51—53 agens, hanc versuum distributionem proposuit:

Στρ. *Σούδας Πελάγων καὶ Δατάμας*
ἠδὲ Ψάμμις Σουσισκάνης τ'
Ἀγβάτανα λιπών·
Ἀντιστρ. *Μέμφις, Θάρυβις, καὶ Μασίστρης*
Ἀρτεμβάρης τ' ἠδ' Ὑσταίχμας
τά σ' ἐπανέρομαι.

– ⏒ ◡◡ – – ⏒ ⏒ –
– ⏒ – ⏒ – – ⏒ ⏒ –
⏓ ◡◡ ◡◡ ⏒

Sed vide an nostrum tibi magis placeat:

– ⏒ ◡◡ – – ⏒ ⏒ –
– ◡◡ –
– ⏒ – ⏒ – ⏒ ⏒ –
⏓ ◡◡ ◡◡ ⏒

Στροφή. *Σούδας, Πελάγων καὶ Δατάμας,*
ἠδ' Ἀγδαβάτας,
Σουσισκάνης τ' ἠδὲ Ψάμμις
Ἀγβάτανα λιπών.
Ἀντιστροφή. *Μέμφις, Θάρυβις καὶ Μασίστρης*
[– – ◡◡ – –]
Ἀρτεμβάρης τ' ἠδ' Ὑσταίχμας,
τά σ' ἐπανέρομαι.

In Antistr. non immerito, opinor, lacunam indicavi, quoniam praecedentia verba ibidem bis exhibita conspicerem ineptissime. In stropha vero retinui verba: *ἠδ' Ἀγδαβάτας*, ab editoribus male extrusa, quasi metrum turbarent, ac redundarent. Primam longam lacunae syllabam suspicor *ἠδ'* fuisse, nam conjunctiones hae omnes accuratissime in stropha atque antistropha sibi respondent.

Fragmenta incertae sedis.

1.

Οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά·
καινὰ γὰρ θαμὰ κρέσσω·
νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει,
τὸ πάλαι δ' ἦν Κρόνος ἄρχων.
ἀπίτω, Μοῦσα παλαιά.

–́ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏓
x ⏑ –́ ⏑ ⏑ – –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –

Athen. III, p. 122 D. *κατὰ τὸν Μιλήσιον Τιμόθεον τὸν ποιητήν· οὐκ ἀείδω κτλ.* Eustath. p. 1422, 50=63, 24. *καὶ Τιμόθεος δέ φασιν ὁ Μιλήσιος γράφει οὕτως.*

v. 2. *καινά*] Ald. Casaub., Bergk. Vulg. *καὶ τά.* — *θαμά* ibidem scripsi. Codd. *ἅμα.* Omiserunt Epitom. et Eustath., Bergk. *μάλα* scripsit, ac legendum suspicatur: *καινὰ μὲν γὰρ μάλα κρείσσω.* Schneidew. Nunc. erud. Gott. 1844. p. 1373 conjecit *καινὰ γὰρ ᾄσματα (μέλεα) κρέσσω.* — v. 4. *τὸ πάλαι*] Meinek., Vulg. *παλαιόν.* Similiter Cratinus Athen. VI, p. 267. *βασιλεὺς Κρόνος ἦν τὸ παλαιόν.*

2.

σὺ δὲ τὸν γαγενέταν ἄργυρον αἰνεῖς.

Plut. de fort. Alex. II, 1. *Ἀρχελάῳ δὲ δοκοῦντι γλισχροτέρῳ περὶ τὰς δωρεὰς εἶναι Τιμόθεος ᾄδων ἐσήμαινε πολλάκις τοῦτο τὸ κομμάτιον· Σὺ κτλ.* „Eadem Apophth. p. 177 ubi recte *σὺ δὲ* legitur. Videtur autem ex ipsius aliquo Timothei carmine petitum." Bergk. p. 862. — *γαγενέταν* scripsi Meinekium secutus in Anall. Alex. p. 86, quem de hac forma consulas. Vulgo: *γηγενέταν.*

3.

ἐν πυρικτίτοισι γᾶς.

Anaxandrides Athen. XI, p. 455 F.

Ἀρτίως διηρτάμηκε καὶ τὰ μὲν διανεκῆ
Σώματος μέρη δαμάζετ' ἐν πυριχτίτοισι γᾶς·
Τιμόθεος ἔφη ποτ', ἄνδρες, τὴν χύτραν (οἶμαι) λέγων.

Locum correxit Meinekius Comm. III. p. 164. Vulg. *ἐν πυριχτύποισι γῆς.*

4.

Φιάλην Ἄρεος.

Antiphanes ap. Athen. X, p. 433 C. *οὐκ ἂν ἁμάρτοι δέ τις καὶ τὸ ποτήριον αὐτὸν λέγων Φιάλην Ἄρεως. κατὰ τὸν Ἀντιφάνους Καινέα, ἐν ᾧ λέγεται οὕτως·*

εἶθ' ἡ θῆλυς φιάλαν Ἄρεος
κατὰ Τιμόθεον ξυστόν τε βέλος.

Versus sunt generis anapaestici. In codd. est: *εἰ τῇ δῆλος*, unde Dalecamp. *ἥτει δειλός.* cf. Sam. Petit. Miscell. VI, 13. Koppiers Observv. Philol. p. 40. *ἥτει κεῖνος.* Tyrwhitt ad Arist. AP. c. XXII, sect. 9. Buhle *ἥτει δ' ἥρως θ' ὅπλον, φιάλην*, Jacobs Nott. Mssis. *ἔστη δ' ἥρως φιάλην πάλλων.* At vero *τὸ ὅπλον* aperte glossema est. Versus ipse jam correctos dedi ad Clitarchi fr. 36 (Berl. 1842) ubi de Caenide puella in marem commutata sermo est. Sic enim Phlego Trallianus c. V. (p. 58 ed. Franz.) *οἱ αὐτοὶ ἱστοροῦσι κατὰ τὴν Λαπιθῶν χώραν γενέσθαι Ἐλάτῳ τῷ βασιλεῖ θυγατέρα ὀνομαζομένην Καινίδα. ταύτῃ δὲ Ποσειδῶνα μιγέντα ἐπαγγείλασθαι ποιήσειν αὐτὴν, ὃ ἂν ἐθέλῃ, τὴν δὲ ἀξιῶσαι μεταλλάξαι αὐτὴν ἐς ἄνδρα, ποιῆσαί τε ἄτρωτον.* Cfr. Cramer Anecdd. Oxx. III, p. 412, 27. Cod. Baroec. 219. f. 255. Inde quid Antiphanis versibus insit, apparet. Caenis enim in Caeneum commutata, extemplo virilia sibi poscit arma et vestimenta. Bene igitur nunc dictum videbitur, opinor, *ἡ θῆλυς*, cum dubitare possis, Caeneum marem an virginem rectius dixeris. Eandem rem tangunt Anaxandrides ap. Athen. XI, p. 205. *Ἀναξανδρίδης δὲ φιάλας Ἄρεως καλεῖ τὰ ποτήρια ταῦτα.* Aristot. A. P. c. XXI. *λέγω δὲ ὡς ὁμοίως ἔχει φιάλη πρὸς Διόνυσον καὶ ἀσπὶς πρὸς Ἄρην. ἐρεῖ τοίνυν καὶ τὴν ἀσπίδα φιάλην Ἄρεως καὶ τὴν φιάλην ἀσπίδα Διονύσου.* Aristot. Rhet. III, 4. *ἀεὶ δεῖ τὴν μεταφορὰν τῶν ἐκ τῶν ἀναλόγων ἀνταποδιδόναι καὶ ἐπὶ*

θατέρᾳ καὶ ἐπὶ τῶν ὁμογενῶν. οἷον εἰ ἡ φιάλη ἀσπὶς Διονύσου καὶ τὸν ἀσπίδα ἁρμόττει λέγεσθαι φιάλην Ἄρεως κτλ. Aristot. Rhetor. III, 11. *εἰσὶ δὲ καὶ αἱ εἰκόνες ὥσπερ εἴρηται καὶ ἐν τοῖς ἄνω ἀεὶ εὐδοκιμοῦσαι τρόπον τινὰ μεταφοραί. ἀεὶ γὰρ ἐκ δυοῖν λέγονται, ὥσπερ ἡ ἀνάλογον μεταφορά. οἷον· ἡ ἀσπίς (φάμεν) ἐστί φιάλη Ἄρεως καὶ τόξον φόρμιγξ ἄχορδος. οὕτω μὲν οὖν λέγουσιν οὐχ ἁπλοῦν, τὸ δ' εἰπεῖν τὸ τόξον φόρμιγγα ἢ τὴν ἀσπίδα φιάλην ἁπλοῦν.* Ceterum similiter, ut *φιάλη Ἄρεως*, ab Aristophane dicitur ap. Athen. X, p. 444 D., *ἡδύς γε πίνειν οἶνος Ἀφροδίτης γάλα.* quem locum ego aegre desideravi apud Bartschium de Chaeremone p. 32, qui id genus plurima collegit. Hunc igitur videsis et Meinek. Hist. Crit. p. 286. Comm. Fragm. T. II, p. 764. — Comparari jam Schweighaeuserus jussit Demetr. de eloc. §. LXXXV Schneid., quem ad locum nescio quo jure Schneiderus annotavit fragmentum: *φόρμιγγα ἄχορδον* esse Theognidis dithyrambici (?) poëtae. De forma phialae, scuto simili, vide Buhlium ad Aristotel. l. l.

5.

Μνῆμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου. ὀστέα δ' ἴσχει
Γῆ Μακεδών· ᾗ γὰρ δέξατο τέρμα βίου.
Πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι, πλεῖστα δὲ Μούσας
Τέρψας ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

Anthol. Palat. VII, p. 45. Anonym. Biogr. Eurip. ex codd. colleg. Ambros. ed. ab Elmslejo in Bacch. Eurip. p. 174 ed. Lips. *Κενοτάφιον δὲ αὐτοῦ ἐν Ἀθήνησιν ἐγένετο καὶ ἐπιγράμματα ἐπεγέγραπτο Θουκυδίδου τοῦ ἱστοριογράφου ποιήσαντος ἢ Τιμοθέου τοῦ μελοποιοῦ.* Thom. M. vit. Eurip.

v. 1. *Μνᾶμα* Antholog. — *Ἑλλὰς ἅπασα*] Graecis elocutio usitatissima. Xenophan. ap. Ath. XI, p. 638 F. *τοῦ κλέος Ἑλλάδα πᾶσαν ἀφίξεται.* Menophil. Damasc. ap. Stob. Flor. p. 271 Grot. *ἀπώλετο δ' Ἑλλὰς ἅπασα.* Nicomach. ap. Hephaest. p. 14. *οὗτος δή σοι ὁ κλεινὸς ἀν' Ἑλλάδα πᾶσαν Ἀπολλόδωρος.* Simonid. fragm. CLX, p. 156. Schneidew. *οὗτος Ἀδειμάντου κεῖνου τάφος, ὃν διὰ πᾶσα Ἑλλὰς ἐλευθερίας ἀμφέθετο στέφανον.* Cfr. Andocid. Myst. p. 18, 34.

Omnino libenter a Graecis poetis verba πᾶς πᾶσα πᾶν cum τόπος, χθὼν, δῶμα simm. conjunguntur.

v. 2. ἢ] Planud., ἢ cod. Palat. — v. 3. Μούσαις] Cod. Palat. Μύσαις. — De epigrammatis cf. Anton. Westermann de publ. Ath. honor. p. 23 sqq. Hoc epigramma Th. Bergk. PLGr. p. 435 sub Thucydidis nomine exhibet, secutus Anthol. Palat. VII, p. 45 et Thom. Magistr. — Timotheo vindicat assentiente Schneidewino Bippartus. Ceterum de hoc titulo, vid. Osann. in diurn. schol. a. 1828. p. II no. 15; 1829. II no. 43.

6.

Ποταμογαλλῖται

Stephan. Byzantin. X, p. 199 A. 1. 2 ex cod. Wrat. Rehd. restitutus: *οἱ περίοικοι κατὰ μὲν Τιμόθεον Ποταμογαλλῖται, κατὰ δὲ Προμαθίδαν Ποταμογαλλῆται* (vulgo ποταμογαλῆνοί). Ad hunc locum Franc. Passow, qui eum mancum et mutilum antea, e praeclaro cod. Rehdig. supplemento restituit in Symboll. critt. p. 21 (Wratisl. 1820. 4.): „Timotheus, ait, qui hic testis adducitur, haud dubie Milesius ille est citharoedus, de quo Meletem. critt. in Aeschyl. Pers. p. 44 diximus." Verum ego alium quemlibet intellegere malo Timotheum, quam nostrum. Cf. Jo. G. Voss. Hist. Gr. III, p. 421.

7.

Vox *διαφθαρθεῖσα* quam Zonar. Lex. I. p. 536 Tittm. ex Timotheo quodam affert, ex comici aliqua fabula excerpta videtur.

8.

[⌶] *ὁ πτερωτὸς ἰξὸς ὀμμάτων, Ἔρως,*
ὁ Κύπριδος κυναγός, ἡ φρενῶν ἀκίς
ὁ μὴ τίνων θεοῖσιν ὁρκίων δίκας.

Stob. App. VIII, 2. p. 23, 8: *Τιμοθέου θ' ὁ πτέρωτος.* Cfr. Joann. Damasc. p. 392 Lips. — Meinek. Comm. III, p. 589. „Locus memorabilis propter elegantem metaphorarum audaciam. Timothei comici num sit, nunc vehementer dubito." — Habet tamen illud ἰξός nescio quid comici coloris. *Κύπριδος* M., Schneidew. Cfr. tamen Jacobs Anth. P. p. 11.

Restant nobis nunc ea indicanda carmina, e quibus praeter titulum nihil aetatem tulit. Inter haec exstat primum *Σεμέλης ὠδίς*, Semeles partus quo de Athen. VIII, p. 352 A. *ἐπακούσας δὲ τῆς ὠδῖνος τῆς Τιμοθέου· εἰ δ' ἐργολάβην ἔτικτε καὶ μὴ θεόν, ποίας ἂν ἀφίει φωνάς.* Carcinum etiam poetam tragicum propter deformes deorum passiones exagitarunt comici. Schol. Arist. Nub. 1243. *φασίν, ὡς ὁ Κάρκινος οὗτος ποιητὴς ὢν πικρὸς εἰςήγαγέ τινας τῶν θεῶν δεινοπαθοῦντας ἔν τινι δράματι.* Utramque buccam summa contentione inflasse, qui dithyrambo isti tibiis modum daret, testis Dio Chrysost. LXXVIII p. 426 Reisk. *καὶ τὸ στόμα ἐμπλήσαντα καὶ τὰς γνάθας ἑκατέρας μόλις ἔξω βαδίζειν, ὥσπερ αὐλοῦντα τὴν τῆς Σεμέλης ὠδῖνα.* Cfr. Mueller Dor. II, p. 316 ed. Schneidew. Meinek. hist. crit. p. 280. — Alterum poëma erat *Νιόβη*, quo de Macho comicus ap. Athen. VIII, p. 341.

ἀλλ' ἐπεὶ

ὁ Τιμοθέου Χάρων σχολάζειν μ' οὐκ ἐᾷ

Οὐκ Νιόβης, χωρεῖν δὲ πορθμὸν ἀναβοᾷ κτλ.

Nota *πορθμὸν* sic de orco dictum, etiam apud Pindarum inveniri fragm. 108. Bergk. *βαρυβόαν πορθμὸν πεφευγότες Ἀχέροντος.*

Deinde poematum *Φινεῖδαι* et *Λαέρτης* inscriptorum, quae inter octo ipsius diasceuas fuisse conjicio, solus meminit Suidas p. 3569 E. De Phinidis vid. Graefenhanium et Fr. Ritterum Arist. Poet. p. 125. Franc. Werferum Actt. Phil. Monac. Tom. II, fasc. IV, p. 519 et quos ibi citat locos; — de Laerte Nieberding ad. Jon. Chium p. 23 sqq. Ultimo loco nomino *Ναυτίλον*. Athen. VIII, p. 338. *ὁ αὐτὸς Δωρίων καταγελῶν τοῦ ἐν τῷ Τιμοθέου Ναυτίλῳ χειμῶνος, ἔφασκεν ἐν κακκάβᾳ ζεούσᾳ μείζονα ἑωρακέναι, χειμῶνα.* Eustath. p. 1538, 4. Rom. *ὅθεν οὐκ ἄν τις μωμήσαιτο τὰ Ὁμηρικῶς πεφρασμένα, καθὼς Δωρίων ὕστερον ἐπί τινι ἔπαιξεν, ὃς καταγελῶν χειμῶνος, ὃν διεσκεύασέ τις Τιμόθεος ἔν τινι ποιήματι αὐτῷ ἐπιλεγομένῳ Ναυτίλῳ ἔφη· ἐν κ. κτλ.* Cf. Eustath. p. 1290, 40 ad Il. Ψ, 99. Ern. Koepkius hypomn. scr. p. 27 sqq. Memoratu dignum est, quod dixit Eustathius *διεσκεύασε*, quippe unde Navitam etiam Timothei criticae impositum incudi esse, suspicari

liceat. Cfr. Meinek. Hist. crit. p. 32. Schweighaeuserus quidem cum Casaubono in Athenaeo *Ναυπλίῳ* corrigendum esse ratus est, ideo quod in Nauplii fabula tempestas sit notissima; at cur in navita tempestatis descriptio non aeque locum tueri possit, intellegere nequeo. Praeterea „cum Persis unus Suidas copulavit Nauplium, sed parum est credibile Nauplium et Persas ejusdem fabulae inscriptiones esse." Passow. l. l. Nec tamen absone id excogitatum est, quod Bippartus profert: „legendum sibi videri *Ναύτιλον ἢ Ναύπλιον*, duce vocula *ἤ*."

Superest, ut de Timothei quoque arte aut, si mavis artificiis, fiat judicium. Artificiorum enim quae quidem ab otioso excogitari ingenio solent, an verae ac divinae artis prodantne documentum, quae Timotheo nostro affinguntur in rebus plerumque musicis novationes, quaestio est ad quam pro dupplici temporum ratione dupplex in promptu sit, oportet responsio. Identidem enim revocandum in memoriam hoc est dubium non esse, quin omnes istae novationes, quae degeneratae musicae progeniem mala veteres critici nota insperserunt nostris theatris judicibusque musicis impense placiturae sint. Nec vero re acriter perpensa magnos illos novatores sine judicio aut cogitatione mero ingenii lusu animique protervitate seductos egisse suspicabimur, immo vero quid et qua de caussa id agerent, probe novisse concedemus. Qua de re monuit, Fredericus a Drieberg *Aufschlüsse über die Musik der Griechen p. 29,* libro nescio an ceteroquin non ab omni parte commendabili. Sed ne difficultatis quid in hac disquisitione callide praetermittere videar, ante omnia in censum vocandus est Stephanus Byz. s. v. *Μίλητος*: — *καὶ Τιμόθεος κιθαρῳδός, ὃς ἐποίησε νόμων κιθαρῳδικῶν βίβλους ὀκτωκαίδεκα εἰς ἐπῶν ὀκτακισχιλίων τὸν ἀριθμὸν καὶ προνόμια ἄλλων χίλια.*

Leguntur apud Suidam *προοίμια λς'* (prooemia XXXVI), apud Stephanum *προνόμια ἄλλων χίλια* quibus ne eadem subintellegi carmina suspiceris cautum est Poll. Onom. p. 185 Seber. *νόμον, προοίμια προαύλια, προνόμια.* Qua propter Schneidewini comprobationem meruit Georg. Bippartus, quod a Stephani verbo *προνόμια* correctoris manum semoverit.

Ac de prooemiorum usu in nomis dithyrambisque satis frequenti, non est quod pluribus exponatur (cfr. Schaefer Meletem. p. 29). Ceterum non angustis finibus prooemiorum circumscriptum ambitum fuisse, inde colligas, quod Suid. Tom. I, p. 149, vel de prooemii principio loquatur his: *ἀμφιανακτίζειν ᾄδειν τὸν Τερπάνδρου νόμον τὸν καλούμενον Ὄρθιον, οὗ τὸ προοίμιον ταύτην τὴν ἀρχὴν εἶχεν. Ἀμφί μοι αὖ τὸν ἄναχθ' ἑκατηβόλον ᾀδέτω φρήν.* Itaque nec ipsa poterant artificiorum egere luminibus. Jam vero cum nomos Timothei XIX, dithyrambos XVIII numerarit Suidas, vides, quo jure XXXVII addiderit prooemia; nam *λζ'* pro *λϛ'* rescribendum esse, in aperto est. Itaque jam reliqua sunt Stephani *προνόμια ἄλλων χίλια*, quibus verbis admovenda interpretatio, non emendatio est. Ac Timotheum vetustiorum poetarum modos refinxisse eosque ad eam quam ipse in re musica sequeretur rationem attemperasse ex commemoratione diasceuarum suspicatur Meinekius hist. crit. p. 32. Nos vero has inter *διασκευὰς* exstitisse Navitam conjecimus ex Eustathio p. 1538, 4. His igitur *διασκευαῖς* puta T. praefixisse singula pronomia, in universum fere ad numerum M versuum. Patet inde, quam apte dixerit *ἄλλων χίλια* quae mire torserunt interpretes, quos inter qui Meursio et Berkelio praecedentibus *ἄλλων* commutare in *αὐλῶν* vellent longissime a vero abfuerunt.

Itaque apud Suidam habes *δι' ἐπῶν νόμους μουσικοὺς δεκαεννέα* apud Stephanum *νόμων κιθαρῳδικῶν βίβλους ὀκτωκαίδεκα εἰς ἐπῶν ὀκτακισχιλίων τὸν ἀριθμόν.* In quo cave ne dupplici verbi *ἐπῶν* significatione induci te in errorem passus, alterum utrum mendacii manifestum esse coarguas. Sed ex Plutarcho lucem incende: *πεποίηται δὲ Τερπάνδρῳ καὶ προοίμια κιθαρῳδικὰ ἐν ἔπεσιν*[41]) *ὅτι δὲ οἱ κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν ξυνίσταντο Τιμόθεος ἐδήλωσε· τοὺς γοῦν πρώτους νόμους ἐν ἔπεσι διαμιγνύων διθυραμ-*

---

[41]) Cfr. Plut. VI. *τὰ γὰρ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀφοσιωσάμενοι ἐξέβαινον εὐθὺς ἐπὶ τὴν Ὁμήρου καὶ τῶν ἄλλων ποίησιν· δῆλον δὲ τοῦτ' ἔστι διὰ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων.*

βικὴν λέξιν ᾖδεν; ὅπως μὴ εὐθὺς φάνη παρανομῶν εἰς τὴν ἀρχαίαν μουσικήν. (Music. c. IV) quamquam vel hic locus emendatrice lima indiget. Nimirum Timotheus ne ab initio statim in vetustam musicae conditionem insaevire videatur, verba quidem epicis numeris adstrinxit, ad modos autem deduxit plane dithyrambicos. Itaque corrige mecum διαμιγνύων διθυραμβικὴν τάξιν. Etenim διθυραμβικὴν λέξιν intermiscere epicis elementis tum demum ausus est, cum τάξιν illam spectatorum auribus insinuasset. Initio enim theatrorum eum sibilis explosum esse docet Plut. an Sen. p. 795 Xyl. Quales igitur priores Timothei nomos musicos describit Plutarchus, tales Suidas auctor est, undeviginti eum composuisse. Neque omisit hos Stephani census, modo non sejunctim a reliquis nomis dithyrambo assimilioribus enumeravit, sed dicit Timotheum, quotquot citharoedicos nomos composuerit, versus ad numerum fere 8000 εἰς ἐπῶν ὀκτακισχιλίων duodeviginti libris complexum esse. Melius loco consuluerunt, qui cum Salmasio ἄλλων χίλια ἔπη scriberent, quamvis idem, in Prooem. ad Exercc. Solin. mutata sententia ἄλλων χιλίων tentaret. Nec Schneidewini conjectura in Nuncc. Erudd. Gotting. 1844. p. 1384. καὶ προνόμια ἄλλα ὡς χιλίων (sc. ἐπῶν) per se spectata habet, quo commendetur. —

Denique nomis citharoedicis reliquis, quae carminibus ἀπολελυμένοις accensuerunt grammatici, neque prooemia scripsisse videtur nec pronomia. Hi enim nomi, cum a dithyrambo fere non nisi argumento distarent, nullus dubites, quin et ipsi prooemis substituerint anabolas istas justo interdum longiores. Sic certe interpretor Arist. Problem. XIX, 15. διὰ τί οἱ νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο, αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί; ἢ ὅτι οἱ μὲν νόμοι ἀγωνιστῶν ἦσαν ὧν ἤδη μιμεῖσθαι δυναμένων καὶ διατείνεσθαι ἡ ᾠδὴ ἐγένετο μακρὰ καὶ πολυειδής.

Itaque ex duplici, quod Timotheus excoluit nomorum, genere, vetustos, ni fallor, modos ab Arcadica juventute quotannis iteratos esse, tradidit Athenaeus XIV, p. 626. Deinde Clemens Alexandr. Stromat. p. 308 D. Sylb. νόμους τε πρώτους ᾖσεν ἐν χορῷ καὶ κιθάρᾳ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος; sed hic

utrum genus respexerit noli inquirere. E contra de nomorum a Timotheo profecta (cl. Schol.) transformatione intellege Hephaestionem Enchir. p. 119, 9. *ἀπολελυμένα δὲ ἃ εἰκῇ γέγραπται καὶ ἄνευ μέτρου ὡρισμένου. οἷόν εἰσιν οἱ νόμοι κιθαρῳδικοὶ Τιμοθέου.* Cfr. Hermannus Elem. D. M. p. 716, 748. E quibus hexametrum, initio duntaxat aut liberiori ductui attemperatum, aut numeris interpellatum solutioribus, mox prorsus explosum esse, vix quisquam, opinor, ibit inficias. In Persis tamen hexametro quoque usum esse Timotheum, evincitur versu nobilissimo:

κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον

quem male Bergkius in duos dispescit trimetros dact. catal.

–́⏑⏑—⏑⏑——–́⏑⏑—⏑⏑—⏑̄

Ejusdem nomi alius versus creticis numeris constat:

σέβεσθ᾽ αἰδῶ σύνεργον ἀρετᾶς δορυμάχου

⏑–́—–́⏑—⏑⏑⏑⏑—⏑⏑⏑⏑⏑—

alius trochaicis:

Ἄρης τύραννος, χρυσὸν δ᾽ Ἕλλας οὐ δέδοικεν

⏑–́⏑——×—–́⏑—⏑—⏑

Nec tamen in transmutata nomorum ratione, tanti momenti fuit numerorum, quam modorum perturbatio quippe quod ne in vetustissimis quidem nomis modos numeri, sed numeros modi haberent pedissequas. At vero fuerunt certe adusque Phrynnidis aetatem modis istis ejusmodi leges constitutae quas, cum praeterire quemquam e musicis nefas haberetur, vel ipsis modis *νόμων* hoc est legum denominationem imposuisse, perantiqua invaluisset traditio. Plut. de Mus. VI. *οὐ γὰρ ἐξῆν τὸ παλαιὸν οὕτω ποιεῖσθαι τὰς κιθαρῳδίας ὡς νῦν οὐδὲ μεταφέρειν τὰς ἁρμονίας καὶ τοὺς ῥυθμούς· ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἑκάστῳ διετήρουν τὴν οἰκείαν τάσιν· διὸ καὶ ταύτην ἐπωνυμίαν εἶχον· νόμοι γὰρ προςηγορεύθησαν, ἐπειδὴ οὐκ ἐξῆν παραβῆναι καθ᾽ ἕκαστον νενομισμένον εἶδος τῆς τάσεως.* Aristid. Quinct. p. 67. *ταῦτ᾽ οὖν ὁρῶντας ἐκ παίδων ἠνάγκαζον διὰ βίου μουσικὴν ἀσκεῖν καὶ μέλεσι καὶ ῥυθμοῖς καὶ χορείοις ἐχρῶντο δεδοκιμασμέναις ἔν τε ταῖς ἰδιωτικαῖς εὐφροσύναις κἂν ταῖς δημοσίαις θείαις ἑορταῖς*

συνήθη μέλη τινὰ νομοθετήσαντες ἃ καὶ νόμους προςηγόρευον. Novarunt quidem et veteres musici, sed licentia sumpta pudenter. Plutarch. de Mus. XXVIII. *εἴποι τις ὦ τᾶν, οὐδὲν ὑπὸ τῶν ἀρχαίων προςεξεύρηται, φημὶ καὶ αὐτὸς ὅτι προςεξεύρηται ἀλλὰ μετὰ τοῦ σεμνοῦ καὶ πρέποντος.* —

Denique vero Timothei novationes, re accurate considerata; omnem nomorum proprietatem funditus exstinxerunt. Quem novandi furorem nemo ipso melius expressit:

Οὐκ ἀείδω τὰ παλαιὰ
καινὰ γὰρ ἁμὰ κρέσσω
νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει
τὸ πάλαι δ' ἦν Κρόνος ἄρχων
ἀπίτω μοῦσα παλαιά.

At Phrynnidis aetate labes serpere latissime coepit. Notant comici praeter Timotheum e viliorum poetarum vulgo Choronicum, Argam, Telenicum, quorum postremi ap. Phaniam Athen. XIV, p. 638 C. *ποιηταὶ μοχθηρῶν ὄντες νόμων* audiunt, *οἳ πρὸς μὲν τὸν ἴδιον χαρακτῆρα τῆς ποιήσεως εὐπόρουν, τῶν δὲ Τερπάνδρου καὶ Φρύννιδος νόμων οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἠδύναντο ἐπιψαύσαι.* Cfr. Meinek. Com. fgg. II, 1 p. 139. III, p. 389. — Sed haec de T. nomis dicta sufficiant — (cfr. Gruteri Fac. crit. I, p. 315. Selden. Marm. Oxon. p. 166. 170.) — quos, cujusmodi ethopoeia illustraverit, diximus cap. I, p. 74 sqq.

Indidem pete locos veterum de virtutibus ipsius musicis spectantes judicia, quibus Philodemum adde de Musica Vol. Hercul. I, Col. XIII, p. 59: *πρὸς δὲ τούτοις ὡς συνδησμεν' εἰκότως εἶναι προςηκόντως ἀνδρῶν ἐλευθέρων ἐνόμισε περιπατεῖν ἔρωτα· βούλεται καὶ Τιμοθέου ἕνεκα τῶν ποημάτων διανοήματα προΐστασθαι· ποιήματα δὴ* . . . tum titulum Tejum in Boeckh. C. J. Tom. II. p. 641 nr. 3053 (cfr. p. 123), dein Censorini sive quis auctor est fragmenti de Mus. cap. IX. „Hos secuti sunt, musici Timotheus et Polyidus et Hypericles (?) et Phyllis et clarissimus cum peritia tum eloquentia Aristoxenus modulati protinus cantus."

Apud eundem p. 145 (ed. Lugd. 1743) haec leguntur:

„Inde fecisse tres primos de quibus supra dictum est, hanc excepisse intensionem Linon quem quidam Apollinis filium tradunt et nymphae Paramesae Chrysthemidi reliquisse ab ea adjunctum modum qui synemmenos dicitur; hunc numerum auxisse Terpandrum adjectione diezeugmenon qui primus a gravibus in acutum avertitur deinde Timotheus addidit duos parameson et hyperboleon." Quo de loco aliisque citharam T. spectantibus vid. infra cap. VII.

CAPUT III.

DE POLYIDO.

Timothei adversarius Polyidus fuit, poeta et ipse dithyrambicus. Athen. VIII, p. 532 B. *Πολυΐδου δὲ σεμνυομένου, ὡς ἐνίκησε Τιμόθεον ὁ μαθητὴς αὐτοῦ Φιλωτᾶς, θαυμάζειν, ἔφη, εἰ ἀγνοεῖ, ὅτι αὐτὸς μὲν ψηφίσματα ποιεῖ, Τιμόθεος δὲ νόμους.* Nominis viri diversae in usu fuisse formae videntur. Audit enim et *Πολύειδος* et *Πολύϊδος* et *Πολυΐδας* et *Πολυείδης*. Alium artificem Polyidum habemus ap. Vitruvium Libr. VII, Praefat. p. 155 ed. A. Rhode; X, 19 ubi pro Polydus Thessalus legendum videtur Polyidus. Occurrit etiam medicus Polyidas sive Polyeides apud Caelium Aurelianum Acut. Morbb. III, 3. 18 p. 189, III, 5. 47 p. 198 ed. Wetsteen. Nostri poetae paene evanida memoria est, sunt enim perpauca, quae hic illic colligere, ne dicam corradere nunc possumus. E recentioribus eo munere functi sunt: Petr. Wesselingius ad Diodor. Sic. XIV, p. 679. Lilius Gyraldus opp. Tom. II, p. 350. Silligius Catal. Artific. p. 378. Graefenhan ad Aristot. A. P. 16, 9 sqq. Meinekius hist. crit. p. 239. H. Bartsch de Chaerem. trag. p. 14. Floruit Polyidus circa Olymp. XCV, cui tempori assignatur a Diodoro XIV, 46. *ἤκμασαν δὲ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν οἱ ἐπισημότατοι διθυραμβοποιοὶ Φιλόξενος Κυθήριος, Τιμόθεος Μιλήσιος, Τελέστης Σελινούντιος, Πολύϊδος, ὃς καὶ ζωγραφικῆς καὶ μουσικῆς εἶχεν ἐμπειρίαν.* Non sine veri specie Luetckius ex vetere ipsum poetarum familia ortum fuisse suspicatur, innitens Pausaniae I, 43, 5

testimonio, qui Polyidum Coerani filium ipsum venisse Megara tradit, ut Alcathoum de caede Callipodis filii lustraret, et Liberi ibi templum exaedificasse, cum simulacro, quod Pausaniae aetate totum fere praeter os occultaretur. Adstitisse etiam Satyrum narrat, e Pario Lapide, Praxitelis opus. Ex hujus igitur Polyidi posteris, nostrum quoque dithyrambicum prognatum esse videri sibi, Luetckius p. 89 monuit. Relabimur quidem hoc ipso ad Melampodem — nam pronepotem Melampodis vocat Pausanias Polyidum istum — cujus in Bacchico cultu instituta cavendum est, ne cum iis confundantur, de quibus Boeckhius Comm. Acad. Boruss. 18¼ p. 117 sqq. rem absolvit, verum tamen Arionem quoque ipsum genus ad Melampodem reduxisse ferunt, ita ut contra Luetckii sententiam ne hac quidem ex parte ulla exoriri dubitatio queat. Verum enim vero addam ex eodem Pausania praeterea aliud, quo Luetckii sententia quodammodo stabiliri possit. Megarenses enim tradit Pausanias I, 43, 1 Iphigeniae etiam heroicum monumentum monstrant, atque Megaris eam mortuam narrant. Ac jam Aristoteles nobis subsidio erit in Arte Poet. c. XVI, unde Polyidum tractasse Iphigeniae fabulam apparet:

> *τετάρτη δὲ (ἀναγνώρισις) ἡ ἐκ συλλογισμῶν. οἷον ἐν Χοηφόροις, ὅτι ὅμοιός τις ἐλήλυθεν, ὅμοιος δὲ οὐδεὶς ἀλλ' Ὀρέστης· οὗτος ἄρα ἐλήλυθε· καὶ ἡ Πολυείδου τοῦ σοφιστοῦ περὶ τῆς Ἰφιγενείας. εἰκὸς γὰρ τὸν Ὀρέστην συλλογίσασθαι, ὅτι ἡ ἀδελφὴ ἐτύθη, καὶ αὐτῷ συμβαίνει θύεσθαι.*

c. XVIII. *ἐλθὼν δὲ καὶ ληφθεὶς θύεσθαι μέλλων ἀνεγνώρισεν, εἴθ' ὡς Εὐριπίδης, εἴθ' ὡς Πολύειδος ἐποίησε κατὰ τὸ εἰκὸς εἰπὼν, ὅτι οὐκ ἄρα μόνον τὴν ἀδελφὴν ἀλλὰ καὶ αὐτὸν ἔδει τυθῆναι, καὶ ἐντεῦθεν ἡ σωτηρία.*

Quo loco animi caussa addere liceat Graefenhanii miram vocis *σοφιστοῦ* interpretationem „poeta tragicus cognominatus sophista, fortasse, quia ea, quae in aliorum poematis impeditiora erant in suis explicaret."

Praeter hanc de Iphigenia traditionem Atlantis etiam fabulam carminibus adumbravit Polyidus. Tzetzes ad Lycophr. vs. 879. *Πολύϊδος ὁ διθυραμβοποιὸς τὸν Ἄτλαντα ποιμένα Λίβυν φησὶν οὐ μαθηματικὸν*, quo in loco sine caussa haesit

Muellerus Vol. III, p. 158. Transscripsit Etym. Magn. p. 104, 20: Ἄτλας, ὄρος Λιβύης. Πολύϊδος ὁ διθυραμβοποιός, παρίστησιν αὐτὸν ποιμένα γεγονέναι· καὶ φησὶν ὅτι παραγενόμενος ὁ Περσεὺς ἐπερωτώμενός τε ὑπ' αὐτοῦ τίς εἴη, καὶ πόθεν ἀφῖκτο· ἐπειδὴ λέγειν οὐκ ἔπειθεν, ἀνάγκῃ ἔδειξεν αὐτῷ τὸ τῆς Γοργόνος πρόσωπον, καὶ ἀπελίθωσεν αὐτόν· καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὸ ὄρος, Ἄτλας ἐκλήθη· οὕτω Λυκόφρονος ἐν ὑπομνήματι. Inde redintegrari jubet Meinekius in hist. Crit. p. 239. Tzetzae Exeget. in Il. p. 132, 18. Πολύϊ(δος) δὲ ὁ διθυραμβοποιὸς ποιμένα Λίβυν τὸν Ἄτλαντα λέγει, ἀπολιθωθῆναι δὲ τῇ Γόργονι ὑπὸ Περσέως διὰ τὸ μὴ ἐᾶν αὐτὸν διέρχεσθαι. (Bergkius PLGr. p. 867. XIV nescio cur hoc unicum fragmentum in suam collectionem receperit.) A Polyido Lilio Gyraldo Opp. Tom. II, p. 350 „videtur Ovidius de Atlante fabulam desumpsisse, in saxum converso Gorgonis objectu." Cfr. Farnab. ad Ovid. Metamorph. IV, 660. Non diversus fortasse ex Meinekii sententia hic Polyidus ab eo habendus est, quem Photius Cod. CLXVII, p. 374 in poetis recenset, quibus Stobaeus usus sit. Dicitur illi Πολυειδης. Sed qui versus cum lemmate Πολυείδης exstant apud Stobaeum Sermon. XCIII senarii tres:

Πλουτεῖς, τὰ δ' ἄλλα μὴ δοκεῖς ξυνιέναι
ἐν τῷ γὰρ ὄλβῳ φαυλότης ἔνεστί τις
πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε, διὰ τὸ δυστυχές.

hoc potius in fronte habeant lemma: Euripides in Polyido. Similis error est in Euripidis ex Melanippe versibus, falso Melanippidi dithyrambico adscriptis.

Judiciorum de arte Polyidi alterum exstat in titulo Teio ap. Boeckh. Corp. Inscr. Tom. II, p. 641 n. 3053.

— — — — — — — ΑΛΛΑ ΚΑΙ ΕΠΕ
ΔΕΙΞΑΤΟ ΜΕΝΕΚΛΗΣ ΜΕΤΑ ΚΙΘΑΡΑΣ ΠΛΕΟΝΑΚΙΣ ΤΑΤΕ
ΤΙΜΟΘΕΩ ΚΑΙ ΠΟΛΥΙΔΩ ΚΑΙ ΤΩΝ ΑΜΩΝ ΑΡΧΑΙΩΝ ΠΟΙ
ΗΤΑΝ ΚΑΘΩΣ ΠΡΟΣΗΚΕΝ ΑΝΔΡΙ ΠΕΠΑΙΔΕΥΜΕ
ΝΩΙ — — — — — — — — — — — —

alterum apud Plutarchum de Musica c. XXI, p. 1138 B. τῶν δὲ κιθαρῳδῶν τοῦ Τιμοθέου τρόπου· σχεδὸν γὰρ ἀποπεφοι-

τήκασιν εἰς τὰ καττύματα καὶ εἰς τὰ Πολυείδου ποιήματα. Facilis hinc ea conclusio prosilit, Polyidi poemata Timotheum dolosis sutelis ac variis cujusvis generis machinationibus longe superasse, iisdemque artificiis parimodo sibi popularem gratiam vindicasse, quibus illa utenti Timotheo contigerat. Denique Polyidi memoriam post Henricum Valesium in Emendd. p. 118 primus redintegravit ex Censorino, Schneidewinus in Nuncc. Gotting. 1844. p. 1385 Polyidi nomen in locum corruptissimi verbi Pondos (h. e. Polidos) restituens. — Valesii tamen, quem cum *Emendd. fort. Suidn. 1843* scriberem, non licebat inspicere, cum haec sint verba: „Pro Pondos Scaligerum Polyidos et pro Follis Pollis emendare exemplari suo quod in Leidensi Bibliotheca servatur adscripsit Ger. Jo. Vossius," nescio quid Schneidew. l. l. de codd. lectione sibi gratuletur.

Reliquum est, ut notetur L. Gyraldi opp. Tom. II, p. 350 error, qui Christodori Thebani sive Coptitae locum in ecphrasi simulacrorum ap. Jacobs. Anthol. III, p. 162.

ἔγγυθι δ' αὐτοῦ
Μαντιπόλος πάλιν ἄλλος ἔην Φοιβήϊδι δάφνῃ
κοσμηθεὶς Πολύειδος.

ad Polyidum dithyrambicum refert. Rectissime Jacobsius T. X, p. 305. „Prope Hesiodi erat Polyidus in fabulis satis notus."

CAPUT IV.

EPIPHYLLIDES.

Polyidum sequi debebat Telestes Selinuntius, dithyrambicorum, in Diodori canone quartus, quo de, quamvis haud ignobili poeta, singulari tamen capite disputare supersedi, non tam quod a Bipparto l. l. p. 82—98, quae dicenda fuissent, praeoccupata cuncta sunt, quam quod Meinekium serius ócius confido staturum esse promissis ad Comm. Fragm. Vol. II, 2 p. 793.

Reliquum est ut ad poetas nonnullos subillustriores paululum deflectat commentationis institutum iter, Cecidam dico, Lamproclem, Cinesiam, Hieronymum, Antigenidam, si quidem jure hic melicorum gregi intermiscebitur. Namque Ionem cujus §. 5 mentionem feci, subillustrioris famae hominibus ademptum, valde admirabilem poetam versatilisque ingenii luculentissimum documentum merito adumbravit Schneidewinus Exercc. Critt. cap. XI, p. 63. His igitur subsequentes concessimus Epiphyllides.

I.
DE CYDIA ET CECIDA.

Cydiae notitiam primus God. Bernhardyus communicavit cum Buttmanno ad Plat. Charmid. p. 155 D; quem praeter cfr. Nicolaus Bachius Philetae fragm. p. 266. F. G. Schneide-

winus delect. poett. mell. p. 375 sq. et Ind. Schol. Gotting. 18¾ p. 5. Patria fuit Hermionensis sed multum vitae spatium commoratus videtur Athenis. — Alius Cydias commemoratur apud Eubulum Athen. XIII, p. 538 F.

Ἑλλάδος ἔγωγε τῆς ταλαιπώρου ϛένω
Ἡ Κυδίαν ναύαρχον ἐξεπέμψατο.

Cfr. Ruhnken. hist. crit. orat. p. LXXIV. Meinek. Comm. III, p. 238. — Tertius Herophili aut filius aut discipulus, Mylassensis ap. Erotianum laudatur p. 192: *οἱ δὲ περὶ Ἰσχόμαχον καὶ Κυδίαν τὸν Μυλασέα ἔγραψαν ἴκμαρ. αἴτιον δὲ τούτου ἡ τῆς λέξεως ἄγνοια.* Neque hunc locum omisit God. Hermannus diss. de Aeschyli Lycurgia: p. 14. Ad eundem Cydiam, Mylassensem Lysimachus Cous tres conscripsit libros, teste eodem Erotiano p. 10. *πρός τε τούτοις Λυσιμάχου τοῦ Κῴου καὶ βιβλίον εἰϛπονήσαντος πραγματείαν, μετὰ τὸ τὰ τρία μὲν γράψαι πρὸς Κυδίαν τὸν Ἡροφίλειον.* — Neque Luciani temporibus Cydiae nomen interiit; carpitur enim Cydias quidam, admodum dives homo, Tom. II, p. 888 (ed. Henricop. 1619). Cydiae fragmenta supersunt tria. Cfr. Bergk. PLG. p. 837.

a.

–́ ◡ ◡ — ◡ ◡ — ◡ ◡ —

Τηλέπορόν τι βόαμα λύρας.

Schol. Ar. Nubb. 968. *τὸ δὲ τηλέπορόν τί βόαμα μὴ εὑρίσκεσθαι ὅτου πότ' ἐστίν. ἐν γὰρ ἀποσπάσματι εὑρεῖν Ἀριστοφάνη ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ· τινὲς δέ φασιν αὐτὸ Κυδίδου* (leg. *Κυδίου*: Bernh.) *Ἑρμιονέως· τηλέπορόν τι βόαμα λύρας.*

b.

Plut. de facie in orbe Lunae, c. 18. *εἰ δὴ μὴ Θέων οὗτος τὸν Μίμνερμον ἐπάξει καὶ τὸν Κυδίαν καὶ τὸν Ἀρχίλοχον, πρὸς δὲ τούτοις Στησίχορον καὶ τὸν Πίνδαρον, ἐν ταῖς ἐκλείψεσιν ὀλοφυρομένους τὸν φανερώτατον κλεπτόμενον καὶ μέσῳ ἄματι* (vulg. *ἅμα τὴν*) *νύκτα γενομένην, καὶ τὴν ἀκτῖνα τοῦ ἡλίου σκότους ἀτραπὸν . . . . φάσκοντας.*

c.

Plato Charmid. p. 155 D. *ἐφλεγόμην καὶ οὐκέτ' ἐν ἐμαυτοῦ* (vulg. *ἐμαυτῷ*) *ἦν καὶ ἐνόμισα σοφώτατον εἶναι τὸν*

Κυδίαν τὰ ἐρωτικά, ὅς εἶπεν, ἐπὶ καλοῦ λέγων παιδὸς, ἄλλῳ ὑποτιθέμενος, εὐλαβεῖσθαι μὴ κατέναντα λέοντος νεβρὸν ἐλθόντα μοῖραν αἱρεῖσθαι κρεῶν. αὐτὸς γάρ μοι ἐδόκουν ὑπὸ τοῦ τοιούτου θρέμματος ἑαλωκέναι. Athen. V, p. 187. *ποιεῖ αὐτὸν ἀσυμφώνως ʽποτὲ μὲν σκοτοδινιῶντα καὶ μεθυσκόμενον τῷ τοῦ παιδὸς ἔρωτι καὶ γενομένον ἔξεδρον καὶ καθάπερ νεβρὸν ὑποπεπτωκότα λέοντος ἀλκῇ· ἅμα δὲ καὶ καταφρονεῖν φησι τῆς ὥρας αὐτοῦ.*

Fragmentum Cydiae esse non dubium. Vulgatam enim *τὸν Κριτίαν* unde multi sibi sunt Critiae[42]) tyranni visi fragmentum detexisse, unus Stephanus cum Florent a. c. tuentur. — *κατέναντα*] Sic: Coïsl. Ven. Σ. Var. BCG. Ang. Barb. Flor. a b c i o. Vulg. *κατέναντι.* — Post *ἐλθόντα* duo codd. addunt *ἀθανάτωι σηιθεια* unde totum fragmentum in hunc modum adornandum videtur:

μὴ κατέναντα λέοντος
νεβρὸς ἐλθὼν ἰθείᾳ θανατώδεϊ
μοῖρ'[43]) *ἀφαιρῆαι κρεῶν.*

---

[42]) Critiae Chii, poetae jambici notitiam aperuit Cramer Anecd. Oxon. Tom. III. p. 308, [cll. Praef. p. IV] ex Schol. ad Joan. Tzetz. *περὶ μέτρων:*

Κριτίης ὁ Χῖος ἐν τῷ Κατῶξ (vel *κατῶξ'*, vel *κτῶξ*) *δούλῳ·*
— — — — — *καὶ πᾶσι*
κακοῖσι δώσω τὴν πολύστονον ψυχὴν,
ἢν μὴ ʼποπέμψῃς ὡς τάχιστά μοι κριθέων
μέδιμνον, ὡς ἢν ἄλφιτον ποιήσωμαι,
κυκεῶνα πίνω, φάρμακον πονηρίοις.

Cramerus: *Κατωτικῷ δούλῳ* conj.; Schneidewinus Delect. p. 231. *κακωτικῷ.* Lego: *ἐν τῷ κάτω τριχίᾳ δούλῳ·* cl. Polluc. Lex. IV, 19, 5. — Ahrensius Hipponactis fragmentum censet, assentiente nunc etiam Schneidewino.

[43]) Ad vocem *μοῖρ'* proponam nunc primus, ni fallor, conjecturam certissimam in Euripid. Phoen. v. 1622 Porson. ubi vulgo legitur: *ἀλλὰ δουλεῦσαί τέ μοι | Δαίμων ἔδωκεν Πόλυβον ἀμφὶ δεσπότην.* et sic recentiores omnes, nisi quod Klotzius *γε* pro *τε* scripsit. Reliquorum conamina vide apud Porsonum l. l. qui conjecit ipse: *ἀλλὰ δουλεύσαντά με | Μοῖρ' ἐξέδωκεν Πόλυβον ἀμφὶ δεσπότην.* Bene quidem *μοῖρ' ἐξέδωκεν.* Nam *ἐξέδωκεν* certe habent libri optimi Leidenses A et B et Bodlejani IV. *Μοῖρα* vero optime restitutum a Porsono est initio

. . . . . ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓
⏑́ ⏑ – – × – ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
⏑́ ⏑ – – ⏑́ ⏑ ⏑

„Ne catulus leoni obviam factus, letifero impetu dapium portio surripiaris." Th. Bergkius *ἀθανάτῳ σ' ἰδέᾳ* proposuit conferri jubens Aristoph. Nub. 290, quam conjecturam merito displicuisse video Schneidewino Annall. Berol. (1844) p. 531, quamquam neque Schneidewinum Delect. p. 375 intellego *μοῖραν αἱρῆαι κρέων* cum Simonid. Amorg. 7, 104 comparantem.

„Eadem allegoria usus est Horatius Carmin. III, 20. Utrum vero Cydias proverbium *νεβρὸς τὸν λέοντα* et *πρὸς λέοντα δορκὰς ἅψωμαι μάχης* ob oculos habuerit nec ne, ego nolim cum Hemsterh. Lucian. Tom. II, p. 439 ed. Bipont confidenter decernere." Stallb. Vol. V, 1, p. 112.

Diversus a Cydia Cecides est dithyrambicus, saepius cum priore commutatus. Ejus fere obscurata memoria est. Meminit Arist. Nubb. v. 984.

Ἀρχαῖά γε καὶ Διπολιώδη καὶ τεττίγων ἀναμεστὰ
καὶ Κηκείδου καὶ βουφονίων

quem ad locum Schol. *ΚΗΚΕΙΔΟΥ*] *ἀρχαῖος διθυραμβοποιός, οὗ μέμνηται Κρατῖνος ἐν Πανόπταις* (cfr. Meinek. Fragm. VI.) Schol. LB. Bekk. v. 972. *Κυκήδης παλαιὸς ἦν ποιητής, ἀφελὴς καὶ ἄχαρις.* cfr. Suid. v. *Κηκείδιος.* Alius locus est Phot. Lex. p. 160. 14. *Κηδίδης· διθυραμβοποιητής,* ubi recte Schleusnerus: *Κηκείδης*; probante etiam Meinekio Com. II, 1. p. 106.

Denique in Etym. M. p. 166, 4. *Τύπον δὲ πατρωνυμικοῦ ὄντα παρετάθησαν διὰ τῆς ει διφθόγγου Λυσθείδης, Κηδείδης, Καλλείδης κτλ.* lege *Κηκείδης.*

Haud minus fere quam Cecidae, Crexi quoque deleta memoria est. Meminerunt ejus Philodemus de Musica in Voll.

versus, quo etiam glossema *Δαίμων*, ab omnibus optimae notae Mss. omissum, ducit: licet jam paraphrastes in textu legerit. At jam Leidensis B. habet *Πρὸς Πόλυβον ἐξέδωκεν* unde verissima loci emendatio prosilit haec: *ἀλλὰ δουλεῦσαι πατρός | Μοῖρ' ἐξέδωκεν Πόλυβον ἀμφὶ δεσπότην.* Etenim *π̄ρ̄ο̄ς̄* superimposita virgula valet: *πατρός.* ut *μ̄ρ̄ο̄ς̄* i. q. *ματρός.*

Hercull. Tom. I, Columm. X, p. 47: *τὸ δὲ τοῦ Κρέξου ποίημα καίπερ οὐκ ὂν ἀνάρμοστον πολὺ σεμνότερον φαίνεται τοῦ μέλους προςτιθέντος.* Plut. de Mus. c. XII. *Κρέξος δὲ καὶ Τιμόθεος καὶ οἱ κατ' αὐτὴν τὴν ἡλικίαν γεγονότες ποιηταὶ φορτικώτεροι καὶ φιλόκαινοι γεγόνασι τὸν φιλάνθρωπον καὶ θεματικὸν νῦν ὀνομαζόμενον διώξαντες.* Plut. XXX. *Κρέξον δὲ λαβόντα εἰς διθύραμβον χρῆσιν ἀγαγεῖν· οἴονται δὲ καὶ τὴν κροῦσιν τὴν ὑπὸ τὴν ᾠδὴν τοῦτον πρῶτον εὑρεῖν, τοὺς δ'. ἀρχαίους πάντας πρόςχορδα κρούειν.*

II.

DE SIMONIDIS MEMNONE ET DALIONE HISTORICO [44]).

Strabo Georg. XV, p. 728 B. *Ταφῆναι δὲ λέγεται Μέμνων περὶ Πάλτον Συρίας παρὰ Βαδᾶν ποταμόν, ὡς εἴρηκε Σιμωνίδης ἐν Μέμνονι διθυράμβῳ τῶν Δαλιακῶν.*

Locum hunc depravatissimum neque Schneidewinus, neque Th. Bergkius Poett. Lyrr. Gr. p. 757 (fr. 35) persanarunt. — E codicibus nihil salutis exspectandum. Utriusque enim familiae Mssti optimi offerunt vulgatam: *Δαλιακῶν*, ut benignissime me certiorum fecit G. Kramerus [45]). Ald. *δελιδιακῶν.* — Unus tamen cod. Vatican. teste Leone Allatio de Scr. Symeon. p. 211: *διςιλυακῶν*, unde Leo „forte ne Dodonaeam quidem quercum genuinam scripturam divinaturam esse con-

---

[44]) Iteratum fere ex *Emendd. fort. p.* 8 *sqq.*; ubi quae de Memnonis cum Baccho connexu suspicatus sum, Schneidewino (Goetting. gel. Anz. 1844. p. 1376) incerta sunt visa; majorem fortasse certitudinis speciem induent, perlustratis iis, quae cap. VI. de Bacchica aliarum fabularum facie disseram.

[45]) Ex ejusdem suppellectile Straboniana nuper etiam Pindaricis reliquiis haud aspernendum accessit fragmentum, quod numeris restituere conatus est Schneidewinus. Deinde ad Scolior. fr. 94 Bergk. spectat Strab. fragm. Epit. Vat. Tom. I, p. 468 ed. Kramer. *διανοηθεὶς Πίνδαρος τῷ παντὶ τόπῳ τούτῳ (φησίν) ὑποκεῖσθαι τὸν Τυφῶνα.*

queritur, nisi quis velit legere ex gente Thraciae δεσαλικῶν vel δεσελιακῶν." Verum tamen ab eo, ut exordium repetam, unde plerisque, qui de hoc loco judicium tulerunt, pendere res tota visa est, quaenam Memnonem inter ac Dionysum ex vetustis fabulis intercesserit aut familiaritas aut inimicitia, ita, ut aptum dithyrambo cuidam Memno praebere argumentum potuerit, miror equidem neminem in locum Servii [46]) ad Virgil. Aeneid. I, vs. 489 incidisse, qui Priamum narrat, ut Memnonis sibi auxilium conduceret, aureum Tithono palmitem dono misisse. Quo dono largissimo commotus cum Pergamum venisset Aethiops ibique cum Achille congressus, diem supremum obiisset, non immerito sane ipse Bacchus Memnoni mortem struxisse fingi potuit. Quodsi hoc in argumento Simonidem Musas tentasse jure suspicabimur, suapte concidit Henr. Bodii explicandi ratio, qui ad Memnonis cum Bacchicis rebus explicandum connexum, nescio quo jure de Aurora Memnonis matre (quasi lucido sidere) cogitavit, Histor. Graec. Poes. Vol. II, 2 p. 237. Aliam vero viam Schneidewinus iniit p. 53 cujus vestigia Bergkius insequitur. Hic igitur in depravata librorum lectione: Δαλιακῶν innitens, atque Δηλιακῶν facillimam fore emendationem ratus, διθύραμβον τῶν Δηλιακῶν ita interpretatur, ut inter Simonidis dithyrambos fuerint nonnulli in honorem Delii Dionysi compositi, postea singulari τῶν Δηλιακῶν nomine comprehensi. — Bacchi vero solaris apud Delios cultum ab Etymol. Gud. p. 148. 11 Διόνυσος παρὰ τοῖς Δηλίοις ὁ αὐτὸς τῷ Ἡλίῳ νομίζεται indicari putat. Verum, tametsi Dionyso quoque in Delo insula honores esse habitos ex Dinarchi λόγου Δηλιακοῦ initio pateat: „Ἀπόλλωνος καὶ Ῥοιοῦς Σταφύλου" (quo de cf. Herm. Adleri dissertationem de Dinarchi Attici oratoris vita et dictione Berol. 1841. p. 27 sqq., p. 32), tamen veri videtur similius Gudiano quoque Ety-

---

[46]) Serv. ed. Lion Tom. I, p. 83: quia Tithonus frater Laomendontis raptus ab Aurora filium suum Memnonem ex ipsa progenitum (illectus dono vitis (cod. voti) aureae) [Priamo] ad Trojae misit auxilia [qui congressus cum Achille, ab eo est interemptus, cujus mortem mater Aurora hodieque matutina voce flere (Burmann. conj. deflere) dicitur]. —

mologo reddendum esse vocabulum: *Ἡλείοις* ex Etym. M. *Διόνυσος παρὰ τοῖς Ἠλείοις ὁ αὐτὸς τῷ Ἡλίῳ καλεῖται.* Cfr. Plut. Symp. 36. Koester carm. popul. Graec. p. 41. 42. Welcker Additam. p. 190. Deinde vix credibile est, notissimum verbum *Δηλιακῶν* tantopere ab uno quoque librariorum corruptum esse, ut vix ejus reperiri vestigia possint. Quid enim verbis *Δελιδιακῶν*, *Διλιδιακῶν* et *Δισιλυακῶν* cum verbo *Δηλιακῶν*? Ac *Δελιδιακῶν* quidem male iterata secunda syllaba *ΔΙΔΙ* subnasci ex *Δηλιακῶν* potuerit; quid vero *Δισιλυακῶν*? Itaque sub hoc prodigio veram latere lectionem suspicatus, cum Leone duce de diversis, qui Simonidis nomine inclaruerunt hominibus tum poetis tum historicis inquirerem, ecce in Plinii quoque locum Hist. Nat. VI, 29 incidi, quem integrum placet exscribere: (Aethiopia) „clara et potens etiam usque ad Trojana bella Memnone regnante et Syriae imperitasse eam nostroque litori aetate regis Cephei patet Andromedae fabulis. Simili modo de mensura ejus varia prodidere. Primus Dalion ultra Meröen subvectus, mox Aristocreon et Bion, et Basilis. Simonides minor etiam quinquennio in Meröe moratus, cum de Aethiopia scriberet." Ac Simonides quidem minor idem videtur, ac Simonides Magnesius de quo post Leonem l. l. et J. G. Vossium Histor. Gr. IV, p. 470 scripsit Meinekius Anall. Alexandr. p. 401. Qui licet in eo, quod de Aethiopia condidisse opus dicitur, haud dubie Memnonis quoque injecerit mentionem, tamen in Strabonis l. l. etiamnunc lyricum intellego Simonidem; sed ibidem persuasum est, Plinii ope pro *τῶν Δαλιακῶν* emendandum esse: *ὡς Σιμωνίδης ἐν Μέμνονι διθυράμβῳ* [*καὶ*] *Δαλ*[*ίων ἐν δ' Συρ*]*ιακῶν.* Apparet verba *δ' Συριακῶν* depravatione scripturae in *δισιλυακῶν* contorta esse. Similis error ap. Ath. VII, p. 329 A certissima Dindorfii conjectura exstirpatus est, qui pro *ἐν βοιωτικῶν* legi jubet: *ἐν β' Οἰταϊκῶν*, et ap. Suid. v. *Λούπερκος*, — *ἔγραψε περὶ τοῦ ἂν γ' περὶ τοῦ τάως*, ubi Toupio debetur:

περὶ τοῦ Ἀντι[*φῶντος*] *ἐν τῷ περὶ ταῶν.*

Dalionis iterum meminit Plinius Hist. Nat. VI, 30. „Ab

ea vero parte Nili, quae supra Syrtes majores Oceanumque meridianum protenditur, Dalion vocatos esse dicit, pluvia tantum aqua utentes, Cisoros, Longoporos." Ab eodem in Elencho auctorum libri XX, XXI, XXII, XXIII, Dalion inter medicos reponitur. Et libro XX, 17 herbarius vocatur. „Puto eundem esse. Nec enim prohibet quidquam, quominus idem et herbas tractaret et operi hujus vel alterius argumenti quaedam de gentibus admisceret, vel seorsim etiam de iis ageret." J. Ger. Voss. Hist. Graec. III, p. 850. — Tamen silentio non praetermittam locum vexatissimum quendam Propertii. Dico III, 4, 32 Lachm., ubi aperte de Memnone loquitur poeta:

Nestoris est visus post tria secla cinis.
Cui si tam longae minuisset fata senectae
Ilius Iliacis miles in aggeribus
Non ille Antilochi vidisset corpus humari.

Ibi: Ilius Lachmanno debetur. Codd. fere omnes: Gallicus, nisi quod nonnulli Dallicus quod quam prope faciat ad Strabonis vulgatam *Δαλιακῶν* nemo non videt.

Simonidis fragmentis, a Bergkio collectis, quae addenda erant, indicavit Schneidewinus in recensione Bergkiani libri p. 507, p. 527. Unum monebo, fragm. ap. Cramer Anecd. Par. I, p. 387, 34: *λέγει γὰρ ὁ Σιμωνίδης, ὅτι ὁ θεὸς μόνος ἔχει τὴν ἄκραν ἐπιστήμην*, me non cum Schneidewino referre ad fragm. 8, 5. *θεὸς ἂν μόνος τοῦτ᾽ ἔχοι γέρας*, quamvis *θεὸς μόνος* sibi respondeant, sed ad fragm. 27, 1: *θεὸς δ᾽ ὁ παμμήτις*. —

III.

DE ANTIGENIDA UTROQUE.

Tibicinem Philoxenus fertur secum habuisse Antigenidam Thebanum, Satyri filium. Suid. s. v.. *Ἀντιγενίδης· Σατύρου· Θηβαῖος μουσικός· αὐλῳδὸς Φιλοξένου· οὗτος ὑποδήμασι Μιλησίοις ἐχρήσατο πρῶτος καὶ ἐν τῷ Κωμαστῇ κροκωτὸν περιε-*

βάλλετο ἱμάτιον· ἔγραψε μέλη. Schweighaeuserus ad Ath. IV, p. 131 c. scripsit Ἀντιγενείδαν. Dixit de his formis Lobeckius Paralip. Gramm. I, p. 5. Meinekius Comm. Vol. III, p. 186, 7. Patrem Satyrum audiisse praeter Suidam etiam testari videtur Theo Progymn. Graec. V, 23. Πύῤῥος ὁ τῶν Ἠπειρωτῶν βασιλεὺς ζητούντων τινῶν παρὰ πότον, πρότερος κρείττων αὐλητὴς Ἀντιγενίδας ἢ Σάτυρος; ἐμοὶ μὲν εἶπε στρατηγὸς Πολυσπέρχων. De Satyro cfr. Aelian. V, 4. III, 33. — Finckh ad Theon. l. l. p. 85 conferri jubet Plut. Pyrrh. 8. Apophth. p. 193 F. Atque Antigenidis filia haud dubie in avi memoriam Satyra nominata. In quam et sororem scriptum exstat Leonidae Tarentini epigramma Anthol. Palat. V, 206.

Μηλὼ καὶ Σατύρη τανυήλικες, Ἀντιγενείδεω
  παῖδες ταὶ Μουσέων εὔκολοι ἐργάτιδες,
Μηλὼ μὲν Μούσαις Πιμπληΐσι τοὺς ταχυχειλεῖς
  αὐλοὺς καὶ ταύτην πύξινον αὐλοδόκην,
ἡ φιλέρως Σατύρη δὲ τὸν ἕσπερον οἰνοποτήρων
  σύγκωμον, κηρῷ ζευξαμένη, δόνακα,
ἡδὺν συριστῆρα, σὺν ᾧ πανεπόρφνιος ἠῶ
  ἤυγασεν αὐλείοις σύγκοτέουσα θύραις.

Jam vero ex Theonis loco satis patet, Antigenidam et Satyrum tibicines istos coaetaneos fuisse Pyrrho et Polysperchonti unde efficitur eos vixisse circa Olymp. CXVI, qua Polysperchontis gloria maxima fuit. At Philoxenus noster obiit Olymp. C, 1. Prorsus igitur incredibile est Antigenidam eum, qui Philoxeni tibicen clarescebat, hac aetate adhuc inter vivos fuisse. Subodoratus est aliquid hujusmodi Bergleinus p. 36, sed, quum Theonis locum aut non noverit aut non inspexerit devius aliquantulum aberravit. Hunc enim Antigenidam Satyri filium, temporis ratio haud refragatur, Alexandrum tibiae cantu ad arma incitasse, quae narrat Plut. Orat. de fort. Alex. II, p. 335. Etenim Alexander Olymp. CXIV e vita decessit. Apparet igitur Antigenidam Satyri nihil ad Philoxenum pertinere, atque Suidam in patris nomine erroris esse manifestum. Diversus ab Antigenida Satyri gnato, fuit Dionysii filius, quo de cfr. Lysias ap. Harpocration. p. 43 et Grammaticus Bekkeri Anecdd. p. 410. Ἀντιγενίδης ἐνδοξότατος γέγονε αὐλητὴς υἱὸς

Διονυσίου. Dionysius hic non dubium videtur quin idem fuerit, quo in musica arte, magistro usus est Epaminondas: vid. Cornel. Nepot. XV, 2. Plut. de Music. 1142 B. De eodem Antigenida intellegendus Anaxandrides in Protesilao ap. Athen. IV, p. 131 B.

αὐλεῖν δ' αὐτοῖς Ἀντιγενείδαν,
Ἀργᾶν δ' ᾄδειν, καὶ κιθαρίζειν
Κηφισόδωρον τὸν Ἀχαρνῆθεν.

Cfr. Dobraeus Adverss. I, p. 243. Jacobsius quidem ad Anth. Graec. Tom. I, 2. p. 57. Lysiae Antigenidam non diversum fuisse suspicatus a Satyri filio Harpocrationis locum mutilum esse et Dionysii nomen ad Siciliae tyrannum apud quem Antigenidas cum Philoxeno versatus sit, spectare conjecit[47]). Sed haec postrema jam refutavit Meinekius Comm. Fr. III, p. 187 cl. Quaestt. Scen. III, p. 26. Atque hunc Dionysii filium quominus Philoxeniis carminibus accinisse tibia credamus non video quid obstet. Etenim si quid video Protesilaus inter fabulas Anaxandridis, quem inde ab Olymp. CI, fabulas docuisse Meinekius ex Marm. Arund. p. 34, conjecit Quaestt. Scenn. III, p. 24. — primas fuit, quum Iphicratis gloria in hanc inprimis aetatem incidat. Eadem etiam Epaminondas, Dionysii in rebus musicis discipulus inclaruit; ab inde Philoxeni vero morte non plus quatuor annis praeterfluxerant. Itaque Suidae locum mutilatum esse credibile est, eatenus ut quae de duobus deinceps retulit Antigenidis in unum conferrentur, abjecto patris unius alterius nomine. Lego:

Ἀντιγενίδας· [+ Διονυσίου] Θηβαῖος μουσικός· αὐλῳδὸς Φιλοξένου.

Ἀντιγενίδας· Σατύρου [+ αὐλητής]· οὗτος ὑποδήμασι Μιλησίοις πρῶτος ἐχρήσατο καὶ κροκωτὸν ἐν τῷ Κωμαστῇ περιεβάλλετο (sic Meinek. Q. Sc. p. 26 vulg. προσεβάλλετο) ἱμάτιον· ἔγραψε μέλη.

Quam conjecturam confirmat mirum quantum illud οὗτος et quod Satyram etiam Antigenidae filiam θυροκοπικὰ μέλη cecinisse tibia docemur Leonidae Tarentini epigrammate, si vera est Meinekii conjectura delect. Anth. p. 111 ad versum 8:

---

[47]) Hermann. Opuscc. Tom. VII, p. 214.

αὐλείοις συγκοτέουσα θύραις. Ex libro *μελῶν* primo Antigenidae hujus a Satyro prognati Scholiasta ad Apollon. Rhod. Argon. I, 741 refert Amphionis fabulam, lapidum ductoris. Namque Antimenidam, inde, Bodium sequutus Hist. Lit. Graec. II, 2, p. 322 not. 1, expellere non dubito. De minore Antigenida intelligo quoque Plutarchum de Mus. c. 21 (p. 1138 A) *οἷον τῶν μὲν Δωριωνίων τοῦ Ἀντιγενιδείου τρόπου καταφρονούντων ἐπειδήπερ οὐ χρῶνται αὐτῷ, τῶν δ' Ἀντιγενιδείων τοῦ Δωριωνίου διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν.* Nam Dorio, cujus modus musicus hoc loco commemoratur, licet jam Olymp. CX a Philippo inter delicias habitus teste Theopompo ap. Athen. X, p. 435 B, Ptolemaei etiam regis temporibus in honore fuit. Cfr. Koepkius hypomn. Graec. p. 28. E contra majorem, ni fallor, tangit Tatianus advers. gentes p. 86 ed. Worth.: *τί μοι καὶ τεθηπέσαι τὸν μυθικὸν αὐλητήν; τί δέ μοι καί, κατὰ Ἀριστόξενον, τὸν Θηβαῖον Ἀντιγενίδην πολυπραγμονεῖν.* Hoc a Gesnero l. l. miro modo translatum est:

„Aut quod mirer Antigenidem illum Thebanum tibicinem, Philoxeni discipulum" — quasi conjecisset *μαθητὴν Φιλοξένου.* Rectissime Mahnius Aristoxen. p. 156 vertit: „Quid mea refert Aristoxeni instar curiosius inquirere, quis ac qualis fuerit Antigenides Thebanus?" Ad opus Aristoxeni *περὶ αὐλητῶν* respexisse Tatianum Jonsii ac Fabricii non improbabilis fuit opinio. Alios locos veterum, in quibus Antigenidarum mentio fit, enumerabo breviter: Pamphil. ap. A. Gell. N. A. XV, 17. Athen. XIV, p. 634. Ciceron. Brut. L, 5 (p. 158 ed. Meyer) cll. Henr. Vales. ad Ammian. XIV, p. 37. Crinit. de honest. discipl. XII, cap. 12. Erasm. Adagg. p. 604. Valerium Maxim. III, 7, 2. Philo Quod omnis probus liber p. 584. Hieronym. Prooem. comment. in Hier. Insignis praeterea locus Apulej. Flor. p. 342. Elmenh. cui similia Dio Chrysost. XLIX, fol. 534 refert de Ismenia. Cfr. Bartholinus de tibiis p. 121. 135. 320. 360. Nec praetermittendus Theophrastus Hist. Plant. IV, c. 12 a Plinio exscriptus Hist. Nat. XVI, c. 36 et Theodora Gaza de Mensib. p. 103 (ed. Perelli Bas. 1536). Cfr. Salmas. Exercitt. Plinn. p. 85 B, *Fr. von Drieberg Aufschlüsse über die Musik der Griechen p. 43.* Meinekius Comm. Fragm. Vol. III, p. 188.

IV.

DE LAMPROCLE ET STESICHORO JUNIORE.

Lamprocles [48]), qua aetate vixerit ne obiter quidem ab aliquo veterum memoriae traditum est, vetustum tamen poetam fuisse ex Aristophanis Nubb. vs. 960 satis apparet:

Λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν ὡς διέκειτο,

— — — — — — — — — — — — —

εἶτ' αὖ προμαθεῖν ᾆσμ' ἐδίδασκεν τὼ μηρὼ μὴ ξυνέχοντας
ἢ Παλλάδα περσέπολιν δεινὰν ἢ τηλέπορόν τι βόαμα
ἐντειναμένους τὴν ἁρμονίαν, ἣν οἱ πατέρες παρέδωκαν.

Nam *Παλλάδα περσέπολιν δεινάν* initium fuit hymni a Lamprocle in Palladis honorem compositi. Haud scio tamen, an, si non satis accurate, at certe satis probabiliter indicari Lamproclis aetas possit. Nam sane scholiastae ad Aristoph. Nubb. l. l. testimonio, a Phrynicho hymnum hunc Lamproclis commemorari, non multum lucramur; cum nihil inde evincatur aliud, nisi hoc: hymni auctorem aut coaequalem comici fuisse, aut eodem antiquiorem. Jam vero cum Phrynichus comicus maxime floruerit circa Olymp. LXXXVII, 3 (Meinek. hist. crit. p. 147), Musas autem fabulam, in qua optime Lamproclis facere mentionem potuit, una cum Aristophanis Ranis et Platonis Cleophonte Olymp. XCIII, 3 in certamen commiserit, testibus Argum. Ar. Ran. et Sophocl. O. C. p. 6 ed. Herm., patet, hunc dithyrambicum nostrum, a Phrynichi aetate, quam ab Aristophanis aeque longe abfuisse, eidemque pariter in *ἀρχαίων* numero habitum esse. Sed, locum proferam qui conficere rem videri possit, dico scholiast. ad Platon. Alcibiad. prim. p. 118 c., ubi cum Alcibiades Pythoclidis ac Damonis mentionem fecit, scholiasta ad verba *ΚΑΙ ΠΥΘΟΚΛΕΙΔΗΙ*

---

[48]) Iteratum fere ex Emendd. fort. p. 10, quas cum scriberem, F. G. Schneidewini verba ad Eustath. Prooem. p. 20 inspicere non licuit. Quibus licet nunc demum perpensis, sententiam non mutavi.

haec adscripsit: *Πυθοκλείδης μουσικὸς τῆς σεμνῆς μουσικῆς διδάσκαλος καὶ Πυθαγόρειος, οὗ μαθητὴς Ἀγαθοκλῆς, οὗ Λαμπροκλῆς, οὗ Δάμων.* Audit igitur Lamprocles discipulus Agathoclis et magister Damonis. In quo de Damone manifestus erroris est scholiasta; quippe quem non Lamproclis, sed Agathoclis esse discipulum Platone ipso meliorem testem non desiderabimus Lachet. p. 180 c. d. *καὶ γάρ αὐτῷ μοι ἔναγχος ἄνδρα προὐξένησε τῷ υἱεῖ διδάσκαλον μουσικῆς, Ἀγαθοκλέους μαθητὴν*[49]) *Δάμωνα, ἀνδρῶν χαριέστατον, οὐ μόνον τὴν μουσικήν, ἀλλὰ καὶ τἆλλα.* Idem praeterea Agathocles occurrit Protag. p. 316 E. *μουσικὴν δὲ Ἀγαθοκλῆς τε ὁ ὑμέτερος πρόσχημα ἐποιήσατο, μέγας ὢν σοφιστὴς καὶ Πυθοκλείδης ὁ Κεῖος καὶ ἄλλοι πολλοί.* De Lamprocle vero in suspenso res est, num jure Agathoclis vocitari discipulus possit. Nam Schol. Rav. Arist. Nubb. l. l. *ὡς Λαμπροκλέους*, ait, *ὄντος τοῦ Μίδωνος υἱοῦ ἢ μαθητοῦ.* Atque accuratius mecum rem computanti, ultimum unice verum videtur, praecipue, cum in enarrandis poetarum vitis nihil saepius commutatum a biographis sit, quam patrum atque praeceptorum nomina. Qua re scholium Platon. l. l., mutilum ut videtur, hunc in modum refingendum dico: — *Πυθαγόρειος, οὗ μαθητὴς Ἀγαθοκλῆς,* [*οὗ Μίδων*], *οὗ Λαμπροκλῆς,* [*οὗ Ἀγαθοκλῆς*], *οὗ Δάμων.* Nimirum excidit Midonis et Agathoclis junioris nomen propter homoeoteleuta. Quo loco (nisi plura etiam excidisse putaris) sic in integrum restituto, denuo consideranda temporum indicia sunt. Atque a priori Agathocle ut exordium faciam, vix subintellegi alius poterit, quam idem, qui etiam Pindarum instituisse traditur duobus locis. Sic enim auctor vit. Pind. (Vratisl. A. Tom. II, p. 9 Boeckh.) *διδάσκαλον δὲ αὐτοῦ Ἀθήνησιν οἱ μὲν Ἀγαθοκλέα, οἱ δὲ Ἀπολλόδωρον λέγουσιν, ὃν καὶ προϊστάμενον κυκλίων χορῶν ἀποδημοῦντα πιστεῦσαι τὴν διδασκαλίαν τῷ Πινδάρῳ παιδὶ ὄντι.* Deinde

---

49) Difficultatis aliquid in temporum notatione sensisse etiam Graefenhanius videtur *Geschichte der cl. Phil. p. 112: „Damon, Schüler (oder Lehrer?) des Agathocles.“*

Biograph. Roman. διὰ στίχων ἡρωϊκῶν v. 11 (Boeckh. Tom. II, p. 6):

— — μετὰ τήνδ' Ἀγαθοκλέους ἔμμορεν αὐδῆς
Ὅςε ῥα οἱ κατέδειξεν ὁδὸν καὶ μέτρον ἀοιδῆς.


Itaque si puero adhuc Pindaro Agathocles iste in summo honore habebatur, floruit haud dubie circa Olymp. LXVIII. Ejusdem igitur, si Mido [50]) quoque, cujus aliunde me nullam reperisse notitiam confiteor, praeceptis paruit, eadem fere id factum aetate credibile est, qua si Midonem finxeris juvenem fere XX annorum fuisse, Lamprocles, ne ipsius rursus institutione circa Olymp. LXXII—III fructus sit, non video, quid obstet. Quae si vera conjecturavimus, Lamproclis gloriam fere in Olymp. LXXV—VI Agathoclis autem junioris florem in Olymp. LXXX—I incidisse conjeceris. Atque si haec Lamproclis aetas vera statuitur, Phrynicho, cum Musas doceret, optime boni ac vetusti musici praebere exemplar potuit. Etenim ab Olymp. LXXV usque ad Olymp. XCIII, 3 plusquam septuaginta anni effluxerant. Quae ratio insuper etiam hinc firmatur, quod Schol. Aristid. III, p. 538 Dindf. ex Rufo et Dionysio musicis; Schol. Aristoph. l. l. ex Eratosthene afferat, hymnum istum in Minervam compositum, Phrynichi cujusdam esse carmen; quem Phrynichum tragicum intellegendum esse, quivis vidit. Atqui hic ultra Olymp. LXXV aetatem non produxit, unde aequalem fuisse Lamproclis seniorem patet. Neque hoc loco reticebo suspicionem quandam, subito in scribendo mihi oblatam atque subnatam quasi. Etenim Schol. Aristid. atque Tzetzes Chil. I, 683 (cfr. Schol. ap. Cramer. Anecd. Oxon. Vol. III, p. 353) tradunt etiam hoc: a nonnullis criticis hominibus Stesichoro quoque eundem hymnum adscribi. Tamen de vetere illo Stesichoro nobilissimo poeta agi, vix in animum induxeris, imo de coaetaneo potius Lamproclis cogitasse criticos istos haud ignobiles suspiceris. In quo nescio an mutuo sibi praesidio esse possint et hic scholiastae una cum Tzetza locus et Marmor Par. Epoch. 50 ubi

[50]) Fortasse legendum *Μείδων* quo nomine Bacchylidis patrem vocatum esse scimus. *Neue Bacchyl.* p. 1.

Stesichori cujusdam mentio fit, qui anno Olymp. LXXIII, 3. Graeciam commigrasse traditur, quique non parum negotii viris doctis paravit. Tamen hanc nonnisi conjecturam pono. Kleinius Fragm. Stesich. p. 138 haec disserit: „Testes pro Stesichoro auctore haud quaquam firmiores sunt, quid enim dubia Tzetzae fides et insignis inscitia contra Phrynichi vel Eratosthenis (ut minus celebrata praeteream reliqua nomina) diserta testimonia, inter se ille quamvis ipsi dissentiant? Aristidis autem ille commentator judicium certe suspendet. Vestigium tamen quoddam hymni in Palladem confecti inter Stesichori fragmenta (nr. LXXVI, p. 127 ap. Schol. Apollon. Rhod. Argon. IV, 1310) exstare, hic diffiteri noluimus."

Exstat praeterea Plutarchi de Lamprocle locus (de Mus. p. 1136 D. cap. XVI.) *'Αριστόξενος δέ φησι Σαπφὼ πρώτην εὑρέσθαι τὴν Μιξολυδιστί, παρ' ἧς τοὺς τραγῳδοποιοὺς μαθεῖν. λαβόντας γοῦν αὐτοὺς συζεῦξαι τῇ δωριστί. ἐπεὶ ἡ μὲν τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ ἀξιωματικὸν ἀποδίδωσιν, ἡ δὲ τὸ παθητικόν· μέμικται δὲ διὰ τούτων τραγῳδία. ἐν δὲ τοῖς ἱστορικοῖς τῆς ἁρμονίας* (*ταῖς ἁρμονικαῖς* Mahne Aristox. p. 151) *Πυθοκλείδην φησὶ* (vulg. *φασὶ*) *τὸν αὐλητὴν εὑρετὴν αὐτῆς γεγονέναι. Λῦσις*[51]) *δὲ Λαμπροκλέα τὸν 'Αθηναῖον, συνιδόντα ὅτι οὐκ ἐνταῦθα ἔχει τὴν διάζευξιν, ὅπου σχεδὸν ἅπαντες ᾤοντο, ἀλλ' ἐπὶ τὸ ὀξύ, τοιοῦτον αὐτῆς ἀπεργάσασθαι τὸ σχῆμα, οἷον τὸ ἀπό παραμέσης ἐπὶ ὑπάτην ὑπάτων.*

Qua de Mixolydii per Lamproclem facta mutatione accuratissime rem exposuit Fr. Bellermannus ad *ΑΝΩΝΥΜΟΥ ΣΥΓΓΡΑΜΜΑ ΠΕΡΙ ΜΟΥΣΙΚΗΣ* p. 39, ubi cum „Lydiam tetrachordi divisionem 1 : 1 : ½ in Mixolydio quoque veteres agnovisse docuit hunc in modum:



pergit: „Postea vero Graecam tetrachordi divisionem in Mixo-

---

[51]) *Λῦσις* non *Λύσις* scribendum esse docet Meinekius Delect. Anthol. p. 212.

lydio agnovit Lamprocles teste Plutarcho, c. 16: i. e. hunc in modum:



Itaque ita Graecus factus hic modus, quamvis per se non utilis, conjunctus cum Dorio adhiberi potuit, ut idem Plutarchus dixit l. l. id quod hunc in modum factum esse cogites:



i. e. plagius ut nos dicimus Mixolydius modus est Dorii sqq." — Burettus, qui in Mem. Acad. inscr. Tom. XVIII, inde a p. 238 sqq. multa de Lamprocle docte disputat, p. 241 Lamproclis mutationem intellegendam de hendecachordo censet, qua tamen de re cum nihil Plutarchus innuat, merito Boeckhii (de MP. p. 236), consensum non tulit. Tamen in ipsa ejus disputatione haec una mihi remansit dubitatio, cur Pythoclidem tibicinem, secundum Aristoxenum l. l. Mixolydii inventorem, Periclis magistrum illum appellaverit, cum tamen Aristoxenus sine controversia antiquiorem intellexerit, eundem, quem Schol. Platon. p. 118 c. σεμνῆς μουσικῆς διδάσκαλον et Agathoclis senioris praeceptorem praedicat; ita ut haec potius adornanda sit Mixolydii historia, idem a Sapphone inventum Olymp. L. fere, (cfr. Neuius Sapphon. fragm. p. 11); a Pythoclide tibiis adaptatum circa Olymp. LX, mutatum tandem a Lamprocle esse Olymp. LXXV. —

E carminibus Lamproclis praeter nonnullos versiculos nihil omnino aetatem tulit. De pleiadibus versus servavit Athenaeus XI, p. 491 c. Λαμπροκλῆς δ' ὁ διθυραμβοποιὸς καὶ ῥητῶς αὐτὰς εἶπεν ὁμωνυμεῖν ταῖς περιστεραῖς ἐν τούτοις.

. . . . . αἵτε ποταναῖς
ὁμώνυμοι πελείασιν αἰθέρι κεῖσθε.



unde sua delibavit Eustath. Odyss. *μ'* 64, p. 1713, 5 = 475, 5. *καὶ Λαμπροκλῆς· αἳ ποταναῖς πελείασιν ὁμώνυμοι ἐν αἰθέρι κεῖνται.* Locum Eustathii neglexit Th. Bergkius. Ex hymno in Minervam supersunt haec:

Παλλάδα περσέπολιν δεινὰν θεὸν ἐγρεκύδοιμον
. . . . ποτικλῄζω πολεμαδόκον ἁγνὰν
παῖδα Διὸς μεγάλου δαμνήπωλον δαμάσιππον [52])
παρθένον . . . .

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
[– ⏑⏑ – ⏑] ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – – – – ⏑ ⏑ – ⏓
– ⏑ ⏑ . . . .

Cfr. Aristoph. Nubb. v. 960 cum scholl. Suid. v. *τηλέπορον.* Dio Ch. I, p. 427. Schol. Aristid. Panath. (p. 268 D.) p. 203 ed. Frommel. Tzetzes Chil. I, 25. v. 689. Huc etiam non ad Pindarum spectare Etym. Magn. p. 430, 30. *ἱππία — ἐκλήθη δὲ οὕτως ἡ Ἀθηνᾶ, ἐπεὶ ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διὸς μεθ' ἵππων ἀνήλατο, ὡς ὁ ἐπ' αὐτῆς ὕμνος δηλοῖ,* contra Bergkium Boeckhianae annotationis immemorem, monuit Fr. G. Schneidewinus Annall. critt. Beroll. 1844. p. 509 cll. not. ad Eustath. Prooem. p. 20. — Eadem fere atque Et. M. habent Bekkeri Anecdd. p. 207, 32 et p. 350, 25. *Ἀθηνᾶ ἱππία, ἢ ὅτι ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς, ὡς ὁ μῦθος* (leg. *ὕμνος*) *μεθ' ἵππου ἀνήλατο.* Denique haud satis scio an ejusdem hymni mentio fiat apud Polluc. p. 191 ed. Seber. *καὶ Ἀθηνᾶ δὲ εἶδος αὐλοῦ ἣ μάλιστα Νικωφελῆ τὸν Θηβαῖον εἰς τὸν τῆς Ἀθηνᾶς ὕμνον κεχρῆσθαι λέγουσιν.* Num forte: *Λαμπροκλῆ τὸν Ἀθηναῖον?* De athena tibia cfr. Etym. M. p. 24, 53 Sylb.

---

[52]) Cfr. Schneidewinus Delect. p. 462. Quae in scholl. ad Aristidem legitur vox *ἄριστον* vel *ἄϊστον* nihil est aliud, nisi scripturae pro *δαμάσιππον* depravatio, quod non recte perspexeram, quum in Emendd. fort. p. 14 Bergkium sequerer in constituendo carmine. —

V.

JONIS CHII FRAGMENTUM. DE HIERONYMO, XENOPHANTO, CINESIA.

Athenaeus II, p. 35 E. *Ἴων δ' ὁ Χῖός φησιν·*

Ἄδαμον παῖδα ταυρωπὸν νέον οὐ νέον
ἥδιστον πρόπολον βαρυγδούπων ἐρώτων
οἶνον ἀερσίφρον' ἀνθρώπων πρύτανιν.

⏑ ⏑ –́ –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
× – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ × – –́ ⏑ – –
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ ⏓

In his versibus *ἀερσίφρον'* scripsi metri gratia; vulgo *ἀερσίπνοον*, *ἀερσίπνουν*, unde Casaubonus *ἀερσίνοον* refinxit, quod Nieberdingius, Koepkius, Schneidewinus, Bergkius receperunt. At nostri emendationi favet Panyasis Athen. II, p. 36 D. versus: *δείδια γὰρ — μή σ' ὕβρις ἐνὶ φρεσὶ θυμὸν ἀέρσῃ.* Obscurabatur tamen vera lectio, quoniam vox *ἀερσίφρων* rarioris usus est. Etym. Magn. p. 19 ed. Lips. *ἀερσίφρων· ἐγειρόφρων· ἐπαίρων τὰς φρένας.* Similiter compositum *αἰδόφρων* semel tantum occurrit apud Soph. OC. 251, quo de cfr. Eduard. Wunderus Emendd. in Trach. p. 14.

Ejusdem Jonis superest epigramma quoddam ab Euclide introd. harmon. p. 19 Meibom.; in cujus altero disticho:

πρὶν μέν σ' ἑπτάτονον ψάλλον διὰ τέσσαρα πάντες
Ἕλληνες σπανίαν μοῦσαν ἀειράμενοι.

Koepkius notatu dignum censuit hoc, quod a poeta *διὰ τέσσαρα* dictum sit, non *διὰ τεσσάρων*. Verum etiam Alexander Ephesius Theonis Smyrnaei ap. Galeum Add. ad Parth. p. 49 cecinit:

μέσσην δ' ἥλιος πλαγκτῶν θέσιν ἔσχ' ὑπὲρ ἄστων·
τοῦ δ' ἀπὸ δὴ ψυχρὸς μὲν ἔχει διὰ τέσσαρα κύκλος.

Inter dithyrambographorum numerum referendus etiam Hieronymus est Xenophanti filius; irrisus ab Aristophane Nubb. 347 hisce:

Σωκρ. ἤδη ποτ' ἀναβλέψας εἶδες νεφέλην Κενταύρῳ ὁμοίαν,
ἢ παρδάλει ἢ λύκῳ ἢ ταύρῳ; *Στρ.* Νὴ Δί' ἔγωγ'.
εἶτα τί τοῦτο;
Σωκρ. γίγνονται πάνθ' ὅτι βούλωνται· κᾆτ' ἢν μὲν ἴδωσι
κομήτην
ἄγριόν τινα τῶν λασίων τούτων, οἷόνπερ τὸν Ξενο-
φάντου,
σκωπτοῦσαι τὴν μανίαν αὐτοῦ, Κενταύροις ᾔκασαν
αὐτάς.

Schol: Ἱερώνυμον δὲ λέγει τὸν διθυραμβοποιὸν, ὃς Ξενοφάντου μὲν ἦν παῖς, περὶ παῖδας δὲ ἄγαν ἐπτόητο· λάσιον δὲ εἶχε τὸ σῶμα· ἐπεὶ οὖν καὶ οἱ ἱπποκένταυροι λάσιον εἶχον τοῦ σώματος τὸ τῶν ἵππων μέρος κτλ. ‖ Ἱερομνήμων (lege: Ἱερώνυμος) ἦν υἱὸς τοῦ Ξενοφάντου διθυραμβοποιὸς ποιητής. ἦσαν δέ τινες ἄγαν ἐπτοημένοι πρὸς αὐτὸν αἰσχρῷ ἔρωτι. Schol. Acharn. 364. οὗτος ὁ Ἱερώνυμος μελῶν ἐστι ποιητής, καὶ τραγῳδοποιὸς ἀνώμαλος, καὶ ἀνοικονόμητος, διὰ τὸ ἄγαν ἐμπαθεῖς γράφειν ὑποθέσεις καὶ φοβεροῖς προσωπείοις χρῆσθαι. Ex ipsius carminibus, si quid video unum versum nobis servavit Aristophanes Acharn. 386:

Λαβὲ δ' ἐμοῦ γ' ἕνεκα παρ' Ἱερωνύμου
Σκοτοδασυπυκνότριχά τιν' Ἄϊδος κυνῆν.

Certe verbum istud prodigiosum Σκοτοδασυπυκνότριχα haud dubie Hieronymi est. Vertit Nicodemus Frischlinus (ed. 1597) p. 583: *Nigririgidhircocomam galeam Avernicam.* Simili modo Antiphanes Athen. X, p. 446 Philoxenum ob unam vocem: τὸν ἀρκεσίγυιον exagitat. Ceterum dithyrambos pangendi artem si Hieronymum istum quasi hereditariam accepisse a patre Xenophanto suspicari poterimus, licebit fortasse hinc audere conjecturam ad Marm. Par. Epoch. 69, p. 29 Wagn. ἀφ' οὗ Ξ[ενόφαντος ὁ . . . . . (μβρ)]ιανὸς διθυράμβῳ ἐνίκησεν Ἀθήνησιν ἔτη Η . . . ἄρχοντος Ἀθήνησιν . . . Vulgo supplent: Ξ[ανθὸς ὁ ποιητὴς Σαρδ]ιανός. Verum Ann. Marm. 134. „Poeta quidam [Sel]ymbrianus (vel Mesambrianus) dithyrambo vicit Athenis." De Xenophanto cfr. Th. Bergk. Comm. p. 63.

De Cinesia satis explorata sunt omnia accuratissima Fr.

Guil. Wagneri [53]) digressione in Quaestt. Aristoph. Rann. Spec. I, p. 38—48. Etenim tres, illi quos praetermisit, loci ne potuissent quidem in censum venire. Primus est Anaxilae ap. Athen. III, p. 95 B. *Δεινὸν μὲν γὰρ ἔχοντ' ὑὸς ῥύγχος ὦ φίλε Κινησία*, ubi Meinekius e conjectura *κνησιᾶν*. Alterum inter fragmenta comicorum anonymorum exhibuit Meinekius Tom. IV, p. 685 n. CCCXXX. *καὶ ναί γε μὰ Δία τρίτον ἔτος μετὰ Κινησία*, emendationemque proposuit hanc: *καὶ ναὶ μὰ Δία τρίτον γ' ἔτος μετὰ Κίνεα*: de Cineis conferri jubens Boeckhium ad Schol. Pind. Pyth. X, 85. Tertium dico Theodoridae Syracusani epigramma ap. Brunck. Anall. II, p. 43.

εὔχευ ἔτ' ἀσκίπων, Κινησία, Ἑρμείῳ ἔγρα
ἐκτίσων Ἀΐδῃ χρεῖος ὀφειλόμενον,
γυῖα ἔτ' ἄρτια πάντα φέρων χρηστὴν δὲ δίκαιον
εὑρὼν σε, σέργει παντοβίης Ἀχέρων.

53) Cfr. praeterea Lud. Hoelscher Vita Lysiae oratoris Berl. 1837. 8. p. 173—75 et Meinek. hist. crit. p. 227—31. Patrem Meletem vocat Plato Gorg. p. 502 A. Aristid. Oratt. Platon. II, p. 185, p. 236. Schol. Aristid. p. 228 ed. Frommel. Pherecrat. ap. Schol. Arist. Avv. 859. Suid. v. *Χαῖρις*. — quod nomen vel infima Graecitatis aetate haud ignobilis id tempus musici fuisse apparet ex epistola XXIX *ἀντιγράφου τινὸς* ap. Cramer. Anecd. Oxon. III, p. 201. Cfr. epist. IX, X, p. 172, 178 quarum epistolarum omnino plures memorabiles propter nonnullas de re musica notitias. — Cinesiae non indignum putat Bergkius fragmentum anonymi cujusdam dithyrambographi ap. Plut. de prim. frig. c. 17. *ὁ γὰρ ἥλιος ἀνίσχων, ὥς τις εἶπε τῶν διθυραμβοποιῶν, εὐθὺς ἀνέπλησεν ἀεροβάταν μέγαν οἶκον ἀνέμων. ἐκ τούτου δὲ καὶ λίμνῃ καὶ θαλάσσῃ μοῖραν αὐγῆς κατιὼν ἐνίησι καὶ βυθοὶ ποταμῶν καταγελῶσι.* Loquum adhibuit Petrus Petitus Observ. Misc. p. 135; Eundem his metris adstrinxerim:

. . . . × ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ – –
–́ ⏑ ⏑ – × ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑⁀⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑́⁀⏑ ⏑ –
[⏑́⁀⏑ ⏑] – – –́ ⏑ – – –́ ⏑ – { –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏒ / –́ ⏑ – – ⏑⁀⏑ ⏑ –
× ⏑ –́ ⏑ ⏑ – [⏑⁀⏑] ⏑ –́ ⏑

. . . . *ἥλιος γὰρ ἀνίσχων*
εὐθὺς ἀνέπλησεν ἀεροβάταν μέγαν οἶκον ἀνέμων
[τάχα δὲ] λίμνῃ καὶ θαλάσσῃ μοῖραν αὐγῆς { *κατιὼν ἐνίησιν* / *ἐνίησι κατιών*
καὶ βυθοὶ ποταμῶν [κατα]γελῶσι.

Primum versum dedi correctum a Boeckhio in Expll. Pindd. — Verumtamen Wagnerus omittere non debebat Erotianum p. 318 ed. Franz. Ῥομβοειδέα τρόπον· πλαγίως, ἀπὸ τοῦ κατά τι μὲν κοίλου, κατά τι δὲ καμπύλου· ὡς Κινησίας τάσσει τὴν λέξιν, quae verba quomodo scripta sunt, Theodorus Bergkius PLGr. p. 850 recte sane ita intellexit, ac si Cinesiae fragmentum servarent, mendum tamen mihi subodorari videor, ac locum puto transfingendum, ut non nisi grammatici compendiosam stili censuram contineat, qua Cinesiae ῥομβοειδέα τρόπον vindicet, sic fere:

ὡς [περὶ] Κινησίου [. . . . .] τάσσει τὴν λέξιν.

Phot. Lex. p. 491, 9. ῥόμβον· κίνησιν. Neque aberraturum a vero credo, qui ab ipsa κινήσει inditum Cinesiae nomen esse suspicetur, quemadmodum praeivit Choerobosc. Orthogr. ap. Cramer. Anecdd. Oxx. p. 229. Κινησίας· ῑ· ὥσπερ ἀπὸ τοῦ νόσω, νοσίας, οὕτως καὶ παρὰ τὸ κινήσω, Κινησίας. Idem enim teste Schol. Ar. Ran. 153. ἐν τοῖς χοροῖς πολλῇ κινήσει ἐχρήσατο.

Denique omnia quae de Cinesia comperta habemus, ostendunt admodum concitatam eum musicae indolem adamasse, quemadmodum de Artemone quoque dixit Aristoph. Acharn. v. 850.

οὐδ' ὁ περιπονηρὸς Ἀρτέμων
ὁ ταχὺς ἄγαν τὴν μουσικήν

cui nescio cur locum inter poetas denegarint viri docti. — Qua data occasione alius quoque dithyrambographi liceat redintegrare memoriam. Suidas enim s. v. Διακιδογένης dicit: ὄνομα κύριον, ὃς τραγῳδίας καὶ διθυράμβους ἔγραψεν. Eadem Eudocia et Harpocratio.

VI.

DE THEODORIDA SYRACUSANO.

Theodoridae Syracusani in Anthologia Palatina plura exstant epigrammata genuina, quibus nonnulla etiam non indubitatae fidei accedunt cum in nominibus Θεοδωρίδας, Θεόδω-

ρος, sim. proclivis esse soleat lapsus. Neque ista nunc tractare in animo est, sed eas tantummodo ipsius carminum colligere reliquias, quae extra Anthologiae P. portum, passim dispersae jacent. Sunt eae hae [84]):

Μέλη.

Εἰς Ἔρωτα.

1.

κελέβαν. Athen. XI, p. 475. Διονύσιος δ' ὁ Λεπτὸς ἐξηγούμενος Θεοδωρίδα τὸ εἰς τὸν ἔρωτα μέλος, τὴν κελέβην φησὶ τίθεσθαι ἐπὶ ὀρθοῦ ποτηρίου. Eustath. 1476, 38. καί ἐστι χρῆσις αὐτῆς ἐν τῷ· ςέψον τὰν κελέβαν.

Διθύραμβοι.

2.

Πίσσα δ' ὑπὸ γραβίων ἔσταζεν, οἷον . . .

Athen. XV, p. 699. Θεοδωρίδας γοῦν ὁ Συρακούσιος ἐν Κενταύροις διθυράμβῳ φησί· πίσσα δ' κτλ. Eustath. Odyss. p. 1571, 16. μήποτε δὲ ἄρα δάδων εἶδός τι καὶ τὸ τοιοῦτον γράβιον εἶγε πίσσαν καταστάζειν ἔχει, ὡς δηλοῖ Θεοδωρίδας ὁ Συρακούσιος ἐν τῷ· κτλ. — Cfr. de voce γράβιον Hesych. s. v. γραπτῦς, Bekker. Anecd. p. 789.

Ἄδηλα.

3.

Τηγάνῳ εὖ ἤψησεν ἐν ὀπτητῆρι κόλυμβον.

Athen. VI, p. 229 B. διὰ καὶ Θεοδωρίδαν φάναι ἔν τινι ποιηματίῳ· τηγάνῳ εὖ ἤψησεν ἐν ὀψητῆρι κολύμβῳ. Correxit Meinekius Exercc. Phil. in Athen. Specim. I, p. 19.

---

84) De Theodorida Laur. Crassus histor. poett. Gr. p. 501. Giacomo Bonanni *Delle antiche Syracuse* (Palerm. 1717 fol.) Vol. I, p. 263. 4. et Mongitori Biblioth. Sic. Vol. II. p. 248. — Ex his Mongitori Theodoridae citat Seplasiarium sive tridentem; haud dubie a Bonanno in errorem inductus qui l. c. haec habet: „L'iscrizione dell' opere o favole di lui sono i Centauri, il Tridente, il Seplasiario. Seplasia e una piazza di Capua dovè negoziavano gli Ungentarii." Verum enim vero praeter carmen in Amorem et Centauros titulos Theodorideorum carminum ignoramus.

4.

Θύννοι τέ δὴ οἰστρήσοντι Γαδείρων δρόμον.

Athen. VII, p. 302 C. *καὶ Θεοδωρίδας δέ φησι· κτλ.* Fiorillo Observv. critt. p. 32 conjecit: *Θύννοι δὲ τ' οἰστρήσοντι.*

5.

φυσαητῆρσι μολγίνοις.

Pollux Onomast. X, 50. *ἐπεὶ καὶ ἀσκὸν καὶ ἀσκίδιον καὶ τὰ τοιαῦτα προειρήκαμεν, οὐδὲν κωλύει καὶ μολγὸν εἰπεῖν, ὅ ἐστι κατὰ τὴν τῶν Ταραντίνων γλῶσσαν, ὁ βόειος ἀσκός. ὅθεν καὶ Θεοδωρίδας τὸν Ἥφαιστόν ἔφη φυσαητῆρσι μολγίνοις χρῆσθαι.*

6.

δάμνιον.

Eustath. p. 1476, 40 = 140, 18. *Νίκανδρος δὲ καὶ Θεοδωρίδας δάμνιον ἀναγιγνώσκουσιν ἀσυνδέτως, παρὰ τὸ δάμνασθαι τὸ σφαζόμενον ζῶον. Ἀττικοὶ δὲ σφάγιον τὸ τοιοῦτον ἀγγεῖον ἐκάλουν κτλ.* Schol. Cod. Harl. 5674 ad Odyss. γ' 444 apud Cramer Anecd. Paris. Tom. III, p. 436, 11. *Νίκανδρος δὲ καὶ Θεοδωρίδας ἀπὸ τοῦ δάμνασθαι προφέρονται ἀσυνδέτως δάμνιον.* Ibidem post Theodoridam citatur Porsillus quidam Hierapytnius, qui de Hierapytniorum lingua scripsisse videtur. Nescio an hic idem sit atque Porcellus Grammaticus, de quo Senec. Rhet. Suasor. 2.

Φλύακες.

7.

Suid. Tom. III, p. 536 Bernh. *Σωτάδας. ἐγράψατο δὲ τῷ εἴδει τούτῳ καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός, καὶ Πύῤῥος ὁ Μιλήσιος καὶ Θεοδώρας* (leg. *Θεοδωρίδας* Meinek. Anal. Alex. p. 246) *καὶ Τιμοχαρίδας καὶ Ξέναρχος.*

Ἐπιγράμματα.

8.

κυρβασία.

Etym. Gud. p. 355. *κυρβασία· τὸ τὴν κεφαλὴν καλύπτον.*

Θεοδωρίτος δὲ ἐν ἐνίοις ἐπιγράμμασι τὰς περικεφαλαίας κυρβασίας λέγει.

Sic: *Θεοδώριτος*. At Theodoridam probabiliter restituit Huschkius Analectt. p. 304. „In epigrammatis, quae supersunt vox non exstat."

9.

Ἐκ δολίχου τόρμας σφυρήλατον, ᾧ τάχει κρατήσας
Παῖς Ἀριστομάχειος ἀνεῖλε τὸν χάλκεον λέβητα.

Cod. Vatic. p. 906. *Θεοδωρίδα τετράμετρον Ἀρχιλόχειον κτλ.* Huschke Anall. critt. p. 204. „Legendum esse ῥα σφυρήλατον quivis intellegit, nisi in τορα aliud quid latet." Etenim cod. *το ρασφυρήλατον*. Legendum haud dubie *τόρμας*, quo verbo paulo infrequentiori etiam Lycophro utitur v. 262. Verte: „*propter stadii metam (approperatam)*." — Deinde in cod. est ὃς pro ᾧ, quae emendatio est lenissima,[55]). — Denique *χάλκεον* rescribendum pro *χάλκειον*, metri gratia, quod sic procedit:

— ◡◡ — ◡◡ — ◡◡ — ◡ ◡ — ◡ — ◡ — ◡◡.

Reliqua lege ap. Jacobsium Anthol. Tom. II.

Atque hic, ne in vindemiam excrescant, finem habento Epiphyllides. Quibus capitibus, si non criticum solum felicem me praestitero, sed priorum etiam paullo circumspectius excussisse veterum scrinia visus fuero satis inde in me redundasse laudis arbitrabor. Tritos enim poetarum hortos permeantibus, latentes flores protraxisse ad solis conspectum, eosque qui decerpti jam ab aliis jacent oculo contemplatum esse acriori, unica laus erit. At longe alia est capitum sequentium ratio. Etenim in via ceteris non calcata progressus gratulabor mihi fortunam, dummodo assecutus hoc sim, ut quod a vero abesse proxime mihi persuasum est, id aliis certe non sine similitudine veri excogitatum videatur. In quo, ne superbientis cujusdam neglegentiae crimen in me contraham quasi intentatos dereliquerim priorum tramites, praemonendi lectores

---

[55]) *Παῖς Ἀριστομάχειος* non tentandum, nisi *Υἱὸς* metro concedendum sit. Sic Homericum est: *Ποιάντιος υἱός*, Pindaricum *Δεινομένειε παῖ*. Cfr. Ahrens Dial. Aeol. p. 214. Dial. Dor. p. 527. *Ἀριστομάχειος* autem, ut *Ἀντιμάχειος*.

sunt, me cum pedibus eas emensus essem, frustratum illico in Antiphanis jurasse sententiam:

ἓν καινὸν ἐγχείρημα κἂν τολμηρὸν ᾖ
πολλῶν παλαιῶν ἐστι χρησιμώτερον·

ipsum tamen aperire litis arenam noluisse. Nam si quid aliis ego rectius videro, ipsa vincet veritas, sin erravero, socios habuisse errorum, cum vile erit, tum nihil literis frugi solatium. Itaque plurimorum commenta, sciens ne commemoravi quidem, Welckerum autem, citius pressisse vestigia nuper demum a Schneidewino Bipparto datum laudi scio, utpote quo speciosiorum suspicionum arbitrum, eo mihi periculosiorum, ubi non invulnerabilem comprehendi lacessivi magis velitum armis quam triariorum impugnavi; Bodium denique, eo duntaxat consilio passim advocavi, ut demonstrem, quid suppellex critice disposita distet a farragine semimortua compilatoris qui, modo rudem indigestamque locorum excerptorum molem contextui subterstruxerit, jejuno propriique satis experti judicii, literarum a se contextam historiam esse allucinetur. Neque hoc aliorum oculos fugit.

Itaque ipse ego his capp. in veterum afferendis scriptorum testimoniis, ne cui nimius viderer veritus, nescio an me praestiterim parciorem. Quod ante omnia in mythicis rebus esse factum culpabunt fortasse, quibus istae cordi sunt, verum ego, cum in disquisitionibus ad literarum historiam pertinentibus attentioni lectitantium nihil officere noverim experientia edoctus tantopere, quam curiosiores quaedam in mythicas res digressiones, sicubi exspatiandi et locus et animus superesset, in spargendis quae ad literaturam ejusque historiam pertinerent, cum suspicionibus tum cogitationibus, prodigus esse malui. In solo tamen cap. VI. pertexendo dolui, quod nonnullarum fabularum ad nos paulo subobscurior memoria pervenerit, nec fugit me credibilitati eorum, quae docturus eram, interdum consultum melius fuisse, si in locum absconditae cujusdam et doctae, ut ita dicam, fabulae, unius duntaxat scriptoris fide fultae, potuissem aut in vulgus nota, aut pluribus certe testibus confirmata congerere. —

Quae cumprimis propter Achillem Praxillae ac Memnonem Simonidis disputo. Sed his largiori fortasse manu succurrent, qui me sunt in mythica domo versatiores. Nobis enim hanc ibi stabilisse sententiam sufficiet, nulli unquam dithyramborum jure opprobratum illud esse: οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Eandem vituperationem non vereor, ne quis in Diatribes nostrae cap. VIII. conjiciat; quod nec ipsum ad Dionysum proprie pertinere videri possit, videbitur tamen, modo quid Baccho cum Musis familiaritatis intercesserit, in memoriam revocaveris. Nihil dico amplius.

CAPUT V.

DE PATRIA DITHYRAMBI.

Dithyrambi investigaturi primordia, si veterum imitari literatorum hominum velimus consuetudinem, quorumlibet carminum initia ex Homeri poematis derivandi, ne nos quidem Homerici aliquot versiculi deficerent, unde jam huic poetarum principi cognitum dithyrambum quoque fuisse, sufficienter comprobare possimus. Atque Jacobus quidem in Quaestt. Soph. p. 82 in duobus Homeri locis suo sibi jure dithyrambi vestigia invenisse visus est.

Il. VI, 132.

ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας ————
σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον· αἱ δ' ἅμα πᾶσαι
θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν

et Hymn. XXV, 10.

— — — — *αἱ δ' ἅμ' ἕποντο*
Νύμφαι, ὁ δ' ἐξηγεῖτο, βρόμος δ' ἔχεν ἄσπετον ὕλην.

Verum tamen, si aetatem tulissent Damageti Heracleotae de dithyrambicis poetis commentarii, quos in epitomen redegisse Demosthenem Thracem Suidas auctor est, s. v. *Δημοσθένης Θρᾴξ*, in his, inquam, libris Homericos istos versus in ea, quae de dithyrambi primordiis quaestio est, respectos non fuisse sat multos sponderem nummos. Neque Damagetus aut si quis alius lyricae poesis concinnavit historiam utrum illos Homericos locos an Il. XVIII, 561 in censum vocaverint, novisse plurimum interest, cum dithyrambum ab Arione demum

inventum, suoque donatum nomine, primum Corinthi edoctum esse, diserte antestetur Herodotus I, 23. *τῷ δὴ λέγουσι Κορίνθιοι, ὁμολογέουσι δέ σφι Λέσβιοι ἐν τῷ βίῳ θῶυμα τὸ μέγιστον παραστῆναι. Ἀρίωνα τὸν Μεθυμναῖον ἐπὶ δελφῖνος ἐξενειχθέντα ἐπὶ Ταίναρον, ἐόντα κιθαρῳδὸν τῶν τότε ἐόντων οὐδενὸς δεύτερον καὶ διθύραμβον πρῶτον ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν ποιήσαντά τε καὶ ὀνομάσαντα καὶ διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ.* Quocum etiam Aristoteles facit apud Procl. Chrestom. p. 419 sq. (Lips. 1832.) *εὑρηθῆναι δὲ τὸν διθύραμβον Πίνδαρος ἐν Κορίνθῳ λέγει· τὸν δὲ ἀρξάμενον τῆς ᾠδῆς Ἀριστοτέλης λέγει Ἀρίωνα, ὃς πρῶτος τὸν κύκλιον ἤγαγε χορόν.* Schol. Aristoph. Avv. 1403. *Ἀντίπατρος δὲ καὶ Εὐφρόνιος ἐν τοῖς ὑπομνήμασί φασι τοὺς κυκλίους χοροὺς στῆσαι πρῶτον Λᾶσον τὸν Ἑρμιονέα, οἱ δὲ ἀρχαιότεροι Ἀρίωνα τὸν Μεθυμναῖον, Δικαίαρχος μὲν ἐν τοῖς περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, Ἑλλάνικος δὲ ἐν τοῖς Καρνεονίκαις* 56).

Certe nihil hoc loco luculentius, nihil intellectu facilius est, tamen neque Herodoti interpretes eum voluerunt intelligere, et qui de comoediae tragoediaeque primordiis quaestiones instituerunt, pars vel neglexit inspicere, pars vexavit, torsitque mirifice. E quibus maxime ii sunt reprehensioni obnoxii, qui pravis veterum etymologiis insistentes dithyrambum

---

56) Mecum sentit F. G. Schneidewin de Laso in Catal. Lectt. Gotting. p. 12. „Etenim quantum quidem in tanta primordiorum artis obscuritate sapere licet, Ario Methymnaeus, citharoedorum suae aetatis princeps recte parens perhibetur dithyramborum fuisse; h. e. carminum in Bacchi honorem a choro cyclio cantatorum." Idem vero in iis, quae statim subjecit, me assentientem nullo modo habebit: „Quae ille carmina, cum antea diversi loci diversarum gentium Bacchi religione insignes, ut Thebae, Naxos, Corinthus, popularibus cantibus Deum honorassent, ad artem et praecepta revocata certae speciei cum dignitate tum appellatione a cognatis generibus carminum elimavit." Nego enim primum reliquarum gentium carmina antea caruisse arte, deinde vero cetera illa in Bacchi honorem composita carmina cum dithyrambo ne comparari quidem possunt, quoniam Arionem aut Corinthiorum aut Naxiorum cett. Bacchicum carmen usitatum ac patrium, cyclio invento choro in dithyrambum transformasse minime legimus; sed, id quod mox probaturi sumus, dithyrambum non nisi Arionis opera mentioneque innotuisse verisimile est.

fere cum ipso Dionyso subnatum putant, ut, sicubi deus et cognosci et coli coeperit, furibundo simul dithyramborum sonitu reconuisse civitatem persuasum habeant. — Vid. Fr. Snedorf. de hymnis vett. Graecc. p. 610. Petr. Fr. Kannegiesser *Die Comische Bühne von Athen.* p. 21. Jacob. Q. Soph. p. 111. Welcker. Add. p. 232. Baehr. *in Real-Encycl. des class. Alterth.* p. 1111.

Sed optime ad refutandos ejusmodi errores Odofr. Muelleri verba in Doriens. Tom. II, p. 372 inservire poterunt: „*Nämlich erstens versteht es sich von selbst, dass keine Stadt in Griechenland der chorischen Poesie ganz entbehrte, und Prosodien, Paeane, Dithyramben, sobald die Gattungen da waren, bald von einem Ende Griechenlands zum andern ertönten.*" Atque Jacobus etiam Quaestt. Soph. p. 83 cautius quam p. 111 in eo se continet, ut dithyrambum ex bacchatione et furore ortum dicat, nominatum initio ab aliis aliter, tamque varie etiam conformatum, ut veteres eum modo in Naxo insula, modo Thebis modo Corinthi inventum esse dicerent. Quamquam ex ipsa illa viri docti opinione satis apparet, neque ipsum Herodoti laudata verba, ea qua debebat simplicitate intellexisse, sed si ejusdem Q. S. p. 25 placet evolvere, eum ab eadem sententia stantem videre licet in qua Luetckium etiam p. 23, 4, Plehnium Lesbiac. p. 165. Baehrium l. c. p. 1111 fuisse video, dithyrambum ab Arione non tam inventum, quam perfectum esse. At vero hi non computaverunt velocissima Grajugenarum camoenarum incrementa. Quid enim? „Ex quo Bacchus, inquiunt, exinde dithyrambus, cujus si Diis placet rudia et incondita elementa Ario artificiis perfecit et excoluit, unde merito possit inventor dici; deinde vero post Arionem neque Lasus indignus habitus est, qui inventoris nomine donaretur, quippe qui proprium ac perfectum carminis genus, novis adstrictum regulis primum in certamen contentionemque produxerit." Itaque si Arionem cum Suida Olymp. XXXVIII floruisse credimus, Lasum vero teste Herodoto VII, 6 ad Hipparchi fere tyrannidem sive Olymp. LXIII, 4 revocamus, post demum plus, quam centum annorum spatium dithyrambum in certamen venisse statuendum

esset, quod quidem non modo pro alacritate Graecorum ingeniorum incredibile est, sed ne aliunde quidem vel levissimam analogiam arcessere poterit. Tametsi enim, quando primum epica poesis suborta sit, ignoremus, tamen Deliacum istud Homeri Hesiodique certamen rhapsodicum[57]) omnium in ore atque memoria versatur; tragoedia vero, cum semel artificio Thespidis in lucem prodiit mox etiam aemulos conspexit nobilissimos de palma principatuque tragico omni virium ingeniique contentione decertantes. Denique nullum fere apud Graecos poeseos genus inventum est, quod non a tenera inde aetate certaminibus vires tentando invalesceret, brevique egregiam quandam et praestantiam et proprietatem nancisceretur. Itaque dithyrambo idem accidisse perquam credibile est, qui si a Laso primum Athenis in certamen deductum est; (cf. Marm. Par. ep. 27, p. 23 Wagn. Burett. Mem. Ac. Tom. XV, p. 324. Jacob. Quaest. Soph. p. 61. Wagner l. c. p. 35. Schneidewin l. l. p. 12) haud dubie aliquanto prius eandem alibi mutationem expertus est, ita ut prima ipsius indagantis vestigia sponte fere ad Arionis usque aetatem reducamur. Neque Athenaei aliquis mihi objiciat testimonium XV, p. 628 A. ex Archilocho[58]), quem LX fere annos Arione superiorem fuisse constat, hosce proferentis tetrametros:

ὡς Διωνύσου ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
οἶδα διθύραμβον οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας.

quos, si ab Archilocho Pario poeta profecti essent, Herodoto incognitos remansisse vix credi potest, licet me non fugiat, ipsum illum Herodoti locum (I, 12)[59]) in quo jambi cujusdam Archilochii in Gygen mentio fit, supposititium haberi ab editoribus. Itaque, cum Callimachi fragmentum 223, *τοῦ τε μεθυπλῆγος φροίμιον Ἀρχιλόχου* aperte hunc locum respiciat,

---

[57]) Cf. Welcker Hom. Phaeak. in Mus. Rh. Vol. I, p. 256 (ann. 1833).

[58]) Archil. fr. XXXVIII, ed. Liebel. (fr. 72 in Th. Bergkii PLG.)

[59]) . . . *Γύγης τοῦ καὶ Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γενόμενος ἐν ἰάμβῳ τριμέτρῳ ἐπεμνήσθη.* Bergk. P. L. G. fr. 21, p. 472 optime Herodoto hunc locum servavit. Cf. Ilgen de Scol. Poes. p. 183 sqq. XXX. Ritschl *die Alexandr. Biblioth. p.* 139.

quae A. Meinekii est observatio in Bergkii PLGr. p. 483, propensior sum ex Callimacho Athenaeum, quam invicem emendare. Cfr. Meinek. Delect. Anthol. p. 121 licet ibi v. cl. correxerit Ἀρχίλοχος. Tamen Antilochi poetae mentio haud scio an omnino non plane obscurata sit, quamquam propter librariorum compendia res sit impeditissima suum utrique poetarum istorum reddendi. Utut est, occurrit certe Antilochus poeta, cujus nomen non nisi memoriae lapsu in Archilochi mutavit J. G. Voss. p. 14. „Fuit et alter Archilochus, de quo Ol. XCIV." Ibi tamen recte „Ol. XCIV in honore erat Antilochus, qui cum carmine Lysandri laudes scripsisset, ab eo Plut. teste donatus est pileo laconico argenti pleno." Neque ut hoc statim in transcursu moneam illud verum esse puto, quod Koesterus de Graecor. cantil. popul. p. 71 et Jacob Q. S. p. 66 [60]) ex hoc ipso Antilochi loco collegerunt, dithyrambos reliquorum hymnorum instar initio convivales fuisse [61]), quamquam nec ipse negaverim postea vel hos inter scyphos decantatos esse. Verum tamen hi non proprie fuerunt convivales, aut scoliorum instar a convivis inter bibendum ad lyram tibiamve compositi, sed veluti nostrates quoque animis in laetitiam strepitumque compulsis, novissimas usque cantilenas

[60]) Suspicatur ibi hoc imprimis apud Icarios in usu fuisse; in testimonium advocatis Luciano de Saltat. II, p. 291. Deorr. Conc. 5. III, 530. Aeliano H. A. VII, 28 ed. Gronov. cl. Strabone Geogr. X, 4, 28. Neque id solos in dithyrambos cadere disserit, sed in tragoedias etiam comoediasque. Similiter ante eum J. W. Kuithan in libro permiro: „*Versuch eines Beweises, dass wir in Pindars Siegeshymnen Urkomoedien übrig haben die auf Gastmahlen gesungen wurden.*" *Abth. I. p. 75.* „*Dass die tragischen Chöre viel in Gesellschaft gesungen wurden, wissen wir*" *p. 32.* „*Auch dies* (Plato Symp.) *deutet darauf hin, dass jede Art Hymnen berühmter Dichter um die Zeit gewöhnlich auf Symposien gesungen wurden,*" adversus quem disputavit Boeckhius Annal. Heidelberg. Tom. II, fasc. 9. p. 12 (109). De Lino contra et Paeanibus res constat. cf. Alcman ap. Strab. X, p. 482. (Bergk. PLGr. p. 541 fr. 11).

[61]) Temperare mihi non possum, quin animi caussa perridicula subscribam Gaspar. Abelii medici verba: „*Und glaube ich nicht, dass Dithyrombos, welcher dem Baccho zu Ehren allerhand Sauflieder gesungen haben soll, scheusslicher geklungen habe.*"

referre et recitare incipiant, sic apud veteres quoque unus alterve convivarum ex dithyrambo publico nuper edocto, privatim etiam mox succinentibus cunctis repetebat canticum. Quod quidem optime ex Luciani loco intellegitur, quem hucusque a nemine video respectum, in Timone §. CVII. *ἀλλὰ ποῦ τὸ συμπόσιον; ὡς καινόν τι σοι ᾆσμα τῶν νεοδιδάκτων διθυράμβων ἥκω κομίζων.* Loquitur Gnatho Parasitus. Etenim quod Proclus in Chrestomathia p. 419 Lips. ajat: *Ἔοικε δὲ ὁ μὲν διθύραμβος ἀπὸ τῆς κατὰ τοὺς ἀγροὺς παιδιᾶς καὶ τῆς ἐν τοῖς πότοις εὐφροσύνης εὑρεθῆναι·* hoc nostrae opinioni obtrudi nequit. Primum enim hoc tantum innuit Proclus: videri sibi dithyrambum ex laetitia convivali duxisse originem, nec vero dicit hoc a quoquam tradi, deinde neque in eo verum mihi praecepisse videtur, quod ejusdem carminis primordia ex rusticis bacchanalibus repetat, cum dithyrambum in Graecia certe aeque proprie ad urbem pertinuisse credam, quam ad ruralia festa ithyphallica. Scio tamen aliter sentire Welckerum (Nachtr. p. 233). Neque Telestae Selinuntii verbis ap. Athen. XIV, p. 625 F. 626 a.

πρῶτοι παρὰ κρατῆρας Ἑλλήνων ἐν αὐλοῖς
Πέλοπος ματρὸς ὀρείας φρύγιον ἄεισαν νόμον,
τοὶ δ' ὀξυφώνοις πηκτίδων ψαλμοῖς κρέκον —
Λύδιον ὕμνον.

me vinci posse confitebor, quippe in quibus ne verbum quidem de dithyrambis convivalibus insit, sed de consuetudine tantum inter vina et crateras ad tibias ac citharam canendi agatur; quod simillimo Pindari in Scoliis fragmento optime declaratur:

Τόν ῥα Τέρπανδρός ποθ' ὁ Λέσβιος εὗρεν
πρῶτος ἐν δείπνοισι Λυδῶν
ψαλμὸν ἀντίφθογγον ὑψηλᾶς ἀκούων πηκτίδος.

Legitur apud Athen. XIV, p. 635 D.

Sed revertimur, unde egressi sumus, ad Arionem, cujus tacito nomine etiam Pindarum Olymp. XIII, 25 meminisse volunt. Sic enim Schol. Vet. h. l. p. 271 Boeckh. *αἱ τοῦ Διωνύσου διθυράμβων χάριτες ἐν Κορίνθῳ ἐφάνησαν, τουτέστι τὸ σπουδαιότατον τῶν Διονύσου διθυράμβων ἐν Κορίνθῳ*

πρῶτον ἐφάνη· ἐκεῖ γὰρ ὠράθη ὁ χορὸς ὀρχούμενος. ἔστησε δὲ αὐτὸν πρῶτος Ἀρίων ὁ Μεθυμναῖος. εἶτα Λᾶσος ὁ Ἑρμιονεύς. §. Ἄλλως. συνίστησι γὰρ ὅτι πρῶτος ἐν Κορίνθῳ διθύραμβος εἰςήχθη, ὅς ἦν κύκλιος χορός. Ἀρίωνος τοῦ Μεθυμναίου συστήσαντος αὐτόν. Jam vero cum de inventore dithyrambi nobis satis constet, etiam ulterius progrediendi faciamus periculum, neque amplius, cui inventum sit acceptum referendum, litigemus, sed jam cum Pindaro quaeramus:

Ταὶ Διωνύσου πόθεν ἐξέφανον
Σὺν βοηλάτᾳ Χάριτες
Διθυράμβῳ;

Nec mihi cum alio Scholiasta ad h. l. respondeat quisquam: οὐκ ἀπὸ Κορίνθου; §. δηλονότι ἐν Κορίνθῳ. Is enim longe a vero aberraverit.

1) Etenim dithyrambum Graeci quidem Corinthiis acceptum retulerunt, Corinthii vero Arioni, qui, unde ipsum terrarum induxerit Corinthum, eorum subterfugere neminem poterit, qui Graecarum fabularum, quatenus ad inventiones in musicis rebus peregre illatas pertinent, mediocriter tantum noverit faciem indolemque. Ac rectissime quidem Jacobus Quaestt. Sophocl. p. 69. cf. p. 72 dithyrambi inventionem abjudicandam esse Graecis statuit — „dithyrambi vero, ait, et tragoediae et phallicorum prima initia, quis in Graecia credat orta esse, cum haec omnis poesis ad Bacchi religiones pertineret." — idem vero in eo admisisse errorem manifestus est, quod Phrygiam carminis patriam arbitratur, tum quia furibundae commissationes, quas fingit, vix aliunde derivari queant, tum quia hircus, quem in dithyramborum quoque praemiis suum obtinuisse locum videbimus in ipso potissimum Asiatico sive Phrygio Dionysi cultu symbolum procreantis naturae fuerit praestantissimum. Phrygium carmen esse dithyrambum etiam Theodorus Menke statuere videtur in *Lydiacis* (*Berol. 1843. 8*) *p. 46* eo commotus, quod teste Aristotele dithyrambi plerumque Φρυγιστί compositi fuerint. Ceterum Jacobus licet a scopo, quem appetiverat, longinque aberraverit, ab initio tamen in via rectissima progressus videtur; siquidem et ipse in demonstrandis hujus poematis incunabulis, non magis a

natura illius Bacchici numinis, quod eo de quo agitur, carminum genere celebrari solebat, quam praemiis symbolisque in sacris ejusdem usitatis, non levia argumenta rationesque deducam.

Sed revertor ad Arionem, quem a Tarento profectum ad Taenarum promontorium appulisse delphino vectum, per erat vulgata fabula; poetis pariter ac prosariae orationis scriptoribus affatim decantata. Pendet autem ejusdem aut fabulae explicatio, aut si facti mavis comprobatio a tribus potissimum quaestionibus, quarum prima de Arionis simulacro aeneo, altera de delphinis, tertia denique de hymno quem Arionis vulgo ferunt, versabitur, quem in modum Welckerus etiam in Museo Rhen. 1833 disputavit. Ac de signo quidem in Taenaro posito multi veterum tradiderunt, quorum ordinem ducit Herodotus I, 24. *καὶ Ἀρίονός ἐστι ἀνάθημα χαλκέον οὐ μέγα ἐπὶ Ταινάρῳ, ἐπὶ δελφῖνος ἐπεὼν ἄνθρωπος.* Succedit Pausanias III, 25, 5. *ἀναθήματα δὲ ἄλλα τέ ἐστιν ἐν Ταινάρῳ καὶ Ἀρίων ὁ κιθαρῳδὸς χαλκοῦς, ἐπὶ δελφῖνος.* Plut. Symp. c. XVIII. Aelian. H. A. XII, 45. Dio Chrysostom. orat. XXXVII (II, 102 Reisk.) Schol. Tzetzis Cram. Anecd. Oxon. III, p. 352. Anonym. ap. eund. Tom. III, p. 222. Gell. N. A. XIV, 19. Servius ad Virg. Ecl. XIII. Cfr. Meursius Misc. Lacon. IV, 11. p. 291 sqq. Itaque hujusmodi signum „delphinum vehentem et hominem insidentem" Taenari fuisse extra dubitationem positum videtur; quamquam e recentioribus Stephanopolides fratres doctis lupinas vendere pro aere voluisse satis evicit Manso in programmate Wratisl. 1831. *„Ueber die Mainotten die vermeintlichen Abkömmlinge der Spartaner" p. 15.* Nimirum isti in libro quodam famosissimo; cui titulum indiderunt: Voyage de Dimo et Nicolo Stephanopoli en Grèce pendant les années V et VI, à Londres 1800 (a Paris chez Besson, Prudhomme et Dugour) narrant: „alteri cum Taenari versatus sit, duas repertas esse statuas insignis vetustatis, quarum altera hominem lyram pulsantem, altera feminam pharetra decoram repraesentasset; neque dubitare sese affirmant, quin viri imagine Ario expressus sit, quem appulisse quondam Taenarum neminem fugiat. Nam inscriptionem neograecam, in

basi statuae exaeratam se non curare, quippe quae aperte falsario cuidam monacho debeatur." Cfr. Tom. I, p. 256 sqq. (c. XXVI). Itaque veteribus testibus si credimus simulacrum hujusmodi exstitisse, etiam alterum illud facile largiemur, ipsus hoc anathema fuisse Arionis, modo teneamus hoc, quod nescio unde acceptum tradiderit Servius l. l. „Arionem ad memoriam casuum suorum, in templo Apollinis delphini signum posuisse;" quam ad rem infra mihi redeundum erit. Neque omittam, quae plurimum ad solvendam quaestionem nostram facere videtur, inscriptionem quandam de Arione genuinam, a Boeckhio editam inter Therae insulae inscriptiones sub n. 5. in Comment. Acad. scient. Boruss. 1836, p. 71—78.

Nϟ TON ΔΕΛϚΒϟΜ

Ǝ. .ƎΔΑ. ΜΟƎΛꟻΥ.

Haec Boeckhius in hunc fere modum supplenda arbitratur:

[Κυκλείδης Κ]υκλῆος ἀδε[λφ]ε[ιῶ Ἀρίω]νι

τὸν δελφὶς [σῶαε, μναμοσύναν τέλεσεν]

atque p. 73 explicationis caussa addit: *Mit dieser Hypothese ein Bruder des Arion habe dessen Andenken in Thera gefliert, steht dasjenige in vollem Finklang, dass der Poseidon von Thera, bei dessen Tempel diese Felsinschrift sich befinden möchte, schwerlich ein andrer als der Taenarische war.* Unde patet non compertum habuisse Boeckhium, vere, ne ad Neptuni templum reperta haec inscriptio sit, nec ne. Omnino illud tenendum est, Neptuno ab Arione in hymno tantummodo salutis benificium edite referri acceptum. Verum hoc nunc non agitur; tamen hoc certe lapis iste si quidem inscriptionis argumentum, quod non infitior, recte a Boeckhio perspectum est, nos edocet, vel Arionis cognatos propagandam portenti istius notitiam pro virili curasse.

Transeo igitur ad delphinos, in quibus totius rei versari cardinem cum suapte pateat, id ipsum licet ab omnibus viris doctis repetitum sit, tamen eodem fere momento ipsorum memoriae elapsum videtur. Certe, quae attulerunt, aut prorsus a re aliena sunt, aut expediunt nihil. Confidenter enim, ideoque satis spesiose, at speciose tantum Odofr. Muellerus dispu-

tat Dor. Tom. II, p. 369 not. 3, cui assentitur Plehnius Lesbiacis p. 166: *„Zu Herodots Stelle bemerke ich, dass wir wunderbarer Weise die Fabel von Arions Delphinenfahrt noch in ihrem Entstehen darlegen können. Die tarentinische Kolonie war von Taenarum nach Italien geschifft, mit Rath und Schutz des taenarischen Neptun (Band 2, p. 126). Dies stellt der Mythos dar indem er den Taras auf einem Delphin schwimmen lässt (p. 216). Nun soll Arion gerade dieselbe Fahrt, nur in umgekehrter Richtung gemacht haben, auf dieselbe Weise, und die Musikliebe der Delphine, vielleicht noch ein andrer Umstand musste helfen die alte Sage auf ihn zu übertragen."* Dixi hoc excogitatum esse speciosissime, verendum tamen, ut recte. Primum enim, cum a Tarento proficisceretur Ario, non Taenarum appetebat sed Corinthum, adque Taenarum promontorium casu tantum appulit, neque si ab initio Taenarum appetiisset rem inauditam atque singularem ausus esset, cujus ne abolesceret memoria statuae dedicatione cavendum erat; denique Taranti sane cum Neptuno res intererat, Arioni non erat. Heynius Comment. Gott. XIV, 117 et Creuzerus in Programm. I et II Mythorum ab artis opp. profect. 1803. Symbol. II, 606, quid senserint, exposita breviter videsis apud Welckerum l. l. qui aliorum rejectis sententiis, ab ea re fabulae explicationem pendere censet, quod ipse Ario veram eorum, quae perpessus sit historiam allegorice expresserit. Sic enim p. 398 summam disputationis proponit: *„Und so sagen wir denn, um den Hymnus zu retten, da Arion eine wunderbar glückliche Rettung von räuberischen Nachstellungen die er auf einer Seereise wirklich bestanden hatte und deren Umstände in den Styl des Dankhymnus an Neptun nicht eingingen durch Beistand der Delphine ausdrücken wollte, so war er genöthigt die erfahrnen Angriffe auf sein Leben oder seine Habe in ein Stürzen in See zu verwandeln, und wer den mythischen Ausdruck des ersten, der nicht neu war, verstand, konnte nicht darüber in Zweifel sein, dass auch das Zweite nur bildlich zu nehmen sei. Ist dies gegründet, so ist klar, dass an der ersten Entstehung der Geschichte die*

Musikliebe der Delphine keinen Antheil hatte, aber nicht ohne Absicht berührte sie mit einem Wort Arion, und die welche die Erzählung ausbildeten, und für den Sänger selbst sich zu begeistern das Recht hatten, benutzten sie geschickt, um das Anziehende und rührende derselben zu vermehren und durch neue Wunder der Kunst den Arion neben den Orpheus und Amphion zu erheben. — At quanta, quaeso, haec allegoria. Illis vero exemplis omnibus, quae ex mythologia de hominum in delphinorum tergis equitationibus collegit, nihil prorsus efficitur. Sed si Arion prodigiosa equitatione a Tarento Graeciam proficiscitur, huic narrationi eadem vis inest, atque si e. g. „lacerati Orphei caput cum lyra in mare dejectum ad Lesbum insulam delatum esse narrant" ii, quos laudat Bodius de Orpheo p. 86, aut „Marsyae tibias ferunt, in Menandrum conjectas, deinde maris fluctibus in Aesopum delatas et in Sicyonia a pastore repertas esse"; neque aliud quidquam vult, nisi novum quoddam atque in Graecia hucusque inauditum musices genus Arionis opera a Tarentinis immigrasse transmare in Graeciam. Aptissime vero delphino vehentem finxerunt vatem; quos *φιλομούσους* tota celebravit antiquitas; imprimis vero *φιλαύλους* et saltatores eos laudarunt, unde Aristophan. Ran. 1324:

Ἵν' ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελφὶς
Πρώρας κυανεμβόλους

quocum Anton. Westermann Meletem. III. Actt. Soc. Graec. Lips. 1836, p. 11 conferri jubet Nonn. Dionys. XXXVIII, 370. *κυβιστητῆρι δὲ παλμῷ ἕλιξ ὠρχήσατο δελφίς.* Pindar. ap. Plut. Symp. Quaestt. VII, 5. 2.

. . . . *ἁλίου δελφῖνος ὑπόκρισιν*
τὸν μὲν ἀκύμονος ἐν πόντου πελάγει
αὐλῶν ἐκίνησ' ἐρατὸν μέλος.

Poeta incert. apud Cramer Anecd. Paris. Tom. IV, p. 275, 23. *δελφὶς παραπλεῖ καὶ περιπλεῖ τὴν λύραν*; quo in carmine caveas ne versum primum: *Ὀρφεύς τις ἢ Θάμυρις ἢ καὶ Κινύρας* corrigas in *ἤ τις Θάμυρις* quippe quod hic poeta in nominum prosodia saepe peccaverit.

Denique in ipso Arionis hymno v. 4.

βραγχίοις περὶ δὲ σὲ πλωτοὶ
θῆρες χορεύουσι κύκλῳ
κούφοισι ποδῶν ῥίμμασιν
ἐλαφρ' ἀναπαλλόμενοι, σιμοὶ
φριξαύχενες, ὠκυδρόμοι, φιλόμουσοι.

Novum autem illud genus poeseos, quod ab Arione introductum esse, fabula illa notissima expresserunt, dico dithyrambum, cujus ipse ideo inventor est habitus. Qua in re ne de delphinis quidquam dubii remaneat, advocari in testimonium licebit Pindarum in fragmento, quod Isthmiis addidit ex tribus codicibus Boeckhius; ap. Bergk. p. 216 fr. 4.

οἷοι δ' ἀρετὰν
δελφῖνες ἐν πόντῳ ταμίαι τε σοφοὶ
Μοισᾶν ἀγωνίων τ' ἀέθλων.

Ecquis unquam audivit delphinos *ταμίας ἀγωνίων ἀέθλων*; quae musica intellegenda certamina ex praecedentibus verbis non dubium videtur. Equidem mihi nihil hujusmodi compertum est; at in Isthmico carmine ad collaudandam Corinthum „licet obliquo cursu" quam apta dithyrambicorum certaminum delphinis praesidibus mentio erat! De certaminibus praeterea locus memorabilis est Pausaniae II, 36 ubi narrat Hermionenses Baccho Melanaegidi consuevisse celebrare tum certamen musicum, tum *κολύμβου καὶ πλοίων*. Quid quaeso Baccho et certaminibus musicis cum certamine *κολύμβου καὶ πλοίων?* Atqui Hermionenses quoque bonis poetis dithyrambicis insignes erant, modo Lasi Hermionensis memineris, neque dubito quin certamine illo musico dithyrambos inprimis sub judicium miserint poetae, certamen vero navium et submergendi ab Hermionensibus in Arionis memoriam instituerint. Ante omnia vero memorabile hoc est, quod grypho quodam Simonidis Cei conjunctos habemus d e l p h i n u m, h i r c u m et d i t h y r a m b u m. Legitur apud Chamaeleontem Athen. XIV, pag. 456 C.

Μιξονόμου τε πατὴρ ἐρίφου καὶ σχέτλιος ἰχθὺς
πλησίον ἠρείσαντο καρήατα· παῖδα δὲ νυκτὸς

δεξάμενοι βλεφάροισιν, Διωνύσοιο ἄνακτος
βούφονον οὐκ ἐθέλουσι τιθηνεῦσθαι θεράποντα[62]).
. . . . . . *οἱ δὲ εἰς ἐπιτόνιον ψαλτήριον δελφῖνα καὶ τράγον εἰργασαμένου εἰρῆσθαι, καὶ εἶναι τὸν βούφονον καὶ τὸν Διωνύσου θεράποντα τὸν διθύραμβον.* Quae gryphi explicatio licet fortasse vera non sit, docet tamen, intercessisse aliquam cum dithyrambo delphinis consuetudinem. — Accedit quod delphini sine controversia Baccho antiquissimo sacri fuerunt. Ed. Gerhard *Auserlesene Vasenbilder. Berl. 1840. (p. 121). Der neptunische Delphin ward beiden* (sc. Dionyso et Apollini) *erst später fremd. Dionys unter den Tyrrhenern als fruchtbarer Naturgott*; et sqq. Valuit enim in Naxo imprimis insula antiqua fabella quaedam de Tyrrhenis praedonibus a Baccho quondam in delphinos commutatis, quae cum ex homer. hymnis (VI, 53) Apollodoro III, 5, 3. Ovid. Metam. III, 582. Hygin. fab. CXXXIV notissima est, tum etiam nunc Athenis conservatur in sepulchrali Lysicratis monumento, pulcerrime ut ferunt expressa. Stuart. antiq. of Athen. c. 4. Ruines de Grece par Roi T. 10, p. 34. Ac Tyrrhenos quidem, tametsi Heynius in Commentt. de Castoris epochis Nov. Comm. Soc. Gotting. Tom. I, p. 80. III, p. 38 et in Observatt. ad Apollod. p. 233 affatim moneat, non Etruscos cogitandos esse sed Pelasgicos, mihi tamen Italos potius subintellegendos esse persuasum est, quoniam antiquitus inter Tyrrhenos istos

---

[62]) Non omisit hunc gryphum Nicol. Reusner in Aenigmatographia sive aenigm. et gryphorum Sylloge (Frank. 1602) p. 53 et 73, quorum carminum mentione facta proferam Athenaei locum X, p. 452 f, in quo absoluta de Cleone narratione pergit auctor: *ὅσπερ καὶ τῶν Ἰταλικῶν μίμων ἄριστος γέγονεν ὑποκριτής, καὶ γὰρ Νυμφοδώρου περιῆν ἐν τῷ μνημονευομένῳ μίμῳ.* Quo loco Ern. Koepkius in libello de hypomnematum Graecis scriptoribus Berol. 1842. p. 30 sq. adhibito, merito in verbis: *ἐπὶ τῷ μνημονευομένῳ μίμῳ* haesens, satis multus est. Quid vero si titulum mimi in his verbis inesse suspiceris? Namque mimos etiam suis insignitos nominibus fuisse, ignorat nemo. Conjicias e. g. *ἐν τῷ Κακομνήμονι μίμῳ*, cujus nominis inter Latinos quoque mimum edolatus erat Laberius ap. Gellium XVI, 7. Cfr. Lud. Zieglerus de Mimis Romanorum (Gott. 1788. 8.) p. 55.

Dionysumque simultates intercessisse quam plurimas, fabula videtur antiquissima. Etym. M. v. κολώνεια: κτητικὸς τύπος εἰς ἰδιότητα ἀναπέμπεται. φασὶ γὰρ τὸν Διόνυσον τὸν ἐπὶ Τυρσηνοὺς ἀπιόντα πόλεμον τοὺς γεγηρακότας τῶν Σειληνῶν μετὰ τῆς ἀχρήστου ἡλικίας ἐν Ἰταλίᾳ καταλιπεῖν· τοὺς δὲ τραπῆναι ἐπὶ ἀμπέλου ἐπιμέλειαν καὶ ἔνοινον γενέσθαι τὴν Ἰταλίαν· quem locum a Grysario etiam de Comoed. Dor. p. 37 adhibitum in rem suam video. Nobiscum facit Aristides Tom. I, p. 50 ed. Dindf. Ἰνδοὺς καὶ Τυῤῥηνοὺς λέγουσιν ὡς διεστρέψατο αἰνιττομένους ἐμοὶ δοκεῖν διὰ μὲν τῶν Τυῤῥηνῶν τὰ πρὸς ἑσπέραν. Cfr. Henr. Vales. Emendd. pag. 113. Pertinet huc etiam Servii locus ad Virg. Aen. III, 349: „Nonnulli dicunt a Marsya rege missos e Phrygia regnante Fauno, qui disciplinam auguriorum Italis ostenderent." Nec non inter se comparavisse, juvabit Varron. ap. Macrob. Saturn. III, 4 et Virg. Aen. I, 738. Cfr. Gail Recherches sur la nature du culte de Bacchus en Grèce p. 250, 290. Creuzer Dionys. p. 150 sq. Neque Alexander Aetolus ap. Schol. Theocr. hypoth. carm. VIII. omitti debet: Ἀλ. δέ φησιν Ἀιτωλὸς ὑπὸ Δαφνίδος μαθεῖν Μαρσύαν τὴν αὐλητικήν. Sic enim conjecit Meinek. Anal. Alex. p. 250. Vulgo μουσικήν. Ex Tyrrhenis igitur praedones nonnulli Bacchum infestare conati, mox impietatis poenam dederunt. Namque ut narrat Apollodorus III, 5. 3. τὸ σκάφος ἔπλησε κισσοῦ καὶ βοῆς αὐλῶν, οἱ δὲ ἐμμανεῖς γενόμενοι κατὰ τῆς θαλάττης ἔφυγον καὶ ἐγένοντο δελφῖνες· unde apparet simul quid sibi ista in Delphinos commutatio velit. Innuitur eadem, Bacchi divinitus immisso furore atque musica factum esse, ut Tyrrheni ferocissimi initio ac Bacchi mitiori numini infestissimi homines mansuefierent postea inque honorem spreti et neglecti dei saltationes et choreas ediscerent. Egit de fabulae hujusce explicatione Guil. Engel Quaest. Naxiis p. 37 §. 10 eamque, Muelleri Etrusc. I, p. 286 sententiam secutus, e proverbiali loquendi genere natam putat, ut Neptuni delphinus sit dictus audacissimus quisque et intrepidus navita. Sed huic etiam rationi, illud obstat, quod saepius monui, non de Neptuni delphinis sed de Bacchicis his in narratiunculis sermonem esse. Quae igitur si recte interpre-

tati sumus, apparet etiam hinc: quam apte Arionem, cum novum Bacchicum carmen in Graeciam ex Italia induceret, delphinis transjectum fingerent. Quid quod apud ipsos Tarentinos Bacchus repraesentari solebat delphino insidens? Exstat apud Raschium Lex. V, 1 viri delphino insidentis imago, qui manu tenet caprum, quod Baccho immolari solebat animal; (Creuzer Symb. III, p. 102. Mionnet. I, p. 147. Lorentz de rebus Tarentinorum sacr. p. 11), neque alium hominem aeque delphino vectum qui manu uvas protendit ap. Beger. Thes. Brand. Tom. I, p. 332. Spanhem. dVPN. p. 196 cum his viris doctissimis Tarantem nominaverim, sed ipsum potius Bacchum, cfr. Winkelmann Description des pierres gravées p. 256, quem in Tarentinorum numis saepius videmus una cum diota Bacchico symbolo depictum. Rasche Lex. V, I, p. 524, 7. Eckhel num. anecd. p. 37. Mionnet I, p. 138, 40. Suppl. p. 282. Lorentz. p. 10. Pariter Apollinis caput in numis Tarentinorum prope Delphinum conspicitur quo de videsis Lorentzium p. 8; de vetustate vero sacrorum Bacchicorum in Magna Graecia abunde dixerunt Grysarius de vett. Dor. Com. p. 35—40. Ad. Schoellius de orig. Gr. dram. p. 14—28 et Prellerus in R. E. d. cl. A. p. 1068—71.

Unum restat, quod moneam. Nam mirum alicui videri possit quod ab tota hac quaestione secludendam Neptuni mentionem duxerim. Cujus rei haec causa fuit, quod simulacrum illud in Taenaro aeneum Apollini dedicasse Arionem comperimus. Apollo vatem servavit non Neptunus; Apollo eum in somniis monuit, bono esset animo, divinum enim ipsi non defore auxilium. Verum ennim vero plerosque, qui de hac fabula inquisiverunt, seduxit Taenarii Neptuni celebritas. Obliti autem sunt, neque Apollini suos in Taenaro honores denegatos fuisse teste hymn. Apoll. 410—13.

ἷξον καὶ χῶρον τερψιμβρότου Ἠελίοιο
Ταίναρον κτλ.

Vid. Schoell. p. 60. Ac Corinthi quidem et Taenari idem Solis cultus vigebat; Wagner rerum Conrinthiacarum spec. p. 26, 29. Mueller Aeginetic. p. 29.

Superest tertia quaestio, de hymno Arionis, cujus maxi-

mam partem ab Aeliano H. A. XII, 45 et Tzetze ap. Cramer Anecd. Oxon. III, p. 352 servatam, genuinum Arionis musae foetum habuerunt Welckerus l. l. p. 398 et Bergkius PLGr. p. 566, 7, — quorum postremus carmen librariorum exstirpatis erroribus hunc in modum restituit:

Ὕψιστε θεῶν
πόντιε χρυσοτρίαινε Πόσειδον
γαιάοχ' ἐγκύμον' ἀν' ἅλμαν.
βραγχίοις περὶ δέ σε πλωτοί
θῆρες χορεύουσι κύκλῳ,
κούφοισι ποδῶν ῥίμμασιν
ἐλάφρ' ἀναπαλλόμενοι σιμοί
φριξαύχενες, ὠκύδρομοι σκύλακες φιλόμουσοι
δελφῖνες, ἔναλα θρέμματα
κουρᾶν Νηρεΐδων θεᾶν
ἅς ἐγείνατ' Ἀμφιτρίτα.
οἵ μ' ἐς Πέλοπος γᾶν ἐπὶ Ταιναρίαν
ἀκτὰν ἐπορεύσατε πλαζόμενον Σικελῷ ἐνὶ πόντῳ,
κυρτοῖσι νώτοις ὀχεῦντες
ἄλοκα Νηρεΐας πλακός
τέμνοντες ἀστιβῆ πόρον, φῶτες δόλιοι
ὥς μ' ἀφ' ἁλιπλόου γλαφυρᾶς νεώς
ἐς οἶδμ' ἁλιπόρφυρον λίμνας ἔριψαν.

At carmen hoc ab Arione perfectum esse, nunquam mihi persuaderi patiar, quod quo jure dicam ex iis patebit, quae in prioribus iterum iterumque de Neptuni commemoratione et delphinorum explicatione dixi. Itaque prorsus Boeckhii sententiae me addico, quam l. l. proposuit; narrari hymno isto fabulam de Arionis equitatione marina quasi veram historiam, sed hymnum ipsum serioris aetatis poetae deberi, qui Arionem tamen ista loquentem introduxerit.

Itaque totius hujusce disputationis summa haec est. Delphinorum fabulam aut ab Arione aut cognatis ipsius excogitatam esse, qua vatis de novationibus musicis merita atque memoria exornarentur; ideoque eam cum nobilitata dithyrambi inventione, Arioni adscripta, arctissime cohaerere, quippe qua non oblique indicetur, unde terrarum poesis id genus in Grae-

ciam immigraverit; delphinos denique, cum ad Bacchum et musicas res certaminaque musica, non ad Neptunum, cursumque vatis spectare maritimum, demonstrari satis queat; hymnum Arioni ipsi abjudicandum esse veri videri simillimum.

Haec igitur prima est causa, e qua dithyrambi incunabula ad Italos aut Magnam Graeciam transfero.

2) Accedit, quod dithyrambi Dionysus idem videtur atque Dionysus in Italia cultus. Ad quam demonstrandam sententiam necessarium est, ut integer exhibeatur locus Plut. Tom. XI, p. 228 sq. Hutten. *ἐὰν οὖν εἴρηται τις, τί ταῦτα πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα, οὐχὶ μόνον ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν Διόνυσον, ᾧ τῶν Δελφῶν οὐδὲν ἧττον ἢ τῷ Ἀπόλλωνι μέτεστιν. ἀκούομεν οὖν τῶν θεολόγων τὰ μὲν ἐν ποιήμασι τὰ δ' ἄνευ μέτρου λεγόντων καὶ ὑμνούντων ὡς ἄφθαρτος ὁ θεὸς καὶ ἀΐδιος πεφυκώς, ὑπὸ δή τινος εἱμαρμένης γνώμης καὶ λόγου μεταβολαῖς ἑαυτοῦ χρώμενος ἄλλοτε μὲν εἰς πῦρ ἀνῆψε τὴν φύσιν πάντως ὁμοίως πᾶσιν; ἄλλοτε δὲ παντοδαπὸς ἔν τε μορφαῖς καὶ ἐν πάθεσι καὶ δυνάμεσι διάφορος γιγνόμενος ὡς γίγνεται νῦν κόσμος ὀνομάζεται δὲ τῶν ὀνομάτων τῷ γνωριμωτάτῳ; κρυπτόμενοι δὲ τοὺς πολλοὺς οἱ σοφώτεροι τὴν μὲν εἰς πῦρ μεταβολὴν Ἀπόλλωνα τε τῇ μονώσει, Φοῖβόν τε τῷ καθαρῷ καὶ ἀμιάντῳ καλοῦσι. Τῆς δ' εἰς πνεύματα καὶ ὕδωρ καὶ γῆν καὶ ἄστρα καὶ φυτῶν ζώων τε γενέσεις τροπῆς αὐτοῦ καὶ διαμελισμὸν αἰνίττονται· Διόνυσον δὲ καὶ Ζαγρέα καὶ Νυκτέλιον καὶ ἰσοδαίτην αὐτὸν ὀνομάζουσι καὶ φθοράς τινας καὶ ἀφανισμοὺς καὶ τὰς ἀποβιώσεις καὶ παλιγγενεσίας, οἰκεῖα ταῖς εἰρημέναις μεταβολαῖς αἰνίγματα καὶ μυθεύματα, περαίνουσι καὶ ᾄδουσι τῷ μὲν διθυραμβικὰ μέλη παθῶν μεστὰ καὶ μεταβολῆς πλάνην τινὰ καὶ διαφόρησιν ἐχούσης·*

μιξοβόαν γάρ, Αἰσχύλος φησι, πρέπει
διθύραμβον ὁμαρτεῖν
σύγκοινον Διονύσῳ[62]).

[62]) Welcker Annal. dell' inst. archaeol. Volum. 1, 1829. p. 403' legit: *σύγκωμον Διονύσῳ* vertens: „Bacchicae comissationis socium." At hoc epitheton vereor, ne non conveniat dithyrambo, ut quod cum Como et Bacchis ebriis melius conjungi soleat. Aristoph. Acharn. 263.

τῷ δὲ παιᾶνα, τεταγμένην καὶ σώφρονα μοῦσαν, ἀγήρω τε τοῦτον καὶ νέον, ἐκείνον δὲ πολυειδῆ καὶ πολύμορφον ἐν γραφαῖς καὶ πλάσμασι δημιουργοῦσι καὶ ὅλως τῷ μὲν ὁμοιότητα καὶ τάξιν καὶ σπουδὴν ἄκρατον, τῷ δὲ μεμιγμένην καὶ παιδιᾷ καὶ ὕβρει καὶ σπουδῇ καὶ μανίᾳ προςφέροντες ἀνωμαλίαν, εὔιον ὀρσιγυναῖκα μαινομέναις Διόνυσον ἀνθέοντα τιμαῖς ἀνακαλοῦσιν. οὐ φαύλως ἑκατέρας μεταβολῆς τὸ οἰκεῖον λαμβάνοντες. ἐπεὶ δ᾽ οὐκ ἴσος ὁ τῶν περιόδων ἐν ταῖς μεταβολαῖς χρόνος ἀλλὰ μείζων ὁ τῆς ἑτέρας, ἣν κόρον καλοῦσιν ὁ δὲ τῆς χρησμοσύνης ἐλάττων, τὸ κατὰ λόγον τηροῦντες ἐνταῦθα, τὸν μὲν ἄλλον ἐνιαυτὸν παιᾶνι χρῶνται περὶ τὰς θυσίας, ἀρχομένου δὲ χειμῶνος ἐπεγείραντες τὸν διθύραμβον[64]), τὸν δὲ παιᾶνα καταπαύσαντες, τρεῖς μῆνας ἀντ᾽ ἐκείνου τοῦτον κατακαλοῦνται τὸν θεόν. — Quem locum, quasi serioris theologiae dogmatumque philosophorum aerarium, non ab uno solummodo lectorum provideo spretum iri; quos tamen his ego monitos volo, ne una cum mythorum interpretatione quamvis mystica aut theologica, qualis ab illius temporis philosophis adhiberi solebat fere omnibus, ipsius, inquam, mythi praesentiam veterumque Graecorum fidem abjicere atque expellere videantur. Ex hoc enim ipso mytho, cui Plutarchi superinstructa videmus theologemata, apparet idem quod aliunde etiam testimoniis comprobatum videmus, initio utriusque numinis et Apollinei et Bacchici, unam notionem ideamque fuisse, eundemque deum quem per hiemale tempus Delphici templi sacerdotes Dionysi nomine invocatam dithyrambis celebrarent, per reliquos anni menses appellari Apollinem, placarique paeanibus solitum esse (— vide, quae infra de paeanibus vernis dicturi sumus —) ut, si quis in dithyramborum Dionysum inquirat, qualis fuerit, huic neque

---

ἑταῖρε Βακχίου ξύγκωμε, νυκτοπεριπλάνητε. Eur. Bacch. 1171. Jon. 1148. Etiam Hermannum σύγκοινον defendere video Diss. de Aeschyl. Lycurgia. p. 20.

[64]) Ex hoc Plutarchi loco etiam Philochorus ap. Athen. XIV. p. 628 a. lucem accipit. cf. Hermann. ad Aristot. Art. P. p. 90 et Siebelis ad Philochor. fragm. p. 24, quem male de paeanibus libationi junctis cogitasse video, advocato Il. I, 470.

Phryx proditurus sit Cybeles comes, neque Naxius, Nympharum alumnus, neque Thebanus denique Semeles Jovisque filius Bimator; sed antiquissimus, ut ita dicam, Dionysus solaris, cujus quidem notio, licet Graecorum nemini ignota, apud Graecos tamen Italiae incolas tanquam propria, non modo expressa purissime sed etiam fidissime ac diutissime conservata est[65]). Teneo equidem, quantam Diodorus Sic. I, 11 mythologis conjiciendi arenam patefecerit, neque Macrobius (Saturn. I, 18) quotiens in diversissimas partes advocatus sit, ignoro; eoque libentius Welckero (adn. ad Zoegae dissertt. p. 217, 221) insto praecedenti. *„Ich gehe hier nicht auf das von Diodor berührte Thema ein. Helios und Dionysos, Osiris und Sirius ἀστροφάνης und φάνης, Eumolpus und Orpheus machen einen Kykeon aus, welcher in einem Zuge getrunken, einen Kopf schwindeln machen würde der weit stärker wäre als der meinige."* Neque profecto, quod hic recusarit Dionysiacum poculum, ego pro virili ebibere ausim, attamen primis certe, propinante Gerhardo, attigisse labellis non poenitebit. Postquam enim Casaub. de Gr. S. P. I, p. 29, 56 Ramb. paucula de Apolline eodem atque Libero patre monuit, primus quod sciam Zoëga de Orphicorum deo primigeno disputans, inde a p. 217—21 ed. Welcker. multa de utroque numine confudit, deinde brevius quidem sed dilucidius Bodius comment. de Orph. III, p. 173 sq. (XL.) et Ulrici hist. gr. Poes. Tom. II, p. 372 idem tractavit argumentum;

---

[65]) Cf. Eckhel D. N. p. 136 sq. Hirt Archaeol. Bilderb. I, p 79. Creuzer Dionys. p. 277 sq. F. Gail Recherches sur la nature du culte de Bacchus en Grèce (Par. 1821) p. 290, 91 cl. p. 253. Perquam hoc nomine memorabile est Terpandri Lesbii fr. 3 Bergk.: *Τέρπανδρός γε μὴν ὁ Λέσβιος Νύσσαν λέγει τετιθηκέναι τὸν Διόνυσόν τὸν ὑπό τινων Σαβάζιον ὀνομαζομένον ἐκ Διὸς καὶ Περσεφόνης γενόμενον, εἶτα ὑπὸ Τιτάνων σπαραχθέντα·* quippe quod optime nos, quo factum sit, edoceat, quod dithyrambum quem nos in Magna Graecia ortum dicimus nonnulli Phrygibus peculiarem fuisse suspicarentur. Jovis enim ex Proserpina natus Siculorum est tauriformis Dionysus, Sabazius vero Phrygum Bacchus. — Lobeckius quidem de morte Bacchi progr. p. 11 (Aglaoph. T. I, p. 306). „Sed postrema, ait, de sua addidisse videtur" (sc. Lydus). Vereor, ut recte.

nuperrime vero Ed. Gerhardus, qui eadem de re multis locis in transcursu haud spernenda monuerat; — cf. Prodr. p. 133 *Bildw.* I, 17. *Hyperb. Stud.* I, 192 del Dio Fauno not. 99. *Dionys und Semele. Berl. 1833.* — hic, inquam, nuperrime summa et perspicuitatis elegantia et doctrinae abundantia uno quasi obtuitu exposuit, tum, quomodo coaluerint, tum quomodo discesserint Bacchi atque Apollinis numina. Sed haec cum Gerhardi verbis melius vix exprimi queant, audiamus ipsum in libro, *Auserl. Vasenb.* p. 116 (Tab. XXXIII) sic loquentum: — *würde man doch wesentlich irren, wollte man jene Verknüpfung des Dionysos mit dem Apollo unsern Denkmälern nur als eine einzelne Verirrung griechischer Götterlehre zuerkennen, während, wenn deutliche Spuren uns nicht trügen, beider Götter Trennung ein spätres Verhältniss griechischen Götterglaubens als ihre Verwandschaft, das Ursprüngliche vielmehr ihre völlige Gleichheit ist. Tempelgebräuche wie sie in dem ausgebildeten Griechenland bestanden, geben uns in Apollo einen Lichtgott der obern, in Dionysos einen Erdgott der untern Hemisphäre zu erkennen. Diese Naturbedeutung liegt der ethischen Entwicklung beider Götter zum Grunde. — Der erwähnten Bedeutung gemäss wären beide Befruchter des Erdreichs, beide den Wässern entstiegen; beide auch Lichtgottheiten, Schmeichelnamen und Menschenopfer würden beiden geboten, bis der nationalen Verschiedenheit gemäss der heitre Glaube an Götter des Lichts mit der düstern Scheu vor den Mächten der Erde in Zwiespalt trat. Erst nach vollendeter Entwicklung ist die Herrschaft des Jahres und die Natur zwischen beide getheilt, — ist der lycische, delische, delphische Apoll in jugendlicher Gestalt ein Gott des geistigen und physischen Lichtes, der thrakische, lydische, attische Dionys in üppiger Reife ein Gebieter der lockenden Erdenfülle: in den Anfängen alten griechischen Götterwesens sind es verschiedne Gestalten einer und derselben Gottheit. — Dionys ein Apoll chthonischer Kulte, Apoll ein Dionys solarischer Göttersysteme.* Haec ille. Nobis vero Plutarcho duce talem etiam dithyrambi deum fuisse persuasum

est. Verum tamen ipsa in Graecia praeter Delphicum cultum rariora hujus Bacchi solaris exstant vestigia. Exstant tamen. Eleenses auctor Etym. M. tradit eundem coluisse Dionysum atque Solem. *Διόνυσος παρὰ τοῖς Ἠλείοις ὁ αὐτὸς τῷ Ἡλίῳ καλεῖται·* quo cum cf. Plut. Symp. 36, qui hanc Elearum mulierum servavit cantilenam: *Ἐλθεῖν, Ἥρως Διόνυσε | Ἅλιον ἐς ναὸν ἁγνὸν | σὺν Χαρίτεσσιν ἐς ναὸν | τῷ βοέῳ ποδὶ θύων | ἄξιε ταῦρε, | ἄξιε ταῦρε.* Cfr. Koester carm. pop. Gr. p. 41, 42. Welcker Add. p. 190.

De Deliis idem habet Etym. Gud. *Διόνυσος παρὰ τοῖς Δηλίοις ὁ αὐτὸς τῷ Ἡλίῳ νομίζεται.* Denique in universum auct. arg. Dem. Mid. p. 4 Buttm. *καὶ τῷ νικῶντι τρίπους τὸ ἆθλον ἦν, ἐπειδὴ τὸν αὐτὸν Ἥλιον καὶ Ἀπόλλωνα καὶ Διόνυσον ᾤοντο.* Jam vero in magna Graecia hic Dionysus ubicumque occurrit. Fuit in Sicilia Solis cultus florentissimus, et sine dubio admodum vetus, cui jam ex Homeri fabula (Od. XII, 262) mirifici boves pascerentur, quos cuique mortalium aut laedere aut immolare nefas haberetur. Cf. Eustath. Il. α', 41, p. 36, 18 Rom. Itaque non modo boves Soli sacrati fuerunt, sed ipsius etiam imago capite taurino repraesentari solebat; quamvis in numis picturisque bos additus Apollini perraro occurrat. Cf. Gerhard *Auserl. Vasenb.* Tab. XXXII. Gori Mus. Etrusc. I, 33, 2. Gerhard Prodr. p. 133. Bacchus vero Italicus plerumque tauriformis pingebatur; sive artifices taurino corpori humanam faciem imponerent, sive humano ac juvenili corpori nihil nisi cornua adderent. V. Spanh. P. V. N. p. 355. Grysar. l. l. p. 38. R. Lorentz l. c. p. 10. Unde et apud Poetas saepius audit *ταυρογενής, βουγενής, ταυρόμορφος* cett., et in picturis deus cum tauro non raro obvenit. Cfr. Gerhard *Auserl. Vasenb.* Tab. XXXII. IX, cum not. et *Berlins Ant. Bildw. n. 648.*

3) Quod si ex hac comparatione Plutarch. l. l. cum numine Italorum Bacchico in aperto est, quod dixi, dithyrambi atque magnae Graeciae Dionysum eundem esse, rei probabilitas eo etiam magis augebitur, quod, cum tragicum praemium hircus, comicum amphora sive diota fuerit constitutum, soli in dithyrambico certamine victori bovis praemium

esset praestantissimum minoris autem pretii diota haberentur et hircus. De quo locus insignis est ap. Schol. Platon. Rep. 122. 8, ap. Bekk. p. 400. *τραγῳδία — καθ' ἣν τῷ νικήσαντι τράγος ἔπαθλον ἐδίδοτο. — κωμῳδία — καθ' ἣν τῷ νικήσαντι γλεῦκος ἔπαθλον ἐδίδοτο, ὃ τρύγα καλοῦσιν. — ὁ διθύραμβος — τῶν δὲ ποιητῶν τῷ μὲν πρώτῳ βοῦς ἔπαθλον ἦν, τῷ δὲ δευτέρῳ ἀμφορεύς, τῷ δὲ τρίτῳ τράγος ὃν τρυγὶ κεχρισμένον ἀπῆγον.* Scilicet unicuique victori praemium dabatur plerumque id quod deo, in cujus honorem concertaverat, sacrum erat. Itaque si, qui dithyrambo vicerat, praemium bovem reportaret, inde sequatur necesse est, dithyrambum Dionyso eidem sacratum fuisse, cujus boves **) hostiae essent; h. e. Dionyso Magnae Graeciae Solari. Quin etiam aliud ad sententiam nostram probandam in eodem Scholio reconditum est. Possit enim sane mirum videri quod ei demum qui tertio loco dithyrambo vicisset hircus praemio datus sit, cum nihilominus tragoediam, cujus victori idem dari brabeum usu venerit, a dithyrambo profluxisse constet. Tamen

**) Unde Pind. XIII, 25. *σὺν βοηλάτᾳ Χάριτες Διθυράμβῳ.* Cui similiter Theocritus Siculus Poeta Idyll. XX, 33. *ὡς καλὸς Διόνυσος ἐπ' ἄγκεσι πόρτιν ἐλαύνει·* quum Siculorum Bacchus saepe *βούκολος* caneretur (Welckerus Addit. p. 186). Et quoniam cum pastoribus semel res agitur neque Diomum nobis reticescere fas est, quippe quem pastoralia carmina primum modulatum esse Siculorum fama invaluit, quique ex Atticorum fabula Theomis appellatus non tragoediarum modo laudaretur inventor, sed in buphoniis etiam bovem immolasse primus crederetur. Cfr. Welckerus Addit. p. 225. Quo de Theomi nuper accessit Theophili cujusdam historici testimonium, a Malala male omissum; ap. Cramer. Anecd. Paris. II, p. 227, 159. *ἐν τοῖς χρόνοις τούτοις ἐθαυμάζετο παρ' Ἕλλησι Θέομις, ὃς πρῶτος ἐξεῦρε τραγῳδικὰς μελῳδίας καὶ ἐξέθετο πρῶτος δράματα. καὶ μετ' αὐτὸν Μίνως, καὶ μετὰ Μίνωα Αὐλέας τραγικοὺς χωροὺς* (sic) *δραμάτων συνεςήσατο καὶ λοιπὸν εἰς τὸν μετὰ ταῦτα χρόνον, ἐξ αὐτῶν εὑρὼν Εὐριπίδης πολλὰς ἱστορίας δραμάτων, ἐξέθετο, ὡς Θεόφιλος συνεγράψατο.* Apud Lycophr. Cassandr. 206. Agamemno, bove mactato, justa operatur Delphinio Baccho sacrificia:

. . . ᾧ πότ' ἐν μυχοῖς
δελφινίου παρ' ἄντρα κερδωτοῦ θεοῦ
ταύρῳ, κρυφαίας χερνίβας κατάρξεται
ὁ χιλίαρχος τοῦ πολυῤῥαίστου ςρατοῦ.

si meminimus, apud Italiae Dorienses magis comoediam quam tragoediam excultam fuisse, non amplius subibit miratio, quod diota, quae in Attica comico victori deberetur, hirco praestiterit in certamine dithyrambico. Ceterum hirci etiam Soli sacrati fuerint oportet, cum non modo Apollo *Τράγαιος* Naxi cultus occurrat ap. Steph. Byz. v. *Τράγαια*; sed sacrificia quoque caprina Soli imperentur teste Pausania X, 11, 4. *κατὰ δὲ μάντευμα ἐκ Δελφῶν ἔθυσαν τράγον ἀνίσχοντι τῷ Ἡλίῳ. καὶ (εὗρον γὰρ λύσιν τοῦ κακοῦ) τράγον χαλκοῦν ἀναπέμπουσι τῷ Ἀπόλλωνι.* cf. Hom. Il. *α*, 41. c. Schol. Eustath. p. 36, 18. Rom. Omnino vero de Apollinis capris cfr. Schoellius de orig. Gr. Dram. P. I, p. 46 sq.; de capris Dionysi Welckerus Addit. p. 194.

4) Nec non praemium chorego datum (*ἔπαθλον χορηγικόν*) eandem dithyrambi originem arguit. Dico tripodem, quem Epitomator Athenaei II, p. 37 f. *τὸ νικητήριον τοῦ Διονύσου* appellat, rectissime; sed statim inepta additur interpretatio: *καὶ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φάμεν τοὺς ἀληθεύοντας. διὸ Ἀπόλλωνος μὲν οἰκεῖος διὰ τὴν ἐκ μαντικῆς ἀλήθειαν· Διονύσου δὲ διὰ τὴν ἐν μέθῃ.* Sed tripodem ab initio non Apollineum sed Bacchicum symbolum fuisse primum demonstravit Odofr. Mueller de tripode Delphico p. 11. Amalth. I, p. 120 dein qui omnium in his instar est Ed. Gerhardus in *Auserl. Vasenb. p. 121,* quem non possum, quin suis verbis utentem iterum inducam: *„Kein Zeugniss ist sprechender für die Gemeinschaft beider als das berühmteste ihrer Symbole der Dreifuss. Nach homerischem Brauch ein beliebtes Geräth alltäglicher Feuerung und häuslichen Schmucks, wird eben dies Geräth im bildlichen Ausdruck chthonischer Culte und Mythen ein Symbol verjüngender Wiedergeburt; wie es Demeter und Medea an Knaben und Greisen erprobten hatte es den zerrissenen Gliedern des ersten Dionysos gedient.* (Philochor. ap. Euseb. Chron. p. 122. Mueller Prolegom. p. 393. Lobeck Aglaoph. I, p. 616, 710)[67]). *Zu solcher Andeutung*

[67]) Neque de tripode omittenda est Etym. M. p. 254, 10 glossa: *Δέλφικα τὸν τρίποδα Ῥωμαῖοι· ἐπεὶ πρῶτον ἐν Δελφοῖς γέγονεν ἡ τρίποδα τὸν Διόνυσον· οἷον ἀδελφικὸν· καὶ δελφικόν· καὶ δελφίς παρὰ τὸ δέλφω.*

war im Tempel nahe dem Grabe des Dionysos der apollinische Dreifuss aufgerichtet; dasselbe Symbol welches vom Heiligthum des Pythischen Gottes die Orakel Apollos über Griechenland verbreitete, war ursprünglich dem Dionysos gewidmet, und in attischem Gebrauch dithyrambischer Spiele bis in späteste Zeit diesem Gotte zugeeignet." — Quae si vera disputata sunt — ac sunt verissima, — facilis hinc de patria dithyrambi conjectura; quis enim Dionysus iste regeneratus denuoque prognatus est nisi Magnae Graeciae Bacchus Solaris aut Delphicorum Apollo Chthonius, qui redeunte vere, vernis invocari solebat dithyrambis; quod primi viderunt Dissenius Pindar. p. 616 et Schneidewinus fr. CXX (p. 119) Simonidis, qui his aliquando verbis deum istum celebrasse videtur: *Δεῦτ' ἀηδόνες χλωραύχενες πολυκώτυλοι ἐαριναί.* Etym. M. p. 813, 8. *Ἄγγελε κλυτὰ ἔαρος ἀδυόδμου Κυανέα χελιδοῖ.* Schol. Arist. Avv. 1410. At de vernorum dithyramborum argumentis nunc nihil addo amplius, de quibus in sequenti capite pluribus disserendi futurus locus sit.

5) Transeo igitur ad musicam dithyrambo accinere solitam, novamque inde pro confirmanda sententia mea rationem deducam. Etenim qui Phrygiam dithyrambo putant originem dedisse, imprimis tibiam in partes vocarunt, quam huic carminum generi propriam fuisse consensus scriptorum doceat. Tamen ab initio citharam, fortasse mixtam tibiae dithyrambo assonuisse utique persuasum habeo. Primum enim Ario, quem invenisse aut certe transtulisse hoc carmen suspicati sumus, citharizandi arte per totam antiquitatem ferebatur nobilitatus (cfr. Hdt. I, 23), cui Crexum adjunge veterem dithyrambopoetam, cui ab ipsa fides pulsandi dexteritate egregia nomen inditum esse non inconcinna est Buretti suspicio, deinde a Thorwaldsenio vasculi fragmentum asservabatur in quo barbatus aliquis depictus Silenus, hedera coronatus, manu citharam pulsat; inscriptione: *ΔΙΘΥΡΑΜΦΟΣ* [68]) cf. Jahn *Vasen-*

---

[68]) Ad voc. *διθύραμφος* Welckerus l. c. p. 400 comparat: *θρίω, θρίαμος, θρίαμβος*, triumphus. Eodemque modo ait formari: *δίθυρος*,

bilder. p. 21 M. Annal. dell' Instit. Arch. 1829. tav. d'agg. E. 2, ibique Welcker p. 398—401 postremo vero neque hoc omittendum est, quod jam Petr. Fr. Kanngiesser l. c. p. 24 bene annotavit, quamquam non ausus est certam inde effari sententiam, citharistas sive fidicines postea si qui forte accinissent cycliis choris, praemium vitulum accepisse (μόσχον) cf. Arist. Acharn. v. 13 Schol.; Plut. de Mus. c. XIV. In eadem quam Kannegiesserus sententia de Aristoph. l. l. jam antea Rich. Bentlejus fuit in opusc. phil. p. 321 (Lips. 1781) [69]), neque caussam video, cur Welckero in Addit. ad Aesch. Tril. p. 241. 179), prava haec αὐτοσχεδιάσματα videntur; de quibus alio loco nobis cum eo litigandum erit.

Videbuntur haec fortasse alicui et pauca esse et levia argumenta. quae tamen si cum prioribus vestigiis conjungantur, aliquatenus, opinor, ad probandam sententiam meam inservient. — Namque citharae usum quendam in bacchicis Magnae Graeciae ludis sacris fuisse complura ostendunt vasa picta, quorum Welkerus [70]) l. l. p. 401 largum hunc adornavit catalogum: Passer. Vasc. tom. II, tab. 162. d'Hanearville T. II, tab. 57 ed. Paris. fortasse etiam T. III, tab. 57. Tischbein T. II, tab. 48 ed. Par.; T. III, tab. 7; T. IV, tab. 38 (28). Millin. T. II, tab. 36; T. I, 30. Vas. Coghill. tab. 37. Dubois Mais. T. 39.

διθύραμος, διθύραμβος, διθύραμφος, νύω νύμφη. Mihi vero secus videtur forma explicanda; ut διθύραμφος Doria forma fuerit pro διθυρασμός, uti ὀμφή Doriensibus idem atque ὀσμή valet. — διθυρασμός ut συβαριασμός ap. Phrynich. Schol. Ar. Pac. 344.

69) Bentlej. l. l. „Et quemadmodum poetae dithyrambici, tauro, sic qui cithara canebant vitulo certabant. *Sunt*, inquit Schol., *qui* ἐπὶ μόσχῳ *interpretantur vitulo, quia qui vincebant cithara vitulo donabantur;* videtur quidem plus tribuere alteri interpretationi, qua Μόσχος nomen habetur citharoedi; in quo eum sequuntur nostri interpretes, sed vera interpretatio haec est, ut et linguae ratio et ipsa sententia satis indicant."

70) Ceterum Welckerus ibid. p. 398 dithyrambum personatum etiam in vasc. ap. Lamberg. T. I, tab. 65 agnoscit; iteratum ap. Dubois Maisonn. tab. 22. Ed. Gerhard Antiq. Bildw. Fasc. I, tab. 17. 1827. conferri jubens praeterea Collect. Lamberg. tab. 64. Mais. tab. 33. Hamilton T. II, tab. 44 (50). Milling. Vas. Cogh. tab. 19. —

Labord. T. I, tab. 49, 51. Mus. Burbon. T. II, tab. 43; T. III, tab. 29. Gerhard *Neapels antiq. Bildw.* T. I, p. 85. Anagl. Genuens. a Paciaud. descript. de umbell. gestat. XIII, 5. Millin. Vas. T. I, tab. 53. d'Hancarvill T. II, tab. 57. — Praeterea cfr. Gerhard *Auserl. Gr. Vasenb. p. 114.* Gerhard in comment. Berl. Acad. scient. 1836. tab. I; quem usum neque Lesbiis incognitum remansisse ex Alcaei quodam, ut ferunt, scolio ap. Athen. XV, p. 695 perspicitur, cujus initium fuit:

εἴθε λύρα καλὴ γενοίμην ἐλεφαντίνη·
καί με καλοὶ παῖδες φοροῖεν
Διονύσιον ἐς χορὸν κτλ.

cf. Ilgen de Scol. Poes. p. 83 [XVII, XVIII]. Quid, quod vel Semele ap. Epicharm. Ath. V, p. 183 c. ad modum citharisterium saltat? Nam *παριάμβιδες* secundum Pollucem p. 192, 37. Seber. *νόμος κιθαριστήριος*.

6) A musicis instrumentis transeo ad saltationem, quam Luetckius l. c. p. 62 non quidem prorsus neglexit respicere, sed vulgatae addictus sententiae simplicem sicinnin [11]) fuisse conjecit. Sed Pollux IV, 16 haec habet: *τυρβασία δὲ ἐκαλεῖτο ὄρχημα διθυραμβικόν.* Eadem fere Hesych. Tom. II, p. 1435. Alberti. v. *Τυρβασία· χορῶν ἀγωγή τις διθυραμβικῶν.* Idem ibidem: *τύρβη· θόρυβος, ἀγωγή, τάραχος.* cf. Preller l. l. p. 1066. Meurs. Orchestr. p. 87. Ad. Schoell de origin. Gr. Dr. p. 97. Quod saltandi genus apud Italiae Dorienses imprimis floruisse non modo e comparatione verborum *τυρβασία, τύρβη* cum Latino: „*turba*" abunde patet; sed etiam confirmatur

---

[11]) Tamen *Σικίννιν* etiam non defuerunt e veteribus, qui Sicani cujusdam inventum praedicarent. cf. Etym. M. v. *Σικίννις.* quae etymologia, quamquam per se non magnam habebit probabilitatem, tamen aliam Hesychii glossam Tom. II, p. 1183. Alberti., „*Σικανοί, χοροί τινες*" quam Welckerus ad Schwenckii librum: *Etym. myth. Andeut.* p. 355 suppositiciam aut certe corrigendam in *Σικίννοι χοροί τινες* suspicatur, genuinam esse edocet. Ceteroquin *Σίκινοι* scribendum fuerit, non *Σικίννοι.* Etym. Gud. p. 496, 51. *Σίκινοι· εἶδος ὀρχήσεως* quamquam F. Osann in Mus. Rhenan. ann. 1835. III, 2 p. 251 not. 3 aliter statuat, et p. 250 observet ap. Hdt. VIII, 75 eandem inter Mss. esse lectionis varietatem. De tyrbasia, schemate saltationis dithyrambicae vide, quae infra c. VII. dicemus.

nomine saltatoris alicujus in vase Graeco depicti *„TYPBAC"*, cf. Jahn. *Vasenbilder.* (*Hamb. 1839*) *p. 28.*

7) Ultimum denique argumentum ex etymologia repeto, de qua post tot perversa veterum recentiorumque commenta taedet fere de integro disserere, unde vix mihi ne in reprehensionem incidam confido verendum esse, si, qui plura eo nomine novisse cupiant, eos ad Luetckium de dithyrambo p. 7—15 relegasse satis habeo. Equidem vero *διθύραμβον* idem valere quod *Τιτυρίαμβος, Τιτύραμβος* cum C. Schwenck in *„Etym. Mythol Andeut."* p. 145 ed. Welcker persuasum habeo: *Bacchus männliche Begleiter,* ait Schwenckius, *sind die Satyrn und Silenen. Jenes bedeutet Bock wie τίτυρος indem es in der Reduplication σ statt τ angenommen hat, wie z. B. σίττυβος· das Stammwort selbst findet sich auch mit σ in σίσυρος u. s. w. Diese Begleiter werden aber Böcke genannt, nach dem Bock als Symbol des fruchtbaren Naturgottes, und werden mit Bocksfüssen angethan gedacht, jenem Symbol zu Ehren; so wie es Diener des Poseidon ταυρεῖος gab bei den Ephesiern, welche ταῦροι genannt werden. — Zweifelsohne sind solche Bockschöre oder Satyrchöre dramatisch vorgestellt worden, und ihre Gesänge waren die Bockschorjamben τιτυρίαμβοι oder τιτύραμβοι (oder uon τιτυράζω), welches Wort dann die zwei andern τ Laute annahm und zu Dithyrambos wurde, weil man die Bedeutung des Wortes nicht verstehend, keine sichre Rechtschreibung desselben finden konnte. Dionysus wurde daher Dithyrambos genannt, und dieser Name auf die doppelte Geburt desselben gedeutet."* — Quam etymologiam, si quid video, etiam Boeckhius probat Oecon. Athen. Tom. II, p. 362. *Als Erfinder dieses lyrischen Bocksgesanges scheint Arion gegolten zu haben.* Satyri autem in Magna Graecia et Sicilia *Τίτυροι* vocari solebant. Aelian. V, H. III, 40. *οἱ συγχορευταὶ Διονύσου Σάτυροι ἦσαν οἱ ὑπ' ἐνίων Τίτυροι ὀνομαζόμενοι.* Schol. Theocr. III, 2. *ὄνομα κύριον ὁ Τίτυρος. τινὲς δὲ φασίν, ὡς Σειληνός τις οὐ Σικελιώτης. ἄλλοι δὲ τοὺς τράγους ἕτεροι τοὺς Σατύρους, ἔνιοι δ' ὄνομα πόλεως Κρήτης, ἄλλοι δὲ τοὺς τράγους, ἕτεροι τοὺς προσπόλους τῶν*

θεῶν, τινὲς δὲ καὶ κάλαμον. Eustath. τίτυρος ὁ Σάτυρος παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσιν, ὅθεν καὶ τιτύρινος αὐλός. Strabo quidem aperte distinxit X, p. 717. Almel. (p. 169. 187 Tzsch.) inter Satyros et Tityros Διονύσου πρόσπολοι Σειληνοί τε καὶ Σάτυροι καὶ Βάκχαι καὶ Λῆναί τε καὶ Μιμάλλωνες καὶ Ναΐδες καὶ Νύμφαι καὶ Τίτυροι προςαγορευόμενοι; sed hoc Satyrorum Tityrorumque discrimen Creuzerus Symb. Tom. III, p. 197 (cf. Ad. Schoell de orig. Gr. Dram. p. 95 n. 210. Welcker Nachtr. p. 213 not. 93) accurate eatenus statuit, ut Satyri divini fuerint Bacchi comites saltatoresque, Tityri vero homines rustici, coloni, Satyrorum figuras moresque imitantes [72]).

8) Accedit denique etiam hoc, quod Ario, quem Herodotus nomen invenisse dithyrambi commemorat, a Suida (p. 559 Gaisf.) traditur non modo tragicum invenisse modum, sed primus etiam Satyros induxisse metro verba adstringentes: λέγεται καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρέτης γενέσθαι καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι καὶ διθύραμβον ᾆσαι, καὶ ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ, καὶ Σατύρους εἰςενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας· qui locus cum Suidae editoribus tum iis, qui de Arionis in poesi meritis inquisiverunt, multa usque negotia procreavit [73]). Haeserunt enim nunc in τραγικοῦ τρόπου nunc in ὀνο-

---

72) Argumentum hoc ex etymologia petitum e consulto ultimo loco posui, quod Jacobum Q. S. p. 82 item etymologia usum esse video, ut Phrygias dith. origines demonstraret. Derivat enim vocem cum Jablonskio in Panth. Aegypt. Tom. I, p. 105, 6 a Coptico Tithrambo h. e. Tithraembou: ira furens, furorem indens. Sed nescio profecto, quid Baccho et Bacchis sit cum dea Tithrambo; quam Aegyptiorum Hecaten fuisse Sanctus Epiphanius adv. Haereticos Tom. I, lib. III, p. 1093 D. testis est: Τῇ Τιθράμβῳ Ἑκάτῃ ἑρμηνευομένῃ. cf. St. Croix Recherches sur les mystères du Paganisme. Tom. I, p. 182, 188 ex ed. Sylv. d. Sacy. — Luetckius de dithyr. p. 12—13 putat verbum derivandum esse a Διός et θρίαμβος, ut sit: divinus triumphator.

73) Optime locum in latinum translatum vide ap. Forkelium Gesch. der Mus. Tom. I, p. 294 not. 358. „Fertur et tragici modi inventor exstitisse, et primus chorum instituisse et dithyrambum cecinisse, itaque nominasse id quod a choro caneretur, et Satyros induxisse, qui versibus loquerentur." —

μάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ nunc etiam in Satyris. cfr. Toup. l. l. Luetckius p. 24 cl. 28, 30. Jacobus Q. S. p. 25 sqq. Boeckius Oecon. Ath. Tom. II, p. 362. Sed dummodo teneamus dithyrambum ab Arione inventum esse, omnia sana videbuntur. Tragoediam enim cum a dithyrambo fluxisse Aristoteli credimus testanti, Arionem etiam τραγικοῦ τρόπου inventorem jure vocari posse, negabit nemo; idem etiam πρῶτος χορὸν στῆσαι dicitur verissime, nam cyclium chorum, h. e. ordinatum arte moderante, non autoschediasticum et tumultuarium, primus instruxit. Nec mihi Suidae verba καὶ δ. α. κ. ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον [14]) ὑπὸ τοῦ χοροῦ· aliud quidquam valent, quam Herodoti verba: διθύραμβον ὀνομάσαντα τε καὶ ποιήσαντα, ac si scripsisset Suidas καὶ διθύραμβον ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ. Denique Satyros metrum servantes ab ipso primum inductos esse, per se patet, cum si vera est Schwenckii nobis probata etymologia totum dithyramborum genus ab ipsis Satyris sive Tityris nomen acceperit. Sic etiam Welckerus *Nachtr.* p. 233. „*Was aber die Einführung von Satyrn betrifft, so ist klar, dass sie nicht einen Chor ausser dem Dithyramb, d. i. ausser dem Chor bildeten.*" Male contra Pinzgerus de dram. satyr. p. 11 „modo dithyrambici, modo satyrici Chori." Nec Luetckius p. 31 verum tetigit, chorum immixtis jocis et sermonibus participem factum esse narrationis suspicans. Vide tamen quae c. VII. de ipsa Welckeri sententia disseram. Atque egregie nobis adstipulatur Aristocles ap. Athen. XIV, p. 639 c. Συνεστήκει δὲ ἡ σατυρικὴ πᾶσα τὸ παλαιὸν ἐκ χορῶν, ὡς καὶ ἡ τότε τραγῳδία· et Aristoteles A. P. c. IV quamvis tragoediam ab iis profectam dicit, qui dithyrambum solenniter inciperent, tamen paulo infra, sero majestatem suam propterea nactam esse arbitratur, quod ex satyrico genere mutationem induerit. Qua in re tametsi a Jacobo Q. S. p. 118 multum differam in eo

---

14) Welckerus hoc ita intellegit, ac si Ario singulis dithyrambis titulum inscripserit, cui addictus sententiae Schneidewinus quoque videtur de Laso Herm. p. 11. 12. At Luetckius p. 31 recte eum castigat ac refellit.

tamen cum ipso et Dahlmanno de primord. et succ. vet. com. Athen. cet. Hafn. 1811. pag. 31 Naekio Choeril. p. 12. Pinzgero l. l. p. 22. Muellero Dor. II, p. 369. Welckero Addit. p. 276 et Friebelio de Satyr. Dram. p. 2—11 ed. Larsow mihi convenit, immerito eam, quae postea sic audivit, satyricam poesin a nonnullis poni vetustissimam; cujus si quis Pratinam demum auctorem faciet, non multum a vero aberrabit.

His igitur argumentis innitens, dithyrambum in Italia ortum ab Arione in Graeciam translatum esse, arbitror: quo simul Lorentzii l. c. p. 25 sententia pessum datur, qui vice versa lyricam tragoediam cum Arione Tarentum immigrasse putat [75]). Ut enim de lyrica illa tragoedia dicam quid sentiam, quam exstitisse praeter God. Hermannum hodie vix quisquam negat [76]), ea mihi a dithyrambo non multum videtur diversa fuisse, quamvis inter utrumque carmen satis discriminis interfuerit, ut tum dithyrambi inventionem Arioni nemo auderet abjudicare, tum post dithyramborum etiam magis magisque invalescentem usum lyrica tragoedia aeque ac dithyrambus tanquam proprium ac perfectum carminum genus aetatem tulerit, neque tunc prorsus aboleri neglegique posset, cum ex dithyrambicis cantilenis jamdudum ordinata et, quae postea sic proprie audivit, tra-

---

75) Lorentzio assentiri videtur Ad. Schoell. de orig. Gr. Dram. p. 23. „— Memini quidem jam circa Olympiadem quadragesimam Arionem Methymnaeum, novi dithyramborum generis auctorem, Siciliam et Italiam nominatim Tarentum petiisse, nec exiguam inde artis suae mercedem asportasse, sed hoc exemplo tantummodo edocemur, quam mature in his terris magni aestimata sit musica." Tum Bodius, qui inter alia mira ac perversa de dithyrambo commenta, haec habet hist. Gr. Poes. Tom. II, p. 372. *„Diese Seite der Lesbischen Religion fasste vielmehr Arion auf, welcher in Methymna dem Hauptsitze des Lesbischen Dionysos-Kultus geboren und erzogen, sich in der Kraft seiner Jahre nach dem Peloponnesos, Italien und Sicilien begab und dort unter den Doriern der Begründer der Dionysischen Festlieder wurde; die er zuerst unter dem aeolischen Namen Dithyrambus von tanzenden Männerchören antistrophisch oder cyclisch (?) darstellen liess."* — Satis habeo hunc locum exscripsisse integrum, ne quis in sqq. neglectum a me Bodii librum esse videns, immerito factum id esse conqueri posset.

76) L. Bergleinus tamen adstipulatur Hermanno.

goedia effloruisset. E contra hoc inter utrumque carmen discrimen non tanti momenti fuit, quin ipse recens invectus dithyrambus cupidissime ab his potissimum Peloponnesi civitatibus arriperetur, quae sibi lyricae tragoediae inventae gloriam nullo modo ab aliis eripi gentibus essent passae [77]. Quos inter imprimis Sicyonios nomino, qui non modo invenisse sese lyricam tragoediam gloriarentur, sed Epigenem etiam, summum in hoc poesis genere decus civibus aut popularibus suis adnumerarent: Boeckh. Oecon. Ath. II, p. 363 [78]. Ac de lyrica quidem Sicyoniorum tragoedia locus insignis est Herodoti, saepius ille in testimonium advocatus V, 67. *Τὰ δὲ δὴ ἄλλα οἱ Σικυώνιοι ἐτίμων τὸν Ἄδρηστον καὶ δὴ πρὸς τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον. τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμέωντες τὸν δὲ Ἄδρηστον, Κλεισθένης δὲ χοροὺς μὲν τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκεν, τὴν δὲ ἄλλην θυσίην τῷ Μελανίππῳ.* cfr. Odofr. Muellerus Epist. ante Ibyc. fragm. coll. Schneidew. p. XI. In aperto est lyricae istae tragoediae quales fuerint: nimirum carmina lyrica, saltationibus quidem choricis accommodata, a singulis tamen tragoedis in heroum indigenarum cujusvis terrae memoriam decantata (qua de re vid. infr.), sed quorum argumenta heroum non tam praeclare gesta fuerunt, quam passiones sive *πάθεα* [79].

---

77) Accedit, quod nullus dithyramborum poeta a lyricis tragoediis scribendis abstineret. Simonides, Pindarus, Philoxenus non magis dithyrambis, quam lyricis tragoediis inclaruerunt; unde Philoxenus etiam *τραγῳδοδιδάσκαλος* interdum audivit. cfr. Alois. Capellmannus ad Alex. Aetol. p. 20 (Bonn. 1830. 8). —

78) *„Die Peloponnesier hatten ganz Recht, wenn sie die Tragödie als ihr Eigenthum sich zueigneten; ihre Erfindung und Ausbildung, als lyrisches Spiel, gebührt unbezweifelt den Sicyoniern von deren Tragödien Herodot erzählt."* Cf. Mueller Dor. II, p. 368.

79) Quam vero vetusta fuerit lyricarum tragoediarum inventio, omnium optime ex duobus locis intellegitur, ex Joann. Malala et Schol. Anonym. ap. Stanl. qui Bentleji quidem opusc. p. 309 reprehensionem non effugerunt, Welckeri tamen, etiamsi non integrum consensum ferrent, nacti tamen sunt haud spernendum patrocinium, in Addit. ad Aesch. Trilog. p. 225. Quodsi lyrica tr. vetustissima fuit, minime tamen conceditur, Bacchicos Sicyoniorum choros tragicos aeque vetu-

Ac talis quidem Sicyoniis heros Adrastus fuit, talis Thyestes, cujus *πάθη* a Sophocle etiam ordinata tragoedia celebrata sunt, *Θυέστης ἐν Σικύωνι* inscripta; qua de cfr. Lessingius in vita Soph. Tom. V, p. 256 Lips. Aliis tamen civitatibus alii haud dubie heroes similibus coli tragoediis solebant, quos hoc loco recensere longius foret. Itaque hac in re tum similitudo tum discrimen inter dithyrambum tragoediasque lyricas cerni potest, quippe quod dithyrambus quoque *Διονύσου πάθη* (cfr. c. VI.) haberet argumentum propositum, non tamen

---

stos fuisse. Hunc enim errorem peperit perversa Herodoti loci interpretatio, quum verbum *ἀπέδωκε* a plerisque ita intelligeretur, ac si Clisthenes tragicas illas choreas Adrasto ademptas Dionyso quasi debitos honores reddidisset. Welcker Addit. p. 235 not. 169. Mueller Dor. II, p. 367. Pinzger p. 11. Bode *Gesch. der hell. Lyr.* II, p. 277 cum not. 1 Luetcke l. c. p. 20—22. Verum tamen *ἀπέδωκε* nihil est nisi transtulit ad Dionysum (*Cleisthenes hiess sie die Ehre des Chorreigens an den Dionysos abgeben*), siquidem mirum profecto foret, quod Baccho choros tantum neque reliquos ademptos honores restituisset. Quin etiam Pausan. lib. III, 7, 7 de Bacchico apud Sicyonios cultu disputans, prohibuit, quominus ipsum perantiquum putes. Recentiorem enim eum facit Phliasiorum, Thebanorumque cultu Bacchico: — *κομίζουσι δὲ μετὰ δᾴδων τε ἡμμένων καὶ ὕμνων ἐπιχωρίων. ἡγεῖται μὲν οὖν, ὃν Βακχεῖον ὀνομάζουσιν (Ἀνδρόδαμας σφίσιν ὁ Φλίαντος τοῦτον ἱδρύσατο), ἕπεται δὲ ὁ καλούμενος Λύσιος, ὃν Θηβαῖος Φάνης εἰπούσης τῆς Πυθίας ἐκόμισεν ἐκ Θηβῶν.* Unde corrigendus fortasse est Schol. Mstus P. Burmanni Sec. ad Aristid. Panath. Tom. I, p. 176. (Frommel p. 11) *ΩCΠΕΡ ΕΝ ΤΗΙ ΠΟΜΠΗΙ*] *ἐν ταῖς πομπαῖς ὁ μὲν Διονύσου* (leg. *ΛΥCΙΟΥ*) *ὁ δὲ Σατύρου, ὁ δὲ Βάκχου* (leg. *ΒΑΚΧΕΙΟΥ*) *ἀνελαμβάνετο* (leg. cum Valk. Eur. Diatr. p. 155. *ἀνελάμβανε τὸ*) *σχῆμα.* cf. Creuzer Myth. III, 474. Welcker Addit. ad Aesch. Tril. p. 199. Idem Bacchi cultus Corinthi floruit Pausan. teste II, 2, 5. — Denique quod Welckerus p. 235 (cl. 244 extr.) etiam lyricam tragoediam quodammodo ad Dionysum pertinuisse ab initio, inde collegit, quod Sicyoniorum ille heros Adrastus miro modo cum altero Adrasto, Bacchico Daemone commixtus fuerit, (cf. Welcker *Etym. Myth. Andeut.* Schwenck. p. 302. C. O. Mueller Kum. p. 173), hoc etiam minus probavit mihi quam quod Jacobus eundem Adrastum respiciens in Quaest. Soph. p. 101. Epigeni tanquam proprium opinetur, ut tragoediae honoribus Baccho ademptis Adrastum sibi aliosque heroes celebrandos eligeret; quapropter a Welckero refellitur. Cum Welckero sentit Gruppe Ariadn. p. 121. —

heroïs ipsius sed dei; saltatione vero nec ipse carere posset. Quasi in medio autem inter dithyrambum et lyricam istam tragoediam posita sunt Siculorum carmina heroico-lyrica, qualia Stesichorus, Ibycus alii multa composuerunt; nimirum haec, si argumenta spectaveris, ad lyricam tragoediam accessisse proprius dixeris, externam vero formam contemplanti, ut quae a choro, non singulis recitarentur tragoedis, dithyrambis se accommodasse magis videntur. Welckerus tamen in Addit. p. 245 Stesichorum et Xenocritum lyricas composuisse tragoedias suspicatur his argumentis usus: *„Plato setzt im Laches die dorische als die einzig ächte hellenische Tonart der phrygischen und lydischen entgegen. Darum ist es wohl nicht zu verwundern, wenn dorische Dichter von dem Dithyramb die episch chorische Darstellungsart entlehnend den eigentlich dithyrambischen Charakter ausschlossen und dafür dorische Musik und die Laute einführten. Hierdurch scheint freilich das Spiel auch aufgehört zu haben bacchisch zu sein. . . . Ist diese Vermuthung über die lyrische Tragödie gegründet, so müssen wir dann den Stesichorus welcher noch Quinctilian die Last des epischen Gedichtes auf die Laute nahm, und welcher zuerst den Chor zur Laute gestellt haben soll, zuerst für einen solchen Tragöden erkennen; obgleich kein alter Schriftsteller ihn so nennt; und eben so den Xenocritus."* Atque praeterquam, quod tragoedias a singulis tragoedis et histrionibus recitatas, cum carminibus heroico-lyricis choro solummodo aptis confundat ne illud quidem quod de doria carminum horum harmonia dicit, locum tueri poterit: cum ipse Stesichorus in fr. ex Orestea servato Phrygiam se incantaturum harmoniam esse praefetur his verbis: ap. Schol. Arist. Avv. 797. *ἔστι δὲ παρὰ τὰ Στησιχόρου ἐκ τῆς Ὀρεστείας·*

Τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων ὑμνεῖν Φρύγιον
μέλος ἐξευρόντας ἁβρῶς
ἦρος ἐπερχομένου[80]).

ex coll. fr. Kleinii nr. 39 ap. Bergk, PLGr. fr. 34, p. 643.

[80]) Cf. Mueller ad. Schneidew. epist. p. XI.

— Neque probabile est Stesichorum, cum ante Tisias vocatus esset, ideo nomen mutasse, quod primus ad citharam chorum instruxerit; sed quod quadratum chorum, exclusis tibiae spiramentis ad solam citharam primus in publicum produxerit. cf. Stesich. ed. Kleine p. 27. Mueller *Eumenid.* p. 75.

Est praeterea aliud, quod in Herodoti l. c. neque per se injucundum est animadvertisse, neque in hoc de inventore dithyrambi capite omitti debet, quod iidem illi chori, qui antea in Adrasti honorem constituti fuerunt, postea huic adempti Dionyso dati sunt a Clisthene Sicyoniorum tyranno. Etenim Clisthenes iste aut aequalis fuit Arioni aut certe non multum post Arionem vixit; unde novum iterum nostrae sententiae praesidium accedere videtur: Arionem vere dithyrambi inventorem appellari, Clisthenem vero novum inventum statim in rem suam adhibuisse. Nam hoc certe memorabile est, dithyrambum et Corinthi et Sicyone et Athenis tyrannis regnantibus Periandro, Clisthene, Hipparcho in lucem prodiisse, cum lyrica tragoedia e Sicyone certe a tyranno expelleretur. Nec tamen hoc mirum videtur, cum tyrannos istos veterum heroum memoria male haberet necesse esset: quam cum prorsus exstinguere non valerent, inducto Dionysi cultu certe debilitare populari modo studuerunt[81]). Verum tamen ut fieri solet, ipse nunc vini deus divinitatem suam seposuisse videtur, magisque humanam aut heroicam induisse vestem, si quidem ut supra monui Eleenses mulieres heroem Dionysum invocarent teste Plut. Quaest. c. 36 reliqui autem heroes quos indigenas et populares unaquaeque coluit civitas, paulatim proprium fabularum cyclum excederent, levibusque vinculis

---

[81]) Quo sensu Welckerus Add. p. 198 rectissime: „*Je mächtiger die Aristocratie oder je grösser der Geschlechter-Stolz um so weniger konnte die Dionysische Religion sich erheben. Dies scheint eine der Ursachen, warum sie in altdorischen Staaten einen ganz andern Charakter angenommen hat als in andern.*" p. 248 a. not. 188. *Die Ansicht — — leitet von selbst darauf hin, die Geschichte der Tragödie mit der Lage der öffentlichen Dinge in Verbindung zu bringen, und die Erweiterung der Dionysischen Feste als eine Wirkung des democratischen Bestandtheils in den Staaten zu betrachten.*" Cf. 195 not. 40, p. 248—256. Kanngiesser l. l. p. 77—81.

Dionysiacis fabulis adnecterentur[82]). Hinc imprimis maximum subnatum fuisse puto filiorum Bacchi numerum hinc etiam plurimas de expeditionibus proeliisque Bacchi fabellas. Pro qua sententia meliorem Phliasia testem vix habeo, quae quidem terra, cum Araethyrea antea audivisset, deinde nomen mutavit, a Phliante, non Calai amplius sed Bacchi ex Araethyrea filio. Cf. Pausan. II, 12, 16. Simul ex his, quae modo dixi, optime intellegitur Zenobii Prov. V, 40 locus, vexatissimus: *τῶν χορῶν ἐξ ἀρχῆρ εἰθισμένων διθύραμβον ᾄδειν εἰς τὸν Διόνυσον, οἱ ποιηταὶ ὕστερον ἐκβάντες τὴν συνηθείαν ταύτην Αἴαντας*[83]) (?) *καὶ Κενταύρους γράφειν ἐπεχείρουν. ὅθεν οἱ θεώμενοι σκώπτοντές ἔλεγον· οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. διὰ γοῦν τοῦτο τοὺς Σατύρους ὕστερον ἔδοξεν αὐτοῖς προεισάγειν ἵνα μὴ δοκῶσιν ἐπιλανθάνεσθαι τοῦ θεοῦ.* Etenim initio poetae tametsi non Bacchi ipsius *πάθη* choreis carminibusque celebrarent, tamen eorum certe heroum *πάθη* celebrare solebant, quibus non modo cum Bacchicis rebus conjunctio intercederet, sed quibus ex patriis etiam civitatis fabulis intercederet, in qua docerent choros. cf. Schneidew. Simon. p. 52. Dissen. Pind. p. 625. Mueller epist. ante Schneidew. Ibyc. fr. p. XI. Postea autem ne hoc quidem praescriptum remansit intactum sed pro lubitu poetae aut Sicyone docentes e. g. Thebanas aut Thebis Sicyoniacas immiscuerunt fabulas narrationibus popularibus, quo audito et viso conclamarunt, obstrepueruntque spectatores, „*nihil hoc ad Dionysum*" suo certe

---

[82]) Plut. Q. Gr. 12. *τῆς δὲ Ἡρωΐδος τὰ πλεῖστα μουσικὸν ἔχει λόγον, ὃν ἴσασιν αἱ Θυϊάδες. ἐκ δὲ δρωμένον ἂν τις φανερῶς Σεμέλης ἀναγωγὴν εἰκάσειε.* V. Schoell. orig. Gr. Dr. p. 62—70.

[83]) Huic loco maculam impictam esse jam Bentlejus vidit in Opusc. p. 284 atque *Γίγαντας* legi jubet, probanto Boettigero *Vaseugem.* III, 162; repugnante Welckero Nachtr. p. 278 not. 238. Bergleino de Philox. Cyth. p. 33. Ac sane nescio, quid Ajaci cum Centauris sit. Verum equidem lego potius *Ἀταλάντας.* cf. Aelian. V. H. XIII, 11. Similis e Juliani Orat. VI, p. 220 Spanh. tollendus error est: *ἕποντο δ' αὐτῷ οὐ ΝΑΥC καθάπερ Ἡρακλεῖ, οὐδ' Ὕλας, οὐδ' ὁ Τελαμών, οὐδ' ὁ Αἴας, οὐδ' Ἄβδηρος, ἀλλὰ Σάτυρος καὶ Βάκχαι καὶ Πᾶνες καὶ Δαιμόνων ϛρατιά.* Lego: *οὐδ' ΙΟΛΑΟC.* cf. Paus. VIII, 14. Eur. Heracl. 215.

jure dictitantes. Quae populi lasciva initio cavillatio ne in apertam indignationem erumperet Pratinae artificio prohibitum est non sine nova etiam tragicae artis amplificatione et Phliasiorum adepta gloria, cum Pratinas Phliunte oriundus dramatis satyrici inventor factus non solum ipse praecipuus hoc genere poeta haberetur, sed Aristiam quoque filium in eadem arte egregium sibi genuisset successorem[84]). Atque prima aetate quidem Satyricum drama tragoediae praecessisse caussa non est, cur testanti Zenobio l. c. non credamus[85]). Quem-

---

[84]) Σατύρους igitur h. l. pro dramate Satyrico accipio, quo sensu vocem Σάτυρος saepissime usu venisse post Casaubonum l. l. et Bentl. epist. ad Mill. p. 465 opusc. Lips. non opus est, multis exemplis confirmare. Itaque Erasmi Adagg. p. 34, 127 interpretatio hujus loci non probanda est: „Cum initio chori in Bacchum canere dithyrambum solerent postea poetae ab hoc desciscentis more Ajaces et Centauros scribere conabantur. Quod cum irriderent spectatores, nihil hoc ad Bacchum dictitantes, poetae in dithyramborum quasi exordio Satyros induxerunt; ne obliti esse Bacchi dicerentur."

[85]) Welckerus in Trilog. Aesch. p. 507 ubi de Aeschyli Satyris loquitur, haec dicit: *„Das Satyrspiel (Prometheus Pyrçaeus) muss auf die Abenddämmerung berechnet gewesen sein, welche leicht herangekommen sein konnte, wenn die Mitkämpfenden mit ihren Stücken vorangingen zumal an kürzern Tagen, jenachdem die Jahreszeit der Dionysien war* [Philostr. V. A. VII, 11. p. 254]. *Freilich enden auch die Eumeniden mit einem Fackelzuge und sollte diesem die einbrechende Nacht zu gut kommen, so blieb vielleicht für das Satyrspiel Proteus zu wenig Licht übrig. Ebenso wenn man im Nauplios des Sophocles die täuschende Fackel auf dem Kaphareischen Vorgebirge sich gern als sichtbar denken möchte, und alsdann am liebsten nicht am hellen Tage, entsteht die Frage, ob manche Satyrspiele vielleicht bis in die tiefe Dämmrung oder wohl gar bei einer zu ihrem Inhalt passenden Beleuchtung gegeben worden sein mögen."* Unde simul V. D. sententia perspicitur satyros ab Aeschyli inde tempore semper tragoedias secutos esse. Quid vero? si sic statuas: in universum tragoedias praecessisse satyris, sed saepissime hanc ordinem inversum esse, si quid splendoris inde tragoediarum apparatui subnasceretur. Cf. W. Genthe *ästh. Abhandl. über das Satyrspiel p.* 59. Is satyros ab initio quidem auspicatos esse suspicatur dramatum actiones, postea tamen, ne spectatores satyrorum protervitate ac festivitate ad lasciviam protrusi augustiora tragicorum histrionum conamina aspernarentur, post demum tragoediae cothurnum Satyros prosiluisse in scenam retur. Rem

admodum vero Satyri isti cum Sileno officio suo satis fecerint, Dionysi memoriam sustinendi, ex Euripidis Cyclope, satyrico dramate, quod aetatem tulit, unico, intellegitur. Ibi enim Silenus, prope antrum Cyclopis residens, in sermone ad Dionysum satis longa, omnia Bacchi *πάθη* in memoriam spectatorum revocat, a Junonis inde ira usque ad id tempus, quo tempestate naufragus Siculum Silenus litus appulit:

ὦ Βρόμιε (ait) *διά σε μυρίους ἔχω πόνους*
νῦν, χ᾽ ὅτ᾽ ἐν ἥβῃ τοὐμὸν ηὐσθένει δέμας.
πρῶτον μέν, ἡνίκ᾽ ἐμμανὴς Ἥρας ὕπο,
νύμφας ὀρείας ἐκλιπὼν ᾤχου τροφούς.
ἔπειτα δ᾽ ἀμφὶ γηγενῆ μάχην δορός
ἐνδέξιος σῷ ποδὶ παρασπιστὴς γεγὼς
Ἐγκέλαδον, ἰτέαν εἰς μέσην θένων, δορὶ
ἔκτεινα — — — — — — — —
καὶ νῦν ἐκείνων μεῖζον᾽ ἐξαντλῶ πόνον.
ἐπεὶ γὰρ Ἥρα σοὶ γένος Τυρσηνικόν
λῃστῶν ἐπῶρσεν, ὡς ὁδηθείης μακράν,
ἐγὼ πυθόμενος κτλ.

Etenim quod ipse aliquam ex dei passis gloriam captare studet, haec optima est Satyrici generis *οὐτιδανοῦ* adumbratio. cf. Welckerus Add. p. 297 sqq.

Ceterum non defuerunt, qui primum Epigene docente vocibus istis: *οὐδὲν πρὸς Διόνυσον* resonuisse theatra traderent; quod quam egregie nostrae opinioni faveat nemo non videt. Nam cum Epigenes et Sicyonius esset et Sicyoniis coram suas doceret fabulas, patet hinc in eadem civitate, in qua tragoedia ista lyrica primum innotescente dithyrambo ab indigenis heroibus ad Dionysi cultum deflecteretur, non multo post Dionyso primarias rursum partes quodammodo ereptas, Graeciaeque heroibus fere omnibus restitutas esse, renuente quidem populo, sed victoriam arte reportante. cf. Suid. v. *οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον.* Friebel Dram. Satyr. fragm. p. 2—11

Welckerus in Add. Aesch. denuo aggressus est p. 279 not. 242; Hermann. Eur. Cycl. praef. p. XI in Zenobii loco *προσεισάγειν* legendum esse contendit. —

ed. Larsow. Atque ex his denique elementis vera tragoedia prosiluit, ut rectissime huc referri possit Aristot. A. P. c. IV. *πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα ἡ τραγῳδία ἐπαύσατο καὶ ἔσχε τὴν ἑαυτῆς φύσιν.* Sed tragoediae inquirere primordia nunc nostrum non est; sufficiant igitur haec et quae de lyricae tragoediae tum primordiis tum natura praemonui. Sin vero etiam haec nonnulli tanquam digressionem meram damnaverint, ii, ne obliviscantur, precor, de dithyrambo me scribere instituisse, cujus poetis his etiam longiores digressiones licuerint. Ceterum paulo infra, ubi de dithyrambicorum choreutarum numero disserendum est, aliquatenus huc mihi revertendum esse praevideo, cum chori tragici numerus non nisi e comparatione lyricae tragoediae cum dithyrambo recte deduci queat. Vide cap. VII.

Sed jam revertor ad propositum. Disputata enim haec sunt omnia ad refutandam Lorentzii aliorumque sententiam de tragoediae lyricae in Italiam per Arionem transmigratione. Accedit, quod heroum cultus in Italia fere magis, quam in ipsa Graecia floreret, qua de re ut pluribus disserendi labori quiete supersedere possem, factum est Od. Muelleri opera, qui ante Schneidew. Ibyc. p. X. XI eam rem pluribus verbis persecutus est. Praeterea vero mihi quoque aliquando huc revertendi potestas erit, cum de Xenocriti Locri paeanibus aut dithyrambis dicendum erit.

Quod si nunc de dithyrambi nobis patria [86]) constat, hoc facilius intellegitur, cur omnes clariores poetae lyrici, ut Simonides, Bacchylides, Pindarus, Philoxenus, Telestes per ali-

---

[86]) De origg. dithyr. Odofr. Mueller Dor. II, p. 368 ait: „*In Corinth war es, wo er (Arion) unter Periander zuerst den cyclischen Chor zur Darstellung eines Dithyrambs einübte; wobei er wahrscheinlich locale Anlässe benutzte und Anfänge ausbildete, weil nur dann Pindarus mit einigem Rechte Corinth als die Vaterstadt des Dithyramb ansehen kann.*" Vellem indicasset V. D. quaenam alia urbs aut insula ex ipsius sententia inventi gloriam obtineat. Neque hoc satis intellego quaenam initia atque incitamenta dicat a Corinthiis Arioni suppeditata fuisse. Siquidem lyricas tragoedias intellexit, nihil moror, sin vero Bacchica laeta carmina meo jure dissentior. —

quot certe tempus Siciliae et Magnae Graeciae urbes perlustraverint[87]).

Haec igitur responsa sufficiant ad Pindari Olymp. XIII, 23 quaestionem: *Ταὶ Διωνίσου πόθεν ἐξέφανεν σὺν βοηλάτᾳ Χάριτες διθυράμβῳ.* Scio quidem ipsum poetam ad hanc quaestionem aliis locis aliter respondisse, ut Dithyrambum nunc Naxiorum nunc Thebanorum[88]) inventum diceret cf. Schol. Pindar. Olymp. XIII, 25. *Ὁ Πίνδαρος δὲ ἐν τοῖς Ὑπορχήμασιν* (cf. Bergk. PLGr. p. 242 fr. 81) *ἐν Νάξῳ φησὶν εὑρεθῆναι πρῶτον διθύραμβον, ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν διθυράμβων* (cf. Bergk. PLGr. p. 225. fr. 44). *ἐν Θήβαις, ἐνταῦθα δὲ ἐν Κορίνθῳ.* At hoc profecto non mirandum, cum haud dubie omnes loci, qui Bacchico cultu nobilitati essent, et natales Dei et dithyrambum sibi vindicarent. Et, cum in ipsa antiquitate plures vocis *διθύραμβος* etymologiae in usu essent, (cf. Schol. in Plat. Rempbl. 122, 11. Bekk. p. 400) nihil poetis facilius fuit, quam ut singulas etymologias, prout nunc hanc, nunc illam extollere civitatem vellent, in singularum gentium gloriam converterent[89]). Itaque perquam verisimile est Pin-

---

[87]) Neque Camoenas solum Siculorum Graeci studiose amplexi sunt, sed ut aliud e rebus Bacchicis exemplum promam, etiam Cottabi lusum a Siculis acceperunt, in Graecorum postea conviviis consuetissimum. Cf. Dicaearch. Fragm. Vol. II, p. 44, 45. *περὶ Ἀλκαίου* (*Κεφ. Σ'. α'.* Athen. XV, p. 666 *δ'*. Athen. XI, p. 479. *ε'* Schol. Arist. Pac. p. 181 ed. Bas. 1547). *περὶ Ἀλκμᾶνος* (Athen. XV, p. 668). I frammenti di Dicearco da Messina, raccolti e illustrati dall' avvocato D. Celidonio Errante, de' Baroni di Vanella e Calasia Palermo 1822. 2 Vol. 8vo.

[88]) In hac de dithyrambi patria quaestione me judice Thebani, qui repulsam ferant, prae ceteris digni sunt, ut qui ex doctissima Zoëgae observatione, Satyris, sine quibus antiquus ne cogitari quidem dithyrambus potest, nullum omnino in Bacchicis fabulis locum concesserint. cf. Welcker addit. ad Aeschyl. Tril. p. 229 not. 155. Casaub. Sat. Poes. p. 29. — De Naxo insula cf. Welckerum Addit. p. 236 cum not. 173. —

[89]) Negaverim itaque Bodium hist. Gr. Poes. II, 2. p. 232 recte hoc statuisse: *„Wo die Sage von der Doppelgeburt des Dionysos am ältesten ist, da muss wohl auch nothwendig der älteste Sitz der dithyrambischen Poesie sein, welche doch nach etymologischen Versuchen ebenfalls von der Geburt des Dionysos ihren Namen hat."*

darum, quum Thebanorum sibi laudes dicere proposuisset, dithyrambi quoque iis tribuisse inventum; ut cum Scholiasta l. l. loquar *διὰ τὸ (Διόνυσον) δόξαι γενέσθαι δίς· ἐκ τῆς Σεμέλης καὶ τοῦ μηροῦ τοῦ Διός·* eundem vero cum Naxum celebrare vellet, neque huic insulae abjudicasse dithyrambi decus, *ἀπὸ τοῦ ὑπὸ ἀντρῷ διθύρῳ τραφῆναι (τὸν Διόνυσον).* cf. Schol. Apoll. Rhod. IV, 1131. Creuzer Dionys. p. 297 sq. Voss. Epist. Myth. 4, 77. Guil. Engel Quaestt. Naxx. c. IX, pag. 32.

Quid? quod Syracusani quoque Dionysum apud se natum esse gloriabantur. Certe hoc ex Nonni libr. IX (cf. Etym. M. p. 280. 16) colligi potest, ubi nomen Dionysi inde derivatur, quod Jupiter cum infantem in lumbo portaret insutum claudicaverit; Syracusanis autem idem *νῦσος* valeat, atque *χῶλος*, h. e. „*claudus.*"

— — — — — — — — — — —

Κικλήσκων Διόνυσον; ἐπεὶ ποδὶ φόρτον ἀείρων
Ἤϊε χωλαίνων Κρονίδης βεβριθότι μηρῷ·
Νῦσος ὅτι γλώσσῃ Συρακόσσιδι χωλὸς ἀκούει.

Unum addam. Nimirum, quoniam si qui alii, Phryges quoque de dithyrambo meruisse videri possint; siquidem non modo aptissima dithyrambo Phrygia haberetur harmonia, sed postea tibiae quoque Phrygibus inventae cycliis choris accinerent, cavendum est, ne Asiaticis istis cum furore peractis religionibus in describendis Graeciae festis, cultibusque nimis auctoritatis tribuamus, cum apud ipsos veteres scriptores, ut ita dicam *κριτικωτέρους* ea constiterit opinio, Graeca et Asiatica sive Phrygia elementa ab antiquis mythorum compilatoribus saepissime ex negligenti quodam nonnullarum similitudinum comparatione confusa esse. Pro qua confirmanda sententia insignius exemplum nunc non habeo, quam Curetum cum Corybantibus confusionem, qui Deorum ministri, Cretici alteri, alteri Phrygii, quamvis nihil omnino praeter armatam saltationem commune haberent, tamen ab ipsis veteribus tam saepe commutati sunt, ut egregius vir Demetrius ap. Strabon. Geogr. p. 472, 3 operae se pretium facturum esse crediderit, si utriusque collegii origines, munera atque

officia paulo accuratioribus finibus circumscriberet. Cf. Welckerus Aeschyl. Tril. p. 195—205. Sed videamus de Bacchico cultu, cujus haec gratia profero. Quid, quod Panopeum, urbs in Phocide sita antiquitus vel *καλλίχορος* [89]) celebraretur, quamquam quotannis ibidem Thyiadum grex cum Bacchis feminis Delphicis conveniret ad orgia rite peragenda? Sic enim Pausan. X, 4, 2. *τὸ ἕτερον δὲ οὐκ ἐδυνήθην συμβαλέσθαι, πρότερον ἐφ᾽ ὅτῳ καλλίχορον τὸν Πανοπέα εἴρηκε, πρὶν ἢ ἐδιδάχθην ὑπὸ τῶν παρ᾽ Ἀθηναίοις καλουμένων Θυϊάδων. Αἱ δὲ Θυϊάδες γυναῖκες μὲν εἰσὶν Ἀττικαί· φοιτῶσι δ᾽ ἐς τὸν Παρνασσὸν παρὰ ἔτος, αὐταὶ καὶ αἱ γυναῖκες Δελφῶν, ἄγουσιν Ὄργια Διονύσῳ· ταύταις ταῖσι Θυϊάσιν, κατὰ τὴν ἐξ Ἀθηνῶν ὁδὸν καὶ ἀλλαχοῦ χοροὺς ἱστάναι καὶ παρὰ τοῖς Πανοπεῦσι καθέστηκε. καὶ ἡ ἐπίκλησις εἰς τὸν Πανοπέα Ὁμήρου ὑποσημαίνειν τῶν Θυϊάδων δοκεῖ τὸν χορόν.* Homeri locus est Odyss. λ′ 580.

Πυθῶδ᾽ ἐρχομένην διὰ καλλιχόρου Πανοπῆος.

Quid quod Thyiades eaedem non per saxa et devia vagarentur, sed publico Atheniensium sumtu via ipsis structa munitaque esset ad Delphos usque. Cfr. Mueller Orchom. p. 36. 383 de Trip. Delph. p. 12, 13. Et tamen Thyiadas Pausan. X, 6, 2 cum Maenadibus conjungit: *Μαινάδες Θυϊάδες, ὅσαι τῷ Διονύσῳ μαίνονται.* cf. II, 7. 6. Adde Thyiadibus junctas Caryatides apud Plinium Hist. N. XXXVI, 4, quas nihilosecius apud Pratinam altero nomine Dysmaenarum insignitas videmus, licet decora Caryatidum saltatio omnibus veterum artis monumentis appareat luculentissime expressa cf. Meinek. Anall. Alexx. Epimetr. VI, pag. 360—363. Occasione data obiter Euphorionis Chalcidensis versum corrigam, quem Meinekius Anal. Alex. p. 76 (fr. XLII) non ex-

---

[89]) Similiter Aristoph. Nub. 311 de cycliis choris loquitur: *εὐκελάδων χορῶν*, cum Pratinas in eadem, ut videtur, re simpliciter dicat: *ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν.* Schol. Ar. l. l. *εὐκελάδων δὲ τῶν εὐμούσων καὶ ἡδέων χορῶν*, qua propter etiamsi Aeschylus ap. Plut. Tom. IX, p. 228 Hutt. dithyrambum vel *μιξοβόαν* appellet, minime tamen de perturbatis atque *ἀμούσοις* clangoribus ac vocibus cogitandum videatur.

pedivit. Suspicor scribendum *Δαίμων* [ἡγή]*σαιτο φιλοπλοκάμοισι Δυμαίναις.* (Steph. Byz. pag. 213) Westerm. *ἀντιάσαιτο.*

Possim praeterea complura argumenta afferre, quibus pervulgata ista de Bacchica insania opinio satis restringi queat; at nolo pluribus locis evincere, quod his laudatis satis patet. Itaque jam a Thyiadum via regrediamur in nostram. Venio igitur ad argumenta in dithyrambis tractari solita.

CAPUT VI.

DE DITHYRAMBORUM ARGUMENTIS ET TEMPORE.

Welcker Mus. Rhenan. I, p. 254.

Hymnus ist nicht jede Geschichte, sondern nur eine im Cultus begründete, die Geburt, Hochzeit, Todesfeier des Gottes oder Stiftung der Heiligthümer angehende.

[Dissen ad Pindar. p. 616. Bode *Gesch. der hellen. Lyr.* Tom. II, 2 p. 333.]

Diximus in priori capite, dithyramborum numen fuisse Dionysum solarem, cujus notio, cum apud Siculos et Magnae Graeciae colonos simplicissime expressa esset, dithyrambi deum Siculorum Bacchum vocare non dubitavimus. Cum vero, id quod in mythis accidere saepissime solet, ut notiones et symbola alieni cujusdam numinis, si qua ejusdem cum indigenae dei notionibus intercedere similitudo videatur, sine cunctatione affigantur proprio ac populari numini; cum, inquam, haec ipsa observatio in nullo Graecorum deo magis, quam in Baccho probari possit, tum imprimis Baccho isti Solari accidit, ut dithyrambus, carmen ipsi ab initio sacrum, ad alium quemlibet Graeciae Dionysum transferretur, quamvis tum ex praemiis, tum ex musica, tum saltatione tum potissimum ex argumentis apertissime primi dei notio agnosceretur. Etenim, si cui ex Platone [91]) aut Menandro [92]) de dithyrambi

[91]) De Legg. III, p. 700.

[92]) Encom. p. 48 ed. Heeren.

Baccho conjectura facienda esset, facile is de Baccho Thebano Semeles filio cogitaret, si ex Aeschylo[93]) de furibundo Thracum Phrygumque deo, si ex Pindaro[94]) de Bromio, si denique ex Nonno[95]) de Jaccho Cereris in Eleusiniis assessore. Itaque factum est, ut dithyrambus simpliciter diceretur *ὕμνος εἰς Διόνυσον.* (Pollux Lex. I, 3. Procl. Chrestom. p. 419. Timaei Lex. Platon. p. 84. Ruhnk. Gloss. Herodot. p. 606) atque argumentorum simul summa exoriretur varietas, quum poetae dithyrambici, quorum si Scholiastae ad Ar. Avv. 1408 credimus, non parva copia exstabat, ad ejusdem usque civitatis narrationes Bacchicas se accommodare studerent, cujus jussu carmen ipsis canendum esset. Solus Grammaticus Anonym. Crameri Anecd. Graec. Oxonn. Vol. IV, p. 314. *Διθύραμβός,* ait, *ἐστι ποίημα πρὸς Διόνυσον ᾀδόμενον ἢ πρὸς Ἀπόλλωνα περιπλοκαὶ ἱστοριῶν οἰκείως.* Egregie quidem. Jam vero cum in hymnis tria potissimum argumentorum genera celebrari possent, quem ad modum Welckerus l. l. optime annotat, natales nempe nuptiae atque decessus e vita; Bacchi vero et natalium haud paucae narrationes traderentur, eaeque mirificae plerumque ac stupendae, deinde ex connubiis ipsius frequentissimis Ariadnes potissimum canerentur „additi stellis honores;" denique quovis anno decessus ipsius cum luctu ac plangoribus defleretur; apparet, quanta fabularum sylva poetis ad pangenda dithyrambica carmina concessa esset. Verum tamen, si quis ideo licuisse poetis putaverit, quodvis argumentum Bacchicum quovis tractare tempore, is multum erraverit; quode tamen ut judicare accuratius possimus, de tempore primum videndum est, quo edoceri cyclii chori solerent. Qua de re, quamquam qui accurate inquisiverit, scio neminem, tamen, qui tanquam de re satis explorata dixerunt, novi permultos, quos inter Luetckius, qui ex professo rem attigit l. l. p. 59 ad Plut. l. l. nos ablegasse satis habuit, unde cyclios choros hiemali tempore institutos fuisse appareat. Graefen-

---

[93]) fr. ap. Plut. Tom. IX, p. 228 et ap. Strab. p. 639.
[94]) fr. 46 Bergk.
[95]) Dionys. XLIIX.

hanius autem in animadv. ad Aristot. A. P. pag. 4 nescio quibus aut nisus aut seductus veterum locis, Ἀνθεστήρια, Ἀπατούρια, Διονύσια dithyrambis ornari solita esse, eaque festa Dithyrambo, quod cognomen Bacchi sit, sacra esse annotavit. Non nego quidem in his Graefenhanii verbis veri inesse aliquid, sed tota annotatio ejusmodi est, ut ad falsum, quam verum propius accedat. Nam quamquam Dissenium ad Pind. fr. III, p. 616 in ea sententia versari video, ut in Anthesteriis cyclios choros cecinisse neget, postea tamen hoc aliquo modo probari posse demonstraturus sum. At Graefenhanius id tanquam exploratum ponit. Deinde in Apaturiis Athenis dithyrambum sonuisse vix credam, tamen Lasum Hermionensem probe scio eidem Baccho Melanaegidi, cui Apaturiorum festum sacrum fuit, Hermionae dithyrambica sua carmina dedicavisse. Cfr. Schneidewinus de Laso p. 11. Welckerus Addit. p. 251 not. 191. Postremo, quod in Dionysiis cyclios choros instructos esse ait, verum tradidit, si magna tantum Dionysia (τὰ κατ' ἄστυ) intellexit; sin vero utrumque festum, iterum erroris manifestus est. Optime de tempore dithyrambi egit Dissenius l. l. et p. 622, qui Lenaeis eos et magnis Dionysiis actos censet, minus tamen caute Anthesteriis cantatos esse negat. Cf. Baehr Encycl. lit. cl. ant. p. 1112. Prellerus [96]) enim, qui novissime de Dionysiis egit, hoc sibi persuasisse videtur dithyrambum non nisi magnis Dionysiis sive urbanis a cycliis choris decantatum esse; qua in opinione etiam, si quid video, Schneidewinum consentientem habet, qui, in Simonidd. frgg. p. 52 ubi vernorum dithyramborum mentionem facit, exstitisse etiam aliud eorum genus addit, quorum argumentum in fabulis heroicis versaretur, quibus cum Dionysiaca religione cognatio quaedam intercederet, qualia carmina et a Pindaro et a Simonide composita tragoediarum lyricarum nomine videri insignita fuisse. Quod vereor ne audacius conjecerit vir doctus; siquidem inter dithyrambos, tragoediasque lyricas, hoc paulo ante statuimus interesse discrimen, ut ille in heroicis fabulis versaretur, quarum aliqua

---

[96]) ibid. p. 1063.

cum Baccho aut tradita esset aut fingi cognatio posset, haec ex popularium heroum mythis argumenta repeteret. Sed de his in superioribus exposui prolixius, nunc vero, ut statim hoc loco me expediam, cur dithyrambum fortasse etiam Anthesteriis vindicari posse dixerim tria in promptu habeo argumenta.

Primum enim festis Anthesteriorum diebus etiam puerorum aliqua ratio habita est, non ut puerilia in iis gaudia lususve obtinuisse dicam, sed invaluit nescio ex quo inde tempore puerorum coronandorum consuetudo, gratissimum regenerati et anni et dei symbolum. Putemusne Athenienses in hac festissima actione cantilenis caruisse, Dionyso sacris? Non hercle. Immo affuisse puerorum catervas persuasum habeo, qui cyclium agentes chorum dithyrambum auspicarentur; qua in re etiam aliud est quod suspicor, Sileni personam florigeram in his ipsis choris paedagogico quasi inter Satyros officio functam esse. Nam nullo modo persuadere mihi possum Silenum in Bacchicis solemnitatibus omnibus indutum fuisse, ut ferunt, vestimento illo, toto ex floribus contexto[97]). cf. Meurs. Orch. p. 77. Casaub. P. S. p. 107 Ramb.

Alterum argumentum ex chytris repeto, in quibus cum moris esset, manibus mortuorum et chthoniis numinibus, sacrificium in ollis mixtum libandi[98]), hac occasione dictum esse Timothei fragmentum puto ab Anaxandride Athenaei X, p. 454 fr. salse derisum:

ἀρτίως διηρτάμηκεν καὶ τὰ μὲν διανεκῆ
Σώματος μέρη δαμάζετ' ἐν πυριχτίτρισι γᾶς
Τιμόθεος ἔφη πότ', ἄνδρες, τὴν χύτραν, οἶμαι, λέγων.

Tertiam denique hanc rationem promo, quod cum Hymenaei non tantum obiter mentio fiat in dithyrambis (cfr. Licymnius Athen. p. 603) sed Telestes etiam totum dithyrambum hoc titulo insigniverit, hoc argumentum aptissime sacris ejusdem festi cantilenis convenerit necesse est, in quo per matronas sacrificio precibusque rite peractis, regina, archontis regis

---

[97]) Aelian. V. H. III, 40.
[98]) Theopomp. Schol. Ar. Ach. 965. 1075.

conjunx, Baccho fingeretur in matrimonium offerri. cfr. Dem. c. Neaer. p. 1369 sqq. Hesych. *Διονύσου γάμος*. Quem admodum enim in Naxo insula Hymenaeus aliquando primum atque ultimum carmen suum nuptiale in Bacchi atque Ariadnes nuptiis caneret, sic in Anthesteriis, chorus in Hymenaei vices succedens, reginam istam Atticam Dionyso nubentem pie videtur concelebrasse dithyrambis [99]).

Concedo hanc de Anthesteriis opinionem non sane firmissimis se tueri praesidiis, fortasse tamen digna nunc videbitur, quae argumentis rejiciatur, nec damnetur pro somniis.

Venimus ad magna Dionysia ad quae cyclios choros pertinuisse certis veterum testimoniis constat. Etenim Arist. Nubb. v. 341:

---

[99]) Cf. Welcker Prolegg. ad Theogn. p. LXXXIX. *Nachtr. p.* 188 sqq. Gerhard *Auserles. Vasenb. p.* 130 sq. Preller l. l. p. 1057. Qua in re duo observanda restant, alterum quod apud Siculos quoque festa celebrabantur *Θεογάμια καὶ ἀνθεσφόρια;* in honorem Proserpinae (*Περσεφόνην* Melanippides cecinit) ac chthoniorum numinum (Pollux I, 32) alterum quod apud Aeginetas Delphinio mense, eadem quo apud Athenienses Anthesteria, Hydrophoriorum sacra inferis diis peragebantur (Mueller Eumenid. p. 141). — In Athesteriorum festo Bacchylidis quoque credo dithyrambum cantatum esse eum, unde Servius ad Virg. Aen. VI, 22 exscripsit VII puerorum et puellarum nomina, quos a Minotauro Theseus secum liberasse ferebatur. Scilicet Bacchylides priusquam ad praedicandas Bacchi et Ariadnes in Naxo insula nuptias se accingeret, ne laudandi Athenas Theseumque occasionem omitteret, usque ad illius sacrificii commemorationem potuit accedere, quod Minotauro Cretensi quotannis ab Atheniensibus offerebatur. Inde transitum parare ad Ariadnes Theseique amores potuit fugamque puellae cum juvene heroe maritimam, quam virginem cum a sponso in Naxo insula expositam, atque per quietem inventam finxisset a Dionyso comitibus, tandem quo tendebat pervenire sc. ad Bacchi cum Ariadne amores. Cujus modi non ingratam fuisse spectatoribus de Theseo prolusionem aut digressionem crediderim, tum quia Athenienses libenter in memoria patrii herois versarentur, tum, quia aliis etiam nominibus Theseus ad Bacchica pertineret; quippe quem primum ferrent, deo oschophorica instituisse, ante quam conjunctis populis Dionysia urbana in honorem Bacchi celebrarentur (Boeckh. Commentt. Acadd. 18$\frac{1}{4}\frac{1}{2}$. p. 117).

Ἦρί τ' ἐπερχομένῳ Βρομία χάρις
εὐκελάδων τε χορῶν ἐρεθίσματα
καὶ Μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν.

Schol. *προςηύλουν γὰρ τοῖς τραγικοῖς καὶ τοῖς κωμικοῖς, ἐπηύλουν δὲ προηγουμένως τοῖς κυκλίοις χοροῖς· ἐρεθίσματα δὲ ἤγουν ἅμιλλαι καὶ ὄργανα μουσικά. τοῖς γὰρ Διονυσίοις τοὺς κυκλίους χοροὺς ἵστασαν καὶ ἠγωνίζοντο· οἱ κωμικοὶ καὶ οἱ τραγικοὶ ποιηταί.* Idem testatur lex Euagorae apud Dem. Mid. §. 4. *ΝΟΜΟC. Εὐαγόρας εἶπεν, ὅταν ᾖ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί, καὶ ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ τοῖς ἐν ἄςει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί.* Aeschin. ctr. Ctesiphont. p. 87. *καὶ τοὺς μὲν κριτὰς τοὺς ἐκ Διονυσίων, ἐὰν μὴ δικαίως τοὺς κυκλίους χοροὺς κρίνωσι ζημιοῦτε.* cf. Liban. ad Dem. Midian. et hypoth. ad Demosth. Mid. 2. Notissimum autem est Simonidis epigr. p. 195 Schneidew.

Πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμάντιδος ἐν χοροῖσιν Ὧραι
Ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις
αἱ Διονυσιάδες.

De Lenaeis quidem non memini idem tam disertis verbis tradi, sed res per se in aperto est, cum tragoedia, quae ex dithyrambo profecta est, festo imprimis Lenaeorum peculiaris esset; quoniam, ut Boeckhium [100]) et Muellerum secutus Dissenius l. l. monuit, ubi de Lenaeis sermo sit, primam tragoediae commemorari soleant, deinde comoediae; contra ubi de Dionysiis magnis primum comoediae deinde tragoediae [101]). Crediderim autem maxime nono ac decimo die mensis Gamelionis dithyrambos ab Atheniensibus auditos esse, quippe quibus ex Inscr. Corp. titulo 523 etiam *κιττώσεις Διονύσου* in usu fuisse appareat: quam vero frequens sit in commemoratione dithyramborum *κισσοῦ hederae* mentio, ignorat nemo. Quin apud Simonidem ipsi dithyrambi audiunt *κισσοφόροι*; eaedemque cantilenae ap. Antiphanem Athen. XIV, p. 643 d.

---

[100]) Comm. de Lenaeis cett. p. 33. Corp. Inscr. n. 231.

[101]) Sunt tamen loci nonnulli, quae Boeckhii ac Muelleri opinioni obversentur; neque ea Welckero Addit. p. 279 not. 242 se insinuavit.

κισσόπληκτα μέλεα vocantur. Dionysus ap. Pratinam Athen. XIV, p. 677 c. θριαμβοδιθύραμβε κισσοχαῖτ' ἄναξ. appellatur. Quibus locis addi potest, Pindari fr. 104 Bergk.:

ἔντι δ' ἐπαντέλλοντες ἐκ κισσοῦ στέφανον
ἐκ Διθυράμβου μαιόμεναι.

ubi Bergkius et Hermannus Διθυράμβου Schneidew. Διονύσου conjecerunt; in codice enim: ἔντι . . . . . ελλοντές. ἐκισσοῦ· στέφανον ἐκ διο . . . . αιόμεναι. Adde denique Clementem Alexandrinum: ἀλλὰ γὰρ τὰ μὲν δράματα καὶ τοὺς ληναΐζοντας ποιητὰς τέλεον ἤδη παροινοῦντας κιττῷ που ἀναδήσαντας, ἀφραίνοντας ἐκτόπως, τελετῇ Βακχικῇ κτλ. Accedit, quod dithyrambus antiquissimo haud dubie dedicatus esset Dionyso, cui in Limnis sacrum esset sacellum. Eidem vero deo agebantur Lenaea, sive Ambrosia, ad quam denominationem ejusdem festi postremam Boeckhius l. l. p. 116 allusisse putat Timotheum dithyrambicum in Cyclope his:

ἔπλησε δ' ἓν μὲν δέπας κίσσινον
μελαίνας σταγόνος
ἀμβρότας ἀφρῷ βρυάζον·
εἴκοσιν δ' ὕδατος μέτρ' ἀνέχευεν, ἔμισγε δ'
αἷμα Βακχίου νεοῤῥύτοις δακρύοισι Νυμφᾶν.

Sed haec de tempore nostri carminis dicta sufficiant, quae licet ad Atticum praecipue Bacchi cultum pertineant, probabile tamen est in reliquis Graeciae civitatibus similia instituta valuisse. Itaque, cum Athenis duo festa Bacchica cycliis choris adornarentur, apparet inde, duo etiam Dithyramborum genera diversa fuisse, alterum hibernorum, quod Lenaeorum, alterum vernorum, quod Dionysiorum tempore accommodatum esset. Anthesteria enim amplius non respicimus. Atque hi sunt verni isti dithyrambi, de quibus Schneidewinus ad Simon. fgg. LXXVII, CXXI Muellerus epist. ad Schneidew. p. XI et Dissenius l. l. monuerunt[102]). Perquam igitur veri-

[102]) Placet h. l. subjungere memorabilem Aristoxeni e vita Telestae locum (Mahne p. 92, 93 Amstel.) Ἀ. ὁ. Μ. ἐν Τελέσου βίῳ φησίν· ὅπερ ἐν Ἰταλίᾳ συνεχώρησεν ὑπὸ τὸν αὐτὸν καιρὸν γίγνεσθαι πάθη, ὧν ἓν εἶναι καὶ τὸ περὶ τὰς γυναῖκας γενόμενον ἄτοπον. ἐκστάσεις γὰρ γίνεσθαι τοιαύτας, ὥστε ἐνίοτε καθημένας καὶ δειπνούσας ὡς

simile, duobus hisce generibus, prout tempus ferret, diversa fuisse argumenta, hibernis quidem tristiora, atque universo de morte dei naturaeque planctui accinentia, vernis laetiora, ad redivivi numinis tellurisque renatae salutationes apta. — Sed his in universum praemonitis veniamus ad singula.

Athenis magna Dionysia, alibi alia festa, renascente vere Baccho celebrari solebant; eodem illo tempore, quo vineta undique nova vitium propagine revirescebant; quo omnis copia narium dulces odores spargebat, denique quod Horatius hisce versibus tam vivis coloribus depinxit:

Diffugere nives redeunt jam gramina campis
　Arboribusque comae;
Mutat terra vices et decrescentia ripis
　Flumina praetereunt.
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
　Ducere nuda choros.

Iisdem igitur diebus, qui vel hebetioris ingenii animaeque tristioris hominem ad cognoscendam laetissimam numinis praesentiam inflammaverint, obmutescente lascivo commissationum strepitu exaudiebatur dithyrambus carminum omnium festissimum ac severissimum, summum cycliorum chororum decus. Et, quoniam vere renascente et regenerata natura deus ipse

---

καλοῦντός τινος ὑπακούειν. εἶτα ἐκπεδᾷν ἀκατασχέτους γιγνομένας καὶ τρέχειν ἐκτὸς τῆς πόλεως. Ματευομένοις δὲ τοῖς Λοκροῖς καὶ Ῥηγίνοις περὶ τῆς ἀπαλλαγῆς τοῦ πάθους εἰπεῖν τὸν θεόν· Παιᾶνας ᾄδειν ἐαρινοὺς δωδεκάτης ἡμέρας ξ'. ὅθεν πολλοὺς γενέσθαι παιανογράφους ἐν Ἰταλίᾳ. Occurrunt igitur h. l. etiam paeanes verni, quibus Locri Rhegiumque Italorum originem dederunt. Memorabile vero hunc locum ideo dico, quia non parvae mihi auctoritatis videtur ad Xenocriti carminum indolem perspiciendam. De quibus Plut. de Music. c. X. *περὶ δὲ Ξενοκρίτου, ὃς ἦν τὸ γένος ἐκ Λοκρῶν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ ἀμφισβητεῖται εἰ παιάνων ποιητὴς γέγονεν· ἡρωϊκῶν γὰρ ὑποθεσέων πράγματα ἐχουσῶν ποιητὴν γεγονέναι φασὶν αὐτόν. διὸ καὶ τινας διθυράμβους καλεῖν αὐτοῦ τὰς ὑποθέσεις.* Fuit igitur Xenocritus haud dubie unus e multis illis, quos Locri pepererunt, paeanographis, quorum paeanes, cum verno tempore canerentur, fortasse nec ipsi magnopere Apollineam illam tranquillitatem spirarent, paeanibus aptam; quinimmo, cum etiam heroica argumenta tractarent, pro dithyrambis, quam paeanibus melius haberi possent.

aut revixisse[103]) aut denuo prognatus esse crederetur, princeps vernorum carminum argumentum modo in fabuloso Dionysi proventu modo in reditu ipsius ex inferis versatum esse credibile est. Pertinet huc Plat. Legg. III, p. 700: *Διονύσου γένεσις διθύραμβος καλούμενος*, et Menand. Rhetor. Encom. p. 48 ed. Heeren. *ἀλλ' ἐπεὶ εὕρηται καὶ τοῦτο τὸ εἶδος τῶν ὕμνων παρὰ τοῖς ἀρχαίοις καὶ ἤδη τινὲς καὶ Διονύσου γονὰς ὕμνησαν καὶ Ἀπόλλωνος γονάς κτλ.* unde non sine veri specie conjicias, hoc ipsum vernorum dithyramborum argumentum tam saepe tritum tractatumque fuisse, ut fere pessum data latiore vocis *διθύραμβος* significatione; nihil nisi carmen videretur ad Dionysi praedicandam nativitatem compositum (!) Verum etiam Timothei huc pertinet dithyrambus famosissimus, Spartae ille edoctus Semeles partus (*Σεμέλης ὠδίς*) cujus non rara apud veteres mentio fit. (Cfr. Muellerus Doriens. II, pag. 372.) Neque divinum prope, qui in eodem argumento versatur, Pindari dithyrambum ap. Dionys. Hal. Tom. V, p. 152 Reisk. omittere fas est, in quo postquam omnes advocavit Olympios ut propitii ad claram Athenarum urbem accederent, semet ipsum fatetur advenisse, ut Cadmeiam Semelen, ejusque partum concelebraret carminibus.

Γόνον ὑπάτων μὲν πατέρων μέλπεμεν
γυναικῶν τε Καδμειᾶν ἔμολον·
Ἀχεῖται Σεμέλαν ἑλικάμπυκα χοροί.

Ceterum praeter Semelen Bacchumque, num etiam ex comitibus ipsius aut conjunctis cum ipso heroibus nonnulli vernis dithyrambis adornati fuerint, parum exploratum habeo,

---

[103]) Speciose Conr. Schwenck *Etym. Myth. Andeut.* et Hymn. Hom. p. 213. Dionysi nomen *Εἰραφιώτης* derivat ab *ἔαρ* et *φύω*, ut Bacchus intellegatur „veris dator" aut „vere procreatus." Cfr. Welcker. Add. p. 188. Commutationis literarum *ῑ* et *ῡ* exempla extant *Ἀφροδίτη* (*δύω*); *Ἀμφικτίονες* (*Ἀμφικτύων*). *δίφρος* (*δύφρος*) *ἐλαίνω* (*ἐλαύνω*) vid. Epimerism. Cramer. Anecd. Oxon. II, p. 367. *ψαυστός*, *ψαιστός* Hesych. (*ξίφος*) *ξύφος*. Epimerism. Hom. Nihilo tamen secius Schwenkii Etymologiam a scopo aberrasse docent alia verba in *ιώτης* exeuntia ut *σκευοφοριώτης* apud Eupolin, *Δειραδιώτης* apud Pausaniam II, 24, 1. *Λειψιώτης* medici nomen. Apud Alcaeum legitur *Ἐῤῥαφεώτας*. Cfr. Ahrens Tom. II, p. 540.

tamen ad diffidendum, quam credendum propensior sum. Nam praeter Horas Dionysiades, quarum si non mentio saepissima injecta esset, admodum nobis mirari liceret Briareum tantum et Hephaestum commemorari memini. Ac Briarei quidem ab Ione Chio fr. 5 Nieberd. mentio injicitur *Ἴων δέ φησιν τὸν Βριαρέων ἐκ τοῦ πελάγους παρακληθέντα ὑπὸ Θέτιδος ἀναχθῆναι φυλάξοντα τὸν Δία, Θαλάσσης ὄντα παῖδα.* Neque cur ipsius commemoratio facta sit explicatione caret. Etenim verno illo tempore, cui veterum Graecorum opinio fulgura quasi sacra et propria addiceret, (Welckerus Aesch. Trilog. p. 154) ex Ionis fictione etiam Briareus Aegeo, Thalasses filius, i. e. terrestris humor in coelum conductus a Tethye marina, inque nubem commutatus, Jovi accubat, supremo coelestium regionum numini, ignipotenti, cui fulgura et tonitrua, tempestates imbresque obsequuntur. Aether enim serenus, quem Jovem esse jusserunt veteres, nisi e terrae marisque vaporibus contractae nubes fuerint, fulmina spargere aut parare tonitrua nescit. Fortasse hic Ionis dithyrambus cycliis Corinthiorum choris compositus fuit, cum vetusta esset Corinthiorum fabula, Briareum aliquando arbitrum electum Solis de Isthmo cum Neptuno litem in prioris gratiam dijudicasse. Paus. II, 1, 16. — Wagnerus quidem *Rerum Corinth. spec. I, p. 26. 27. (Darmst. 1824)* cur Briareus centimanus litis arbiter nominetur, difficile explicatu censet: „nescio ait, an gigantis persona labores incolarum immensos designet, qui in terra aggere munienda summam posuerunt operam," qua conjectura vix infelicius excogitari quidquam potest. Ac ne in re simplicissima multum litigemus haud dubie toti huic de lite Solis cum Neptuno fabulae, Isthmi angustiae dederunt originem, quae cum tantae essent, ut serius ocius Neptuni fluctibus inundatum obrutumque iri viderentur, verendum erat, Isthmus ab hoc rapacissimo Deorum superum devoratus Solis oculis radiisque surriperetur; quod ubi vel multos post annos factum esse non viderent, finxerunt Solem in certamine cum Neptuno vicisse. Nec excogitata semel controversiae fabella, de judice diu arbitrati cogitandum esse, Briareum induxerunt hoc officio instructum, quippe qui natura sua pariter ad

aequora sive Neptuni regnum, atque ad Solis coelestia regna pertineret. Aliam viam ad fabulae intellectum iniit C. Fr. Grosch in *Recitatione „de urbe Corintho"* (*Jenae 1812. 8.*) *p. 13.* „Urbs enim, quae undique mari cincta, omnes quibus excellebat virtutes, maris ope sibi comparaverat; non alii numini quam Neptuno consecrata esse potuit. Hinc fabula Neptunum cum Sole certamen de possessione arcis iniisse, et utroque victore, arbitrum Briareum urbem quidem Neptuno, castellum vero Apollini adjudicasse, qui illud postea Veneri cesserit." — Sed Hephaesti quoque, cujus in Theodoridae Syracusani dithyrambo (Poll. X, 50) mentio fit, cum Bacchicis rebus conjunctio notissima. Cfr. Jahn *Vasenb.* p. 19 J. 20 K. Guil. Engel Quaestt. Naxx. p. 33. Welcker Aeschyl. Trilog. p. 164. 316. Gerhard *Auserl. Vasenb.* Tab. XXXIIX. XXXIX. Ceterum eodem jure, quo Jo Chius Briareum, Pindarus Orionem et Pleiades in dithyrambum induxit; quamquam Orio etiam aliunde cum Bacchicis rebus conjunctus est (Apollod. I, 4, 3). Sed cum Pleiades novembri mense ad occasum vergentes prima vere rursum ascendant, aptissimum vernis dithyrambis praebuerunt argumentum. Quo de etiam Creuzerus dixit Dionys. p. 275 addiditque, quum eandem rem ab artificibus videret expressam, in Tab. V, antiquae vasis picturam, descriptam e tabulis Duposianis. Comparet in ea Bacchus taurino capite pedibusque, clava armatus manuque ducens unam e Pleiadibus quam reliquae sorores ordine sequuntur. Extremam vasis oram ambit Baccho sacer palmes. Ceterum hunc Pindari dithyrambum, unde Etym. M. p. 675. 33. Schol. Pind. Nem. II, 16 hoc fragmentum servarunt:

Τρέχων δὲ μετά

Πληϊόναν, ἅμα δ' αὐτοῦ κύων λεοντοδάμας.

Naxiis compositum fuisse, inducor fere ad credendum aliquo Pherecydis loco ap. Schol. Germanic. v. 255. p. 65 ed. Buhle; quem Creuzerus l. l. item subjunxit: „Pleiades a pluralitate Graeci vocant, Latini eo quod vere exoriantur vergilia. Dicit autem Pherecydes Athenaeus septem sorores fuisse Lycurgi filias, ex Naxo insula, et pro eo, quod Bacchum edu-

caverunt, a Jove inter sidera sunt relatae." — Lamproclis etiam versus ap. Athen. XI, p. 491 C.

. . . . αἵτε ποταναῖς
ὁμώνυμοι πελειάσιν αἰθέρι κεῖσθε.

haud dubie e dithyrambo verno desumpti sunt. — De sola Antigones Ismenesque commemoratione apud Ionem Chium in dithyramborum fr. 6 Nieberd. „ὥς ὁ μὲν Ἴων ἐν διθυράμβοις καταπρησθῆναί φησιν ἀμφοτέρας ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἥρας ὑπὸ Λαοδάμαντος τοῦ Ἐτεοκλέους·" exoriri aliqua dubitatio possit, cui dithyr. generi adscribenda sit. Malim tamen ego vernis adscribere, quam hibernis, et si qua mihi in tam caliginosa re excogitanda commemorationis caussa fuerit, propter simillimum Semeles filiarumque Oedipi excidii genus, — utrisque enim ignis in caussa mortis fuit, — quasi per comparationem Thebanarum quoque sororum injectam mentionem esse crediderim. Sed alius aliam caussam excogitaverit. Tamen Thebis hunc dithyrambum edoctum esse facilius, puto, in animum inducemus.

Nec veris laus parca e poetarum chororumque ore profluxit. Certe Simonidea fragmenta 73, 74 Bergk. nemo ignorat; neque hi Pindari versus ignoti sunt:

τότ' ἐπ' ἀμβρόταν χέρσον ἐραταί
ἴων φόβαι ῥόδα τε κόμαισι μίγνυται.

qui si integri loci exstarent, non dubito, quin mirum quantum nos et propter sermonis flores et sententiarum pulchritudinem arriderent.

Sed e veteribus comici poetae prae ceteris hujus carminum generis acerbissimi judices censoresque exstiterunt; ac quemadmodum L. Dissenius l. l. optime animadvertit, ex descriptis his vernorum dithyramborum argumentis Arist. Nubb. 332 sqq. lucem accipiunt:

ταῦτ' ἄρ' ἐποίουν ὑγρᾶν νεφελᾶν στρεπταιγλᾶν δάϊον ὁρμάν
πλοκάμους θ' ἑκατογκεφάλα Τυφῶ πρημαινούσας τε θυέλλας
εἶτ' ἀερίους διεροὺς γαμψοὺς οἰωνοὺς ἀερονηχεῖς
ὄμβρους θ' ὑδάτων δροσερᾶν Νεφελᾶν . . . . .

Ridet nimirum comicorum facetissimus dithyrambicorum carminum argumenta, nubes, ventos, tempestates, aves imbres

similia, quae ipsi tumoris ineptiarumque plena eo, quo perfruebantur honore indigna videbantur. Antiphanes contra Philoxenum ideo extollit, quod hujusmodi quisquiliis abstinuerit:

οἳ νῦν δὲ κισσόπληκτα καὶ κρηναῖα καὶ
ἀνθεσιπότατα μέλεα μελέοις ὀνόμασιν κτλ.

Transeo nunc ad hibernorum dithyramborum argumenta, quae inter non dubito, quin Bacchi passiones, sive mortem dixeris, sive descensum ad inferos usitatissimum argumentum fuerint, quamquam non memini in servatis fragmentis reperiri vestigia. Etenim si memoria tenemus id, quod paulo ante monui, quaenam in Bacchicis sacris et dithyramborum imprimis adorea tripodis vis ac significatio fuerit, mirum sane factum videretur, si in carminibus nulla aut tripodis aut Dionysi mortui mentio facta esset[104]. Sed praeter dei passiones heroum Dionysiacorum πάθη celebrata esse, cum dithyramborum tituli tum fragmenta testantur. Atque ut a Lino antiquissimo ordiar, Melanippidem ejus meminisse Schol. Venet. Il. σ' 570, quem locum supra exscripsi, testis est. Idem Melanippides auctore Athen. II, p. 35 A. Oenei regis Aetolorum meminit: Ἐπώνυμον δεσπότ' οἶνον Οἰνέως. cujus aliud etiam fragmentum ap. Athen. X, p. 429 in eodem fortasse exstitisse dithyrambo, quo Oenei mentionem fecit non improbabiliter Bode hist. Gr. Lyr. p. 298 not. 2 suspicatus est. Ferunt enim

---

104) Vide num Bacchylidis fragm. XLIX Neue. Ὁ δὲ Βακχυλίδης τὸν Πέλοπα τὴν Ῥέαν λέγει ὑγιάσαι διὰ τοῦ λέβητος, ἐφ' οὗ καὶ ὑγιὴς ἐνεδόθη in dithyrambis hibernis exstiterit? Ceterum Dionysus Lenaeorum, deus iste ab Amphictyone receptus antiquissimus, alio nomine Jacchus audiebat, quem deis inferis accensendum esse Creuzer Dionys. p. 242 contendit. Provocat ibidem V. D. ad Schol. Aristoph. Ran. 479. ἐν τοῖς Ληναίκοῖς ἀγῶσι τοῦ Διονύσου ὁ δᾳδοῦχος κατέχων λαμπάδα λέγει· καλεῖτε θεόν, καὶ οἱ ὑπακούοντες βοῶσι· Σεμελήι' Ἴακχε πλουτοδότα quibus verbis e Schol. initium antiqui hymni in Bacchum cantari soliti servatum nobis esse, quamquam nemo non videat, tamen num dithyrambi hic vice functus sit, parum exploratum habemus. Hoc certe constat Bacchum ad nauseam usque a Diagora Melio sub Jacchi nomine invocatum esse in dithyrambis Schol. Arist. Ran. 320.

Oeneum, quod Althaeam uxorum suam a Dionyso comprimi passus esset, abstinentiae suae mercedem a deo palmitem accepisse; absque dono hoc postea Oenei nomen accepisse. Althaea autem a Baccho Deianira concepta, iterum a Marte stuprata Meleagrum partu edidisse traditur; Hygin. F. CLXXI (Welcker *Nachtr.* p. 299). Itaque factum est, ut Meleagri quoque interitus Cleomenis Rhegini dithyrambo nomen dederit. Quin Meleagri mors artificiose quoque expressa in Bacchi iacentis basi conspicitur in Villa Borghesiana. — Endymio etiam, cujus Naxum nonnulli filium esse ferunt, ad Bacchicum fabularum cyclum pertinet, ut Licymnii ap. Athen. XIII, p. 560 c. versus haud dubie e dithyrambo desumpta sint:

ὕπνος δὲ χαίρων ὀμμάτων αὐγαῖς ἀναπεπταμένοις ὄσσοις
ἐκοίμιζεν κόρας.

— De Somno quoque in Bacchi comitatum recepto lege Lessingii libellum. „*Wie die Alten den Tod gebildet.*" Tom. V, p. 308. Praeterea Achillis nomine Praxilla inscripsit dithyrambum teste Hephaest. de Metr. p. 22 Gaisf. quo non tam mortem Achillis, quam sepulturam in cratere Bacchico enarratam fuisse suspicor. Discimus enim e Schol. ad Hom. Il. XXIII, 92 Dionysum, qui Vulcanum in insula Naxo hospitio excepisset, ab eo cratere aureo donatum, postquam Lycurgi Thracis minas fugiens apud Thetidem latuisset, eundem huic dono dedisse, Thetidem autem hunc ipsum Achilli filio cessisse, quare postea hujus cineres in eodem conditi sint. Auctor hujus fabulae Stesichorus traditur: „*Διόνυσος Ἥφαιστον γενόμενον ἐν Νάξῳ μιᾷ τῶν Κυκλάδων ξενίσας ἔλαβε παρ' αὐτοῦ δῶρον χρυσέον ἀμφορέα. διωχθεὶς δὲ ὕστερον ὑπὸ Λυκούργου καὶ καταφυγὼν εἰς θάλασσαν φιλοφρόνως αὐτὸν ὑποδεξαμένης Θέτιδος ἔδωκεν αὐτῇ τὸν ἡφαιστότευκτον ἀμφορέα, ἡ δὲ τῷ παιδὶ ἐχαρίσατο, ὅπως μετὰ θάνατον ἐν αὐτῷ αὐτοῦ ἀποτεθῇ τὰ ὀςᾶ. Ἱστορεῖ Στησίχορος.* (Kleine fr. 25.) Inde lucem habebit Lycophr. Cassandr. v. 273 (sermo est de Achille):

Κρατῆρα Βάκχου δύσεται κεκλαυσμένος.

cf. Schol. h. l. Heynii Observv. ad Hom. Tom. VIII, p. 376, qui scriptorum insuper hac in re discrepantiam monstravit,

quorum alii ollam dicunt; quod aliis arca est. Debeo haec Creuzeri Dionys. p. 15 sq. Etiam Cinesias videtur Achillis fabulam respexisse. Athen. XII, p. 551 D. Illud vero non satis novi cur Praxillae carmen ᾠδή vocatum sit, similiter atque Lasi dithyrambus *Centauri* ab Athen. X, p. 456 C, quem epitomatoris imperitia ὕμνον vocat; et Jonis dithyrambus, cujus initium erat: 'Αώϊον sqq. Quo vero modo Centauri Bacchico argumento apti sint, optime docent Horatii versus: Odd. I, 18, 8 sqq.

At ne quis modici transiliat munera Liberi
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata; monet Sithoniis non levis Euius.

Manil. Astronom. I, 406.

— —. et una gratus Jaccho
Crater et duplici Centaurus imagine fulget.

cfr. Spanhem. VPN. p. 241. Pittur. d'Ercolan. Tom. I, p. 25—28. III, 47. Buonaroti Observ. sopr. alc. Medagl. p. 427, 30. Creuzer Dionys. p. 14. 271 [105]). Etiam Theodoridas Syracusanus dithyrambum: *Κένταυροι* condidit, (Athen. XV, p. 699).

Fortasse etiam Bacchylidis fragm. LI, ed. Neue et Pindari fr. 131, 132 Bergk. in dithyrambo Centauri inscripto exstiterunt; quamquam Dissenius ea ex carmine convivali desumpta putat.

Denique vero Marsyas Silenus, genere quidem Phryx, sed qui tam arcte cum Graecorum mythis Bacchicis conjunctus est, ut fere in ipsa Graecia videatur progenitus, dithyrambo cuidam Melanippidis nomen indidit. Athen. XIV, p. 616. Hic enim Marsyas cum tibiam a Minerva abjectam reperisset, eaque quasi inventa mirum quantum gloriaretur eo usque fastus superbiaeque processit, ut, cum inter Cybeles forte comites versatus a Baccho una cum Dea et Apolline in insula Nysa exciperetur hospitio, ipsum Apollinem ad certamen provocare ausus esset, quae audacia tamen ipsi tam male cessisse tra-

---

[105]) De Chaeremonis centauro nuperrime dixit Henr. Bartsch. l. l. p. 8, 28 sqq. qui ad dithyrambi recentioris Attici indolem, id carmen quam maxime conferendum censet. Cfr. l. l. p. 40 sqq.

ditur} ut ne vitam quidem servare victus posset. Eadem Marsyae cum Apolline concertatio, Baccho et Cybele dea adstantibus cernitur in lapide insculpta apud Winckelmannum Monum. ant. ined. n. XXIV. Vid. Otto Jahn *Vasenb.* p. 20, 22. Schulz Bullet. 1836. p. 122. Tot igitur argumenta sunt ex heroum petita narrationibus, quatenus ad Bacchum pertinere crederentur; quorum recensus non vereor ne multum augeri posset, si plura ad nos dithyramborum fragmenta pervenissent.

Sed quum Lenaeorum Dionysus, non uno nomine ad chthonium cultum et sacra Eleusinia pertineret, fieri non potuit, quin argumentis istis paullatim etiam Cereris sese ac Proserpinae mentio immisceret, aut certe ex earum fabulis nonnullae dithyrambice tractarentur, quae haud dubie a Baccho longinquius, quam ab Eleusiniis numinibus abessent. Huc ni fallor, pertinet Melanippidis dithyrambus: *Δαναΐδες*; qui praeterea hoc nomine memorabilis est, quod interdum dithyramborum quoque titulos a choro denominatos esse docere videatur. Nam cum cyclii chori a quinquaginta choreutis canerentur, non dubito, quin Danai L filiae hujus chori saltatores repraesentaverint. De Danaidum cum Baccho conjunctione Paus. II, 37, 2. „*ἑτέρῳ δὲ ναῷ Διόνυσος Σαώτης καθήμενον ξόανον καὶ Ἀφροδίτης ἄγαλμα, ἐπὶ θαλάσσῃ λίθου· ἀναθεῖναι δὲ αὐτὸ τὰς θυγατέρας λέγουσι τὰς Δαναοῦ*" Cf. Gail l. l. p. 245. Possit etiam Euripidis in Cyclope locus 427—30 huc afferri si sanus esset:

ἀλλ᾽ εἴπατ᾽ εἴτε χρῄζετ᾽ εἴτ᾽ οὐ χρῄζετε
φεύγειν ἄμικτον ἄνδρα καὶ τὰ Βακχίου
ναίειν μέλαθρα Δαναΐδων νυμφῶν μέτα.

At ibi aut *ναΐδων* legitur aut *Ναϊάδων*; quod Valkenaer. Eur. Phoen. p. 440. Welcker. Addit. p. 218 praetulit. Tamen ne sic quidem locum omittere volui.

Eodem opinor dithyrambi Aristagorae referendi sunt, qui cum in carminibus suis profanis ac popularibus fabellis initiatorum arcana (*ἱεροὺς λόγους*) immiscuisset, impietatis postea accusatus est. Schol. Arist. Avv. 1395.

Nec tamen ea solum, quam cum Cerere Bacchus consuetudinem contraxerat, sed ea etiam, quae cum Cybele ipsi

sive magna deorum matre intercedebat familiaritas, argumenta dithyramborum quodam modo variavit. Quo sensu Pindarus magnam matrem alloquitur. (fr. 49 Bergk.)

. . . . σοὶ μὲν κατάρχειν,
μᾶτερ μεγάλα, πάρα ῥόμβοι κυμβάλων,
ἐν δὲ κεχλάδειν κρόταλ', αἰθομένα δὲ
δᾷς ὑπὸ ξανθαῖσι πεύκαις . . . .

Telestes porro Athen. XIV, p. 625 F., ubi de vario apud diversos populos diversorum organorum usu loquitur, praeter Cybelen Pelopis quoque meminit his verbis:

Πρῶτοι παρὰ κρατῆρας Ἑλλήνων ἐν αὐλοῖς | συνοπαδοὶ
Πέλοπος ματρὸς ὀρείας | Φρύγιον ἄεισαν νόμον.

Etenim una cum Rheae cultu, etiam Pelopis Niobidarumque fabulae transmigrarunt in Graeciam; unde et Lasus Hermionensis ap. Aelian. V. H. XII, 36 de numero Niobidarum testis inducitur; et Charo ex Niobe Timothei non insulse a Machone Athen. VIII, p. 341 irridetur. Cfr. Bacchyl. fr. inc. LIV, ed. Neue.

Supersunt denique nonnulli dithyramborum tituli, quorum cum mythis Bacchicis cognatio non aeque bene perspicitur: Telestae Selinuntii Argo et Aesculapius, Simonidis Memno. Ex Argo Telestae Athenaeus XIV p. 616 F. decem versus servavit, in quibus de tibicinum arte Melanippidi adversarias partes suscipiens sic pergit:

Ὃν σοφὸν σοφὰν λαβοῦσαν οὐκ ἐπέλπομαι νόῳ
δρυμοῖς ὀρείοις ὄργανον
δῖαν Ἀθάναν,
δυσόφθαλμον αἶσχος ἐκφοβηθεῖσαν,
αὖθις ἐκ χερῶν βαλεῖν
νυμφαγενεῖ χοροκτύπῳ
φηρὶ Μαρσύᾳ κλέος. κτλ.

Exscripsi hos versus, ut quam nihil ad Argo navem pertineant, possit intellegi[106]). Porro Aesculapius Telestae occur-

---

106) Si qua probabilitate, hunc dithyrambum Phliasiis compositum fuisse statuere possimus, fortasse aliquid lucis nobis ex Pausan. II, 12. 6 clarescceret: Διονύσου δὲ οἶδα καλούμενον (Φλίαντα) καὶ τῶν πλευ-

rit ap. Athen. XIV, p. 617 B. qui locus haud magis aliquid ad Aesculapium, quam superior ad navem facit. Memini tamen Dionysum quoque medicum esse cultum; quo de Creuzerus in Dionyso p. 247 dixit. Aliud quiddam suspicari possimus, si Aesculapium negaverimus dithyrambum fuisse, quod quidem edite nusquam testantur veteres. Namque Epidauri urbe Argolidis Aesculapii cultu nobilissima in honorem dei Epidauria, sive Asclepiea festa celebrata sunt, quae propter magnificentiam eximiam *μεγάλα Ἀσκληπίεια* et *μεγαλοασκλήπεια* appellabantur. De his docte disseruit C. Sprengel „*Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzeneikunde.*" Hal. 1800. Tom. I, p. 213. Sed musica quoque certamina in iisdem commissa esse, ex Platonis Ione p. 530 A. (quamquam unico loco) cognoscimus. Respondet ibi Io rhapsodus, quaerenti ex ipso Socrati: *μῶν καὶ ῥαψῳδῶν ἀγῶνα τιθέασι τῷ θεῷ οἱ Ἐπιδαύριοι;* haec: *πάνυ γε καὶ τῆς ἄλλης γε μουσικῆς.* Fortasse igitur Telestae Aesculapius carmen erat festis his Epidauriorum diebus compositum. —

Denique Simonidis Memnonem Strabo XV, p. 728 B. commemorat; ad cujus cum Bacchicis rebus expediendum connexum alii de Aurora, Memnonis matre, nescio quo jure cogitarunt; alii, quos inter Schneidewinus Simon. fr. 41 ad cultum Dionysi solaris apud Delios provocat; seductus prava librorum

---

σάντων ἐπὶ τῆς Ἀργοῦς καὶ τοῦτον γενέσθαι λεγόμενον· ὁμολογεῖ δέ μοι καὶ τοῦ Ῥοδίου ποιητοῦ τὰ ἔπη. Cfr. Didymus Il. β' 570 et Catalogus Argonautarum praefixus Valer. Flacc. Bipont. 1786. p. LXXXVI. Fuerunt quidem Staphylus quoque et Phanus, Bacchi filii inter Argonautas, quorum tamen, quum uterque soli commemoretur Apollodoro non magna increbruisse fama videtur. E contra Phliantis memoriam quanti posteriorum religio existimaverit, vel inde cognosci potest, quod ad augendam herois hujus antiquitatem nonnulli etiam matrem ipsius se ignorare simularent, Bacchique eum ex Nympha aliqua filium dicerent. Inter quos etiam reperitur quisquis est Argonauticorum scriptor v. 192. Nec non Stephanus Byz. et Schol. Apollon. Rhod. I, 115 ideo in rem nostram faciunt, cum quod tradidere matris nomen Χθονοφύλη de Bacchi istius natura chthonia atque heroica nos dubios manere non patiatur. De Phliante Bacchi filio cfr. Welckerus quoque in Additam. p. 187 not. 8.

lectione *Δαλιακῶν*, pro qua *Δαλίων ἐν δ' Συριακῶν* legendum esse, cap. IV, 2 demonstravimus. Neutram igitur opinionem ego veram esse arbitror; imo Bacchi cum Memnone nexum ex unica, si quid video, fabula a Servio Virg. Aen. I, 489 narrata explicandum esse censeo. —

Videmus igitur jam ex his licet tenuibus vestigiis, quam arcto connexa vinculo ex heroum mythis petita argumenta cum Bacchicis esse rebus deberent, ut aptam hibernis illis Lenaeorum dithyrambis praeberent materiem; quo simul, quam nobis agendum providenter et dijudicandum sit subtiliter, apparet, si quae forte dithyramborum inscriptiones primo obtuitu nihil ad Bacchicas pertinere fabulas videantur. Idem vero etiam magis in eas narrationes cadit, quae tanquam per digressionem insertae dithyrambo videntur, siquidem qui Pindarum novit, neque hoc ignorat, quam nobis interdum nec opinato longe repetita obvenire videatur mythi cujusdam mentio, quamvis, si accuratius rem inspexerimus, nihil ea possit et aptius et significantius inveniri. Quod propter tria imprimis fragmenta monitum volo: Bacchyl. fr. XV et XVI, ed. Neue; Pindar. fr. 50 Bergk., in quibus quid Geryonis sibi et Neptuni et Philoctetis mentio velit, me nondum intelligere posse confiteor. Dissenius eos aut obiter honoratos, aut Philoctetem et Geryonem iis accensendos esse hominibus arbitratur, qui sic Bacchi comitibus adscribi solerent. Quod vix credo. — Optime vero nunc Aristot. A. P. c. 2 habet explicationem, cum, quam libenter tragici poetae in fabulis Bacchicarum rerum memoriam renovaverint, nemo in his versatus ignoret. Conferantur modo, ut in Sophoclis duntaxat fabulis, qui vel plurima in his novasse fertur, me contineam, Antig. 955 sqq. Br. 1115—55; O. C. 671—93; O. T. 1100—10; Aj. 699; Trach. 216—221. Neque etiam hoc injucundum est animadversisse, hibernorum dith. nomina, tragicam quandam spirare majestatem, cum vernorum argumenta ad comicas aut satyricas fabulas propius accedant. Hinc quoque, opinor, factum est, quod dithyrambicorum alii comici alii tragici poetae vocati sint, pro ut unus quisque aut laetiora aut tristiora argumenta illustraret, neque si hoc considerasset Meinekius tantum ipsi

negotium peperissent poetae comico-dithyrambici, quos in Hist. crit. p. 526 sq. uno Anaxandride excepto, penitus evertere e poetis studet (cf. p. 373). Vide vero, quam egregie nostrae sententiae faveat Schol. Ar. Rann. 323 testimonium, a nemine quod sciam recte perspectum: *Διθυραμβοποιὸς ὁ Διαγόρας ποιητής· συνεχῶς Ἴακχε ᾄδων*[107]) *κωμικός. διθυραμβικὰ τουτέστι Διονυσιακὰ δράματα ποιῶν.* Sane Diagoram comicum nemo novit: nec si attenderis hoc dicit Schol., imo hoc innuit, Diagoram dionysiaca dramata h. e. dithyrambos in magnis Dionysiis cantandos, composuisse. Quod enim Libanius Vol. III, p. 53 ajat: *τὴν Ἐλευσῖνα καὶ τὰς ἀποῤῥήτους ἐκωμῴδει τελετάς*, a Meinekio male cum scholiastae nostri verbis confunditur: neque aliud quidquam valet, quam quod Schol. Arist. Nubb. 828 de Aristagora quodam profert: *οἱ δὲ ἐπειδὴ Ἀρισταγόρας τις διθυραμβοποιὸς ἐξωρχήσατο τὰ Ἐλευσίνια.* (De voce *ἐξορχεῖσθαι* cfr. Wagnerus Q. A. Sp. I, p. 36 Seidelius in Charinomo I, p. 365.) Scilicet cum Diagoras atque Aristagoras isti aut in carminibus dithyrambicis ea profanassent effando, (*ἐκωμῴδει*) quae non nisi inter initiatos effari licitum esset, aut in dithyrambicarum saltationum figuris mimice similia exprimenda curassent, (*ἐξωρχήσατο*) quae in sacris Eleusiniorum ritibus agere patique solerent initiati, comicorum instar se gerere videbantur, quod, sicuti comici reipublicae pravos degeneratosque mores infestis telis transfigerent, sic ipsi contra sacra deorum instituta temere impietatis vexillum tollerent. Ceterum Ulricium[108]) quoque conjectura adhibita video in eodem explicando scholio periclitatum, hunc inde sensum eliciuisse: „cum tria potissimum chororum genera Satyri, viri, puerique cycliorum chororum nomine insignita essent, Diagoras, quippe qui Satyris dithyrambica dramata componeret, factum esse ut comicis poetis adscriberetur." Qua opinione, licet scholiastae sententiam non perspexerit Ulricius tamen doctrinam hominis Meinekio providentius et magis benevole agnovit. Quibus perpensis Welckeri, dithyrambica

[107]) Hunc locum omisit Bergkius in poetis Lyrr. p. 846.

[108]) *Gesch. der hell. Dichtkunst.* Tom. II, p. 385.

tragoedia omine perinfausto excogitata videtur, de qua in Addit. p. 243, abinde p. 237 disserit; cum de dithyrambo potius tragico aut comico dicendum fuisset. Patet etiam Lueckium[109]) necessario in errore versari, siquidem in distribuendis dithyramborum argumentis, non tam festa Bacchica quam diversa fictionum mythicarum tempora respexerit. Putat enim, initio Bacchi historiam, laudes, merita, memorabilem originem, itinera epicae poesis modo tractata esse; praeterea res cum Bacchi cultu junctas, Jovem, Semelem, similia sine magno delectu accessisse; tum immixtos esse deos deasque naturae, imprimis Cybelen; postremo denique furore genuino exstincto flores, nebulas, stellas, imbres, ventosque praedicari coepta esse. Quod equidem nullo modo concedi poterit. Nam dithyramborum genus id, quod secundo loco posuit, priore ne diem quidem posterius exstitit, hoc tantum vernis, illud Dionysiis hibernis aptius fuit; quale vero exstincto demum enthusiasmo accessisse genus opinatur, id ipsum tam vetustum fuit, indeque a multa aetate omnibus in deliciis habitum, ut vel Simonides et bonus poeta, et cujus in dithyrambis imprimis cum vim tum enthusiasmum Himerius laudat, in hoc praesertim dithyramborum genere excelleret[110]).

E recentioribus qui in nostrum quoque literarum hortum

---

[109]) l. l. p. 34—37.

[110]) Dum hae plagulae prelo madent transmittitur ad nos Aug. Witschelii libellus titulum in fronte gerens hunc: *Die attische Tragödie eine Festfeier des Dionysus. Leipz.* 1844. 8. cujus perplacuit idea principalis, non oblique etiam nobis indicata paullo supra p. 217; placuerunt quoque, quae de duplici dithyramborum genere Muelleri verbis superstruxit p. 13 sqq. cl. 49 sq. minus tamen probari nobis possunt quae p. 13 leguntur: *„Der Dithyrambos war ein Lied auf den Dionysos das in der ältesten Zeit ohne bestimmte Ordnung und Weise wahrscheinlich von lustig verkleideten oder vermummten Genossen eines Festmahls gesungen wurde, später aber durch Arion um die 40 Ol. zu einer kunstmässigeren Dichtung erhoben von geordneten Chören um einen Altar gesungen und mit mimischen Tänzen begleitet wurde."* Relege nostra verba p. 159 sqq. Plura de Witschelii libro disputare ab hoc loco alienum est, neque satis scio an ipse auctor magis discentis usum respexerit, quam pretiosiores ac graviores cum doctis hominibus communicare voluerit disquisitiones.

inserere dithyrambicae poesis florem periclitati sunt, nescio an nullo res vel mediocriter cesserit. Edolati namque carmina sunt, dithyrambico quidem et colore et furore satis superbientia; dithyrambos vero non finxerunt, cum ne in argumentis quidem eligendis contigerit ipsis esse felicibus. Neque Willamovius ipse, cum iterandam curaret carminum editionem, plusquam quinque aut sex carmina etiamtum dithyramborum nomine digna censuit. Recte ille quidem, quamquam alterius cui obsecutus est censorum, taedet cum fastus, tum, quam doctis quibusdam ornamentis dissimulare nequivit ignorantia. At de recentiorum populorum imitationibus dithyrambi cfr. Grotefendus in Erschii et Gruberi Encycl. Sect. I, Part. XXVI, p. 178 sqq. et Rosenkranzius ibid. Sect. III, Part. I, p. 330.

Haec hactenus. Sed de cycliis choris, ne imperfecta rescindatur disputatio, ac de saltatione dithyrambica, illico totam pertractabo materiem.

CAPUT VII.

DE CHORIS CYCLIIS ET SALTATIONE DITHYRAMBICA.

Athen. V, p. 181:

Διάφορος ἦν ἡ μουσικὴ παρὰ τοῖς Ἕλλησι τῶν μὲν Ἀθηναίων Διονυσιακοὺς χοροὺς καὶ τοὺς κυκλίους προτιμώντων κτλ.

[V. Perizon. ad Aelian. H. V. X, 6. Spanhem. ad Callimach. hymn. Dian. 170. 242. 267. Ilgen de Scol. Poes. p. XCIV cum not. Schneider de orig. Gr. tragoed. p. 1—6 cap. I. Kuithan *Versuch eines Beweises, dass wir in Pindars Siegeshymnen Urkomödien übrig haben.* p. 110, 111. Boettiger Quid sit docere fabulam Prolus. (Opuscc. ed. Sillig. p. 284. 7. sq.) C. Seidel Charinom. I, p. 364. 496. (Magd. 1825. 8.) Kolster de Parabasi p. 18—21. (Altön. 1829. 8.) Luetcke l. c. p. 15—18. p. 60. Th. Bergk. Comm. Com. Gr. pag. 82 not. 23. K. O. Mueller Eumenid. p. 75 sqq.]

Initium disputandi a Cycleo vel Cyclone faciam Arionis patre, quo de cum virorum doctorum variae opiniones prodierint, novissime A. Boeckhius [111]) in commentt. Acadd. Beroll. an. 1836. p. 78 his verbis sententiam suam aperuit: *Da sich bekanntlich Musik, Orchestik und Poesie in den schönsten*

---

[111]) Qua in re miror Schneidewinum de Laso p. 7 Welckerum sequi maluisse, quam Boeckhium. Nam Arionem simili modo patre Cycleo exornatum putat, quam Lasum Sisymbrino, aut alios aliis, de quibus Welckerus in Append. ad Schwenckii *Mythol. Etymol. Andeutungen* p. 330 dixit. Similiter Arionis nomen de vehementiori saltatione interpretari possumus, derivandum ab *Ἄρι-ιὼν, Ἀμφίων = Ἀμφὶ-ιὼν*. Cfr. G. C. Schmidt Quaestt. Gramm. de praepp. Graecc. (Berl. 1829. 8) p. 41.

Zeiten griechischer Bildung in den Familien fortpflanzten, was man in Bezug auf lyrisch-musische Kunst in den Familien des Simonides, des Bacchylides und des Pindaros deutlich erkennt, so kann es durchaus nicht befremden, wenn Arions Vater Kycleus oder Kreisler hiess; entweder weil man ihn als einen guten Rundtänzer von seiner Kunst so benannte, oder weil ihn sein Vater zur Orchestik schon durch seinen Namen bestimmt hatte. Denn wenn Arion auch erst zu Korinth den dithyrambisch-cyclischen Chor aufführte, so wird man vermuthlich doch schon lange vorher auf der heitren Lesbos Rundtänze aufgeführt haben." In quo, quae de Cycleo statuit vir illustrissimus facile mihi persuasit, quae vero de Lesbiis addit saltationibus, cum ipse dubitanter effatus est, tum nobis non extra dubitationem posuit. Fuerint enim per me licet chori in orbem compositi, circumdederint illi deorum aras heroumve tumulos circulari vinculo, tamen cyclias ab iis saltationes descriptas esse minime dixerim. Quemadmodum enim nec lyricae tragoediae de quibus antea dixi, ab integro choro sed a singulis [112]) tantum tragoedis recitabantur, cunctis fortasse interdum succinentibus; sic in saltando chorum non nisi tripudiasse verisimile est (Hom. Il. XVIII, 566) singulos vero, electis usque peritioribus, nunc gravitate corporis nunc velocitate ac vehementia motuum nunc denique varietate ac venustate figurarum artificii sui

---

[112]) Schneidew. Ibyc. p. 57. Boeckh. C. J. I, p. 765. De lyricis tragoediis Plehnius in Lesbiacc. p. 168 miro in errore versatur, cum a solo choro cantatas putat, hypocrita non admisso. Knithanns non inepte l. l. p. 111. *Ein solcher Chor nun, welcher nicht sowohl von dem* ἀοιδὸς *unterhalten wurde, als vielmehr in der sing- und tanzlustigen Jugend jedes Ortes bestand, schloss, so denk ich mirs wenigstens, oft um den oder die Tänzer einen Kreis; dies ist der* χορὸς κύκλιος (?) *eben darum bewegte sich nun dieser runde Sängerchor auf eine ganz einfache Art rechts und links, wie wir oben S. 72 vom Scholiasten hörten, theils um nicht gleich Bildsäulen und verlegen beim Gesange dazustehen, theils nicht durch stärkre Motionen das Hauptspiel des Acteurs zu hindern, oder die Aufmerksamkeit auf dieses zu schwächen. In der geräumigen freien Mitte des Kreises spielte der Orchestes seine Rollen.*

captavisse ostentationem, atque artificum id genus sodalitati Cycleum etiam Arionis patrem adscribo, cujus in saltando institutione ac praeceptis Ario usus, mox paternae artis novator ac perfector prosiluit. Neque ex his, quae dixi, qualis ista perfectio fuerit difficile est divinatu; nimirum tum in Graecia omnium fere artium tum imprimis saltandi et voce fidibusque canendi, tam arcta conjunctio intercederet, ut immutata altera utra, sive in pejus ea conversa sive in meliorem statum protracta sit, neque altera remanere intacta instabilisque possit, eo pacto effectum est; ut si qua aetate alterius utrius nobis cognitio subobscurior videatur, ex hujus apertiore notitia, illam paulisper subillustrare nobis concessum videatur. Cfr. C. Seidelius de saltatt. sacr. vett. Romm. (Berol. 1826. 8.) p. 2—3, Charmom. Tom. I, p. 490 sqq.[113]). Itaque si meminimus, quae in cap. V. de Arionis in arte poetica novationibus, deque discrimine inter lyricam tragoediam ac dithyrambum exposuimus, hinc non inepte de ejusdem in orchestra nove inventis concludas; ipsum, quomodo carminum recitationem singulis tragoedis adeptam, integro Satyrorum aut Tityrorum choro a magistro instituendo tradiderit, eodem modo in simpliciorum chori tripudiorum locum polyschematisticam istam saltationem cycliam, singulis antehac peculiarem, substituisse. Non igitur peritiores amplius in medio se versantes ostentantesque conspecti sunt, sed chorus ipse institutione peritior redditus, in flexuosas se contortasque saltationes immisit. Ac de variis quidem saltandi modis, in quibus Kolsterum de parabasi (Alton. 1829. 8.) p. 21 turpiter esse lapsum video, cum cycliis choris magis a gyris, quos revolvebant, quam a dispositione nomen putaret inditum, mox nobis inquirendum erit; nunc vero, ne quis ea quae de Arionis in orchestica arte novatione diximus, sola conjectura inniti coarguat, paulo attentius nobis antiqui illi chori, quos a recentioribus cycliis nescio an tumultuariorum nomine apte distincturi simus, contemplandi sunt.

Atque antiquissimum quidem chori cyclii exemplum Odofr.

[113]) Cf. Boeckh de Metr. Pind. III, p. 203 (not. 15).

Muellerus (Eumenid. p. 95. 97) in Iliade [114]) comprehendisse sibi visus est eo loco (XVIII, 593), quo inter varias a Vulcano in Achillis clypeo expressas imagines chorus quoque describitur juvenum puellarumque mixtus, qui (sic Muellero videtur) licet ad dexteram nunc, nunc ad sinistram versus, pars bellicosos, pars Venustatis Gratiarumque plenos motus exprimeret, tamen intra praescriptos orbiculi limites, anxie impressa premendo vestigia, se contineret. Vereor tamen ne longe plura Muelleri subtilitas in hoc simplicissimo loco invenerit, quam alius interpretatio eliciet.

Nihil enim ibidem aliud descriptum video, nisi fidicinem, cujus cantu duo saltatores exercitati in medio juvenum puellarumque choro versantes artificiosos motus revolvunt, ac praeterea chorum juvenum puellarumque ipsum, nunc in gyrum conversum, nunc solutis circularibus nodis gregatim adversis versuum frontibus concurrentem. Nihil hic de strophicis, nihil de antistrophicis conversionibus, immo perquam elucet, quod supra dixi, antiqui chori hanc rationem fuisse, ut difficiliores elegantioresque saltandi motus non nisi unus vel duo artis tanquam professores ostentarent, reliqui vero in orbem compositi, simplicius quiddam non sine mirabili celeritate pedum tripudiarent. Etenim ne illud quidem, quod orbe soluto, frontibus concurrisse ἐπὶ στίχας dicuntur, magnam artis peritiam requirebat, unde non erat cur Muellerus (l. l. not. 14) de choreae artificiis cogitaret. De eodem loco praeter Muellerum Ad. Schoellius quoque locutus pluribus est de orig. Gr. dram. p. 53 sqq. c. not. 115. 116. Sed cum hic etiam Muellero

---

[114]) Muellerus l. l.: *Sondern gerade wie der alte Kyklische Chor, welchen Hephaestos nach der Beschreibung der Ilias* (XVIII. 593) *auf dem Schilde des Achilleus darstellte, sich wie eine Töpferscheibe jetzt zur Rechten und jetzt zur Linken im Kreise bewegt, aber dabei doch immer denselben Raum behauptet, so ist es der Begriff der antistrophischen Chorbewegung, dass während die Einzelnen ihre Plätze verändern, doch das Ganze seine Stelle behauptet.*" Bene Welckerus *Nachtr.* 186. 5 de eodem Homeri loco ait: „*Der Chortanz auf dem homerischen Schild, obgleich dem verglichen, welcher für Ariadne von Daedalus gemacht worden sei, hat zu dem dionysischen keine Beziehung u. s. w.*"

plura excogitaverit, atque vel Doriam saltationem, cui *monile* proprium nomen erat, (Lucian. Tom. IV, p. 102) iis ipsis quos Homerus delineavit Gnossii hyporchematis figuris repraesentatam suspicatus sit, in partem vocato alterius quoque Deliaci hyporchematis forma; in eo refellendo pluribus verbis opus non reor, quamvis fallacem esse ingenioseque institutam comparationem agnosci par est. Optime vero Schoellius duos κυβιστητῆρας istos non sine momento esse perspexit p. 54, in quibus totam nostram inniti apparet demonstrationem. Atque in hac loci interpretatione praeivisse jam Kuithanum video, in futilissimo isto, non tamen omni ex parte spernendo libello, quem de Pindari epiniciis conscripsit p. 112 sqq. „*Mehrere Stellen sind im Homer z. B. Il. 18, 590. Hier ist ein singender und tanzender Chor von Jünglingen und Mädchen; κατὰ μέσσους welches man nun nicht gerade zu von den Zuschauern verstehen wird, spielten zwei κυβιστητῆρες. Wie Athenaeus V, 217 von diesen ausdrücklich sagt ὠρχεῦντο, so erklärt Lucian denselben S. 131 gradezu für ὀρχηστὰς δύο ἡγουμένους τοῦ χοροῦ.*" — Ac rectissime idem Luciani lectionem ἐξάρχοντες pro ἐξάρχοντος recepit, quamquam rationibus ipsius assensum praebere nequeo. Nam quod voce μολπῆς significari παιδιάν praefracte neget, quam sit temere pronunciatum, ipse Homer. Odyss. VI, 101 convincere poterit: τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἤρχετο μολπῆς; quo de loco nuper demum Welckerus monuit Mus. Rhen. 1833. (cfr. Wolfius Prolegg. p. 263 sq. Spitznerus Iliad. Tom. III, p. 421). — Huic vero choro, quem in Iliade descriptum habemus, utique similis ille est, quem Schoellius l. l. p. 55 ex hymnis Homericis advocavit:

Αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἐΰφρονες Ὧραι
ὠρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι·
ταῖσι μὲν οὔτ' αἰσχρὴ μεταμέλπεται, οὔτ' ἐλάχεια,
ἀλλὰ μάλα μεγάλη τε ἰδεῖν καὶ εἶδος ἀγητή
Ἄρτεμις ἰοχέαιρα, ὁμότροφος Ἀπόλλωνι.
Ἐν δ' αὐτῇσιν Ἄρης καὶ ἐΰσκοπος Ἀργειφόντης
παίζουσ'· αὐτὰρ ὁ Φοῖβος Ἀπόλλων ἐγκιθαρίζει
καλὰ καὶ ὕψι βιβάς

Junctis igitur manibus Gratiae cum Horis et Harmonia, cumque Hebe, Venere ac Diana chorum ducunt, quarum in medio Apollo, Mercurius ac Mars constituti, ille citharam pulsando decore erecteque ambulatur, hi vero choreas quasi moderantur, ac *κυβιστητήρων* munera suscipiunt.

Neque aliter eae comparatae choreae fuerunt, quas in Apollinis honorem Deli incolae quotannis instruxerunt; teste Luciano Tom. IV, p. 105 Henric.: *ἐν Δήλῳ δέ γε οὐδὲ αἱ θυσίαι ἄνευ ὀρχήσεως ἀλλὰ σὺν ταύτῃ καὶ μετὰ μουσικῆς ἐγίγνοντο. Παίδων χοροὶ συνελθόντες ὑπ᾽ αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ, οἱ μὲν ἐχόρευον ὑπωρχοῦντο δὲ οἱ ἄριστοι προκριθέντες ἐξ αὐτῶν.* (Hom. Od. IV, 17. VIII, 370—380. Callimach. hymn. Del. 307) Julian. Orat. IV, p. 252. *οἱ μὲν γὰρ πλάνητες, ὅτι περὶ αὐτὸν, ὥσπερ βασιλέα, χορεύοντες, ἔν τισι ὡρισμένοις πρὸς αὐτὸν διαστήμασιν ἁρμοδιώτατα φέρονται κύκλῳ.* (cfr. Spanhemius ad Juliani Caess. p. 89 ed. Heusinger.) Ceterum ea saltatio, quae apud Homerum sola bacchica occurrit in Iliad. XVIII, 566 nihil omnino cum his choria commune habet, tamen hoc certe annotatu non indignum videtur, quod verbo: *σκαίροντες* utitur de saltatorum motibus. *Σκαίρειν* enim idem prorsus atque *σκιρτᾶν* valet, quod quidem de Satyris dictum non raro obviam fit. Sic Hesych.: *Κονίσαλος. σκίρτησις σατυρική*· Analect. II, 57: *Σκιρτήτης.* Dioscorid. epigr. 29: *Σκίρτος ὁ πυῤῥογένειος.* Cornut. 30: *Σκίρτοι.* Ipse Bacchus amat *σκιρτᾶν τε καὶ ἀθύρειν* secundum Himer. Orat. XIII, 594 (Welcker. Addit. p. 337). Ac simile quoddam tripudiandi genus, quale Lucianus l. l. descripsit, apud Sophoclem mihi comprehendisse videor in Trachin. v. 208—228 ubi Schol. ad vers. 220: *τὸ μελύδριον γὰρ*, ait, *οὐκ ἔστι στάσιμον ἀλλ᾽ ὀρχοῦνται ὑπὸ τῆς ἡδονῆς.* Nimirum non totum carmen orchesticam naturam prae se fert, sed extrema tantum particula:

ἀείρομ᾽ οὐδ᾽ ἀπώσομαι τὸν αὐλὸν, ὦ τύραννε τᾶς ἐμᾶς φρενός.
ἰδού· ἀναταράσσει μ᾽ εὐοῖ
ὁ κισσὸς, ἄρτι βακχίαν
ὑποστρέφων ἅμιλλαν.

haec, inquam, si quid video a singulis tantum (fortasse non

plusquam duobus) recitabantur choreutis, mimiceque vehementioribus gestibus corporisque motionibus exprimebantur. Reliqua vero 208—220 et 225—228 totius chori graviorem concentum requirebant, quamquam neque hos versiculos quavis omnino motione caruisse verisimile est. —

Haec igitur sufficiant ad antiqui chori, quem tumultuarium vocavimus, naturam demonstrandam. Jam vero videamus de cyclio. In quo primum nobis Xenophontis occurrit testimonium (Oecon. VIII, 20) *χορὸς κύκλιος, καλὸν θέαμα αὐτὸ καὶ τὸ μέσον αὐτοῦ καλὸν καὶ καθαρόν.* Quid igitur? nonne hinc cyclii chori proprium fuisse ediscimus, quod vacuum in medio spatium relinqui soleret, ut maxime mirer, quod Kuithan l. l. p. 112 ubi eundem locum laudat prorsus e contrario disputet: „*Diese schöne freie Mitte scheint ihren besondern Werth davon zu haben, dass sie der Platz für den ὀρχηστής war*[115])." Atqui cyclius chorus arae Dionysi circum datus nec praeter dei aram aliquid in medio suo versari passus est, neque selectorum choreutarum artificiis ne quid spectatorum attentionis vivaciore aliqua saltatione quodammodo sibi surriperet, modicis tantum tripudiis repraesentatis ipse quasi spec-

[115]) In eodem errore etiam Boettigerum versatum esse video, Opusc. ed. Sillig p. 290: „In choris cycliis, qui choro modum daret et auspicaretur carmen, cui reliqui accinerent, fuit *μεσόχορος* in media saltantium corona constitutus." Longe aliter res se habet in alio Juliani loco ex Caesarr. p. 10 Heus. *καὶ ὁ Διοκλητιανὸς ἄγων μεθ' αὑτοῦ Μαξιμιανώ τε δύω καὶ τὸν ἐμὸν πάππον Κωνστάντιον ἐν κόσμῳ προῆγεν. Εἴχοντο δ' ἀλλήλων τὼ χεῖρε καὶ ἐβάδιζον οὐκ ἐξ ἴσης, ἀλλ' οἷα χορός τις ἦν περὶ αὐτὸν, τῶν μὲν ὥσπερ δορυφορούντων καὶ προθέειν αὐτοῦ βουλομένων, τοῦ δὲ εἴργοντος· οὐδὲν γὰρ ἠξίου πλεονεκτεῖν.* Haec enim vera est cyclii chori imago. Medius est Diocletianus parastatae vero ex altera parte Maximiniani ex altera Constantius, qui tamen non *ἐξ ἴσου ἐβάδιζον*; ut in choro tragico solebat fieri, sed orbiculi formam appetebant. Locum sic vertit Cunaeus: Tum Diocletianus ambos secum ducens Maximianos, avumque meum Constantium decenter atque ordine progressus est. Hi manus quidem junxerant inter se, sed tamen haud pariter incedebant; quippe quidam quasi choro eum cinxerat, fueruntque qui satellitum more praeire vellent, quos inhibuit ille. Nihil enim prae ceteris sibi adrogabat. — Cfr. Leutsch *Grundriss der Metrik*. p. 401.

tator aderat; sed in se totum ac solum adstantium oculos invitabat, convertebat, arripiebatque. At vero, quaerat aliquis, quid tum selectis istis factum saltatoribus, quos quidem prorsus excidisse e choreis non modo per se probabile non est, sed nec ademptos videmus hyporchematis et aliis saltationibus. Neque omnino ego hos in arte sua quasi principes e medio tollo; quin etiam honorificentissimum locum iis etiamnunc assigno, quod tamen, quo intelligi melius posset, primum de numero choreutarum in cyclio choro usitatorum videndum erit. Ac dithyrambicum chorum quinquaginta constitisse choreutis non uno nobis veterum testimonio relatum est. Simonid. Epigr. LVIII, (Schneidew. fr. 203).

Χεινοφίλου δέ τόδ' υἱὸς Ἀριστείδης ἐχορήγει
πεντήκοντ' ἀνδρῶν καλὰ μαθόντι χορῷ.

Schol. Aesch. c. Ctesiph. p. 721 Reisk. Tzetzes Prolegg. ad Lycophr. p. 1 Pott. V. Schneidew. ad Simonid. p. 57. Mueller Eumen. p. 75. Ampliari hunc numerum Luetckius p. 60 annotavit ex Plut. de Mus. X, p. 663 H.[116]). Jam vero cum e cycliis choris tragicos comicosque choros profluxisse verisimile sit, mirum sane, quod jam Muellerus l. c. annotavit, atque Kolsterus l. l. p. 20 attigit, factum id est, quod cum de choro comico dubium non sit, quin e XXIV personis constiterit, tragicum autem, quem post Sophoclem quasi lege recepta XV constitisse choreutis memoriae traditum sit, tamen ab initio XII comprehendisse saltatores non temere credatur testantibus et Suidae: v. *Σοφοκλῆς: καὶ πρῶτος τὸν χορὸν ἐκ πεντεκαίδεκα εἰςήγαγε νέων* (NB) *πρότερον δυοκαίδεκα εἰςιόντων* et Anonym. Vit. Soph. *αὐτὸς δὲ καὶ τοὺς χορευτὰς ποιήσας ἀντὶ δώδεκα δυοκαίδεκα.* (cfr. Albertius de Choro Supplic. p. 2. Muellerus Eumen. p. 76. 77) — nihilo secius ipsi cyclius chorus numerorum responsionem conturbet, quippe qui e L potius, quam XLVIII quod exspectaveris choreutis compositus, duobus per-

116) Athen. V, p. 199 A. in pompa Bacchica commemorat currum qui erat *πλήρης σταφυλῆς· ἐπάτουν δὲ ἑξήκοντα Σάτυροι πρὸς αὐλὸν ᾄδοντες μέλος ἐπιλήνιον.* — Unde Alex. Sardus de Rer. invent. I, p. 16 (c. XX) acceperit: „Lyricos choro L virorum constituto a Tisia vel a Stesichoro ad lyram carmina cecinisse" nescio.

sonis redundet. Cui quidem discrimini Muellerus succurrendum esse ratus p. 75 (§. 5) postquam paulo supra poetam tragicum totidem accepisse a chorego, quam quot cyclius chorus constitit, saltatores suspicatus est, L saltatoribus fidem abrogans, XLVIII saltatores dari, docerique consuevisse poëtis putat: *„Darum hat ein viereckter Chor von fünf mal zehn weniger Wahrscheinlichkeit, und es ist viel glaublicher, dass wenn der tragische Chor in frühern Zeiten, als ein ungetheiltes Ganze auftrat, seine Zahl achtundvierzig, sechs mal acht war."* Quod si et numerum L hominum veteres scriptores edite testantur, neque Muelleri opinio omni probabilitate careat, alia haud dubie excogitanda ratio erit, quomodo tum testimonia veterum scriptorum integra serventur, tum Muelleri sententia quodammodo locum tueri possit. Eamque ego rationem in duobus istis [117]), ab Arione e medio exclusis invenio saltatoribus, qui ex *μουνάξ* (ut Hom. Od. VIII, 371 ait) saltantibus, in Chori duces commutati, XLVIII saltatoribus quasi primi inter pares propositi, L saltatorum numerum compleverunt. De quorum et statu et officio mox accuratius disseram; nunc quomodo iidem mihi ad tragoediae chorum fecisse videantur, exponendum erit. Chorum igitur tragicum ex XII constitisse personis, certe duo, quos laudavi, loci testantur. Nec tamen de his tantum numeris (XII et XV) inter scriptores controversia est, sed descendit in campum etiam tertius petitor, numerus XIV; aeque duobus testimoniis fretus, anonym. auct. Aeschyl. vit. sec. Cod. Oxon. et Rob. edit. *χορὸς δὲ τῶν τραγῳδῶν συνίσταται ἐξ ιδ' ἀνδρῶν, ὁ δὲ τῶν κωμῳδοποιῶν ἐκ κδ'.* (cf. Stanl. ed. p. 692) et Schol. Dionys. Thrac. Villois. anecd. T. II, p. 178. *ἦσαν δὲ τραγικῶν χορευταὶ δεκατέσσαρες, τῶν δὲ κωμικῶν κδ'.* quae testimonia, si

---

[117]) Bene Kuithan. l. l. p. 113. *„indess ist merkwürdig, dass schon im Homer zwei Acteurs sind die zu einem Chor spielen."* Kolsterus l. l. p. 21 de duobus ducibus aliquid subodoratus, de dispositione plusquam par erat, negotia sibi peperit, „cyclium vero versibus VIII, jugis VI, hinc illinc addito duce." Duos chori duces in Oschophoriorum festo quoque videmus choro praefuisse. (Demo ap. Plut. Thes. c. XXIII. Procl. Chrestom. p. 425 (ed. Lips. 1833) p. XII, ed. Schott.)

quid video justo brevius rejecerunt Kolsterus l. l. p. 19: „nam qui ex quatuordecim compositos tradidit biogr. Aesch. ed. Robort. ducem procul dubio non in choreutarum numero posuit;" et Aem. Albertius de choro Aeschyl. Suppl. p. 5 his verbis: „Attamen haud injuria haec ita sunt accepta, ut de industria chori dux omissus esse putetur, quo facto reliqui cantores necessario quatuordecim tantum esse poterunt, id quod fortasse scholiasta significare voluit *χορευτῶν* nomine utens, cum alibi *πρόσωπα* vel *ἄνδρες* vel solum numerale poni soleat, ut praesertim, si eundem uterque secutus sit auctorem (sic Hermann. Opp. Vol. II, p. 140) vix quidquam sit remansurum dubitationis." Justo, inquam, brevius quaestione hac defuncti sunt Vv. Dd., quoniam alteram tantum subducendi calculum viam ingressi, alteram contra, equidem mihi multo certiorem visam, augendi addendive evitarunt. Certe mihi XIV illi choreutae multo videntur proprius ad XII istos, quam XV saltatores accedere, ut si XII commemorentur, non ut nonnulli judicant, jugum primum omissum crediderim, sed duos desiderari chori duces persuasum habeam. Quod ad credendum praesertim Euripidis choro Supplicum compellor quo de iterum cum Albertio litem mihi exortam video, l. l. p. 6, hunc in modum contra Boeckhium de graec. trag. princ. p. 75 (c. VII) disputante: „Euripides quidem cur in hunc potissimum numerum incideret apta fuit caussa; nam cum VII heroum matres non plus VII esse possent, assumtis totidem famulis necessario habebat XIV cantores, neque istarum Septem, quae reliquis praestaret, ulla erat, neque quae aliunde chori universi dux accederet."

Quid vero? chorus sine duce? at haec profecto res inaudita esset, quam ne ausum quidem fuisse poetam quendam crediderim, cum sine controversia verissimum sit, quod Demosth. c. Mid. p. 530 d. profert: *ἴστε δήπου τοῦθ', ὅτι τὸν ἡγεμόνα ἂν ἀφέληταί τις, οἴχεται ὁ λοιπὸς χορός*, quem observans locum Himerius Orat. IX, §. 9 Wernsd. *οὕτως καὶ κυβερνήτου νοσοῦντος*, ait, *ὅλον συμπάσχει τὸ σκάφος καὶ ὁ χορὸς ἀβάκχευτος μένει τοῦ χοροστάτου κειμένου.* Sequitur hinc cum in Euripidis Supplicibus quae universi chori dux accederet

non esset, duas cantantium duces apparuisse, alteram quae reginarum, alteram quae famularum chorum duceret. Atque idem illud de duobus principibus praeceptum, ubique valuisse puto, ubi chorus e XIV canteribus constaret. Cur vero in hunc potissimum numerum inciderint Athenienses, neque aliam quantamcunque partem primordiali choro nimio viso detraxerint, non ita difficile puto divinatu. Scilicet si eorum chororum numerum consideramus, quos, ut iisdem aut Diis promissa solverent, aut animi pietatem manifestarent, a veteribus institutos heroibus videmus, ipse ille XIV saltatorum numerus, quasi sacerrimus atque usitatissimus revertitur. Sic teste Schol. Iliad. XVIII, 590 (ed. Mueller Tom. III, q. 70) veteres tradunt, quum antea viri et mulieres separatim choros celebrare consuessent, primum qui Theseo duce e labyrintho evaserant, VII juvenes totidemque puellas promiscue saltasse ductore Daedalo Gnosi. Deinde Plutarchus Thes. c. 18 eundem heroem memoriae tradit, Delphiniorum festo cum VII juvenibus virginibusque VII, mitigandi Apollinis caussa ad templum ipsius processisse; qui apud posteros abhinc usus invaluit. Nec non Sicyone par puerorum puellarumque numerus, Apollinem Dianamque certis quibusdam anni diebus placavit. Pausan. II, 7, 7. Cfr. Muellerus Eumenid. p. 140. Schoellius l. l. p. 39. Welckerus App. ad Schwenkii *Etym. Mythol. Andeut.* p. 285. Schneidewinus de Laso p. 15. Refero huc etiam Alcmanis carmen XIV strophis constans. Itaque verisimile est Athenienses, cum major cycliorum chororum numerus subnato paulatim ordinatae tragoediae lusu, aliquanto minuendus esset patrium, ut consueverunt, morem respicientes, eum ad eundem saltatorum numerum reduxisse, quem etiam in aliis sacris instruendis choreis usurpatum viderunt. Quae mihi reputanti dubium non est, quin chori numerum et quem postea adscivit histrionem, histrionumque dialogum a lyrica tragoedia, chori vero praestantiam, magnificentiam ac prae diverbiis amplitudinem, sero coercitam, a dithyrambis ordinata sibi Atheniensium tragoedia affixerit. Denique vero ad comprobandos XIV choreutas, etiam tragici chori facit dispositio. Etenim sive thymelen tragicam Kanngiessero rec-

tius ex Thespidis plaustris aut pulpito transformatam putet, sive Muellerus aliique ex Dionysi ara prognatam verisimilius repetant, hoc saltem dubitatione caret, chorum ex XIV hominibus constantem melius atque formosius circa eam disponi posse, quam XV, cum in XIV collocandis bina trium choreutarum juga, thymelen versus, ab eademque aversa disponi possint, ita ut duo qui restarent saltatores alter dexteri alter sinistri *στοίχου* medium tenerent. Post quam vero XV facti erant unum ascendere ad thymelen necesse erat, neque eum amplius chori corona cinxit, sed praeter sinistrum versum, cujus in medio coryphaeus positus thymelen obtinuit, reliqui versus omnes post ipsum ordinati erant. Patet hoc de chori dispositione; non agentis sed stabilis intellectum me velle. Elucet autem priorem dispositionem, quamvis et ipsa quadrata esset, tamen ad cyclium chorum propius accessisse, quoniam in hanc quoque Xenophontis cadat: *τὸ μέσον αὐτοῦ καλὸν καὶ καθαρόν.*

At jam revocari me intra terminos audio, quippe qui de cycliis, non de quadratis choris disserendum mihi proposuerim, cui quidem adhortationi et ipse eo libentius obtemperor, quo illa de tragico choro inquisitio, quamvis nostra imprimis aetate saepius tentata sit, tamen cotidie tantum abest, ut luculentior, ut vel lutulentior, lubricosior impeditiorque evadat. Vidimus igitur eosdem, qui in antiquis choris soli gracilitatem corporis ostentarant, in cycliis choris *ἡγεμόνων* officio functos esse. Quaeritur nunc quo in loco constituti fuerint, ut non modo honorificentissimum locum tenerent, sed etiam ejus modi, unde et intueri reliquos, et ipsi quoque ab omnibus conspici possent. Et cum corona facta aut arcus figura descripta medius quisque undique omnibus in conspectu compareret; reapse in aperto foret, duces cyclii quoque chori medium tenuisse, nisi idem edite testaretur Posidonius Athen. IV, p. 152. *ὅταν δὲ πλείονες συνδειπνῶσι καθῆνται μὲν ἐν κύκλῳ μέσος δ' ὁ κράτιστος, ὡς ἂν κορυφαῖος χοροῦ·* quae verba etiam J. G. Sommerbrodtius in Rerum Scenici capp. selectt. I, p. 13, probe de cyclio choro intellexit. Inde fit, ut totus chorus dithyrambicus in duo quasi hemichoria

discederet, in quorum utriusque medio singuli constituti coryphaei alter oppositus alteri reliqui inde hemichorii saltationibus ac motionibus modum darent. Atque hi sunt ἐξάρχοντες isti, de quibus locutus Aristot. A. P. IV, 6 non sine caussa plurali numero usus est: *Γενομένη οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικὴ καὶ αὐτὴ καὶ κωμῳδία, καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον κτλ.* Etenim quamquam optimo jure Welckerus eos mihi vituperare videtur, qui sub voce *ἐξαρχόντων* non cum Harlesio *κορυφαίους* intelligerent, sed aut cum Bentlejo verterent: „qui canerent" aut cum Hermanno: „qui edebant," aut cum Thierschio „sangen," — tamen quod ipse (p. 229) ajat: *von den Vorsängern des Dithyrambus, nämlich dem jedesmaligen Einem Vorsänger, was dieser im Dithyramb leistete, damit wird die Ausführung durch die Schauspieler in der eigentlich oder gewöhnlich so genannten Tragödie verglichen.*" (ib. p. 247) hoc, inquam, nullo pacto concedi potest. Etiamsi enim opinioni meae facile aliquis hoc imprimis obstare opinetur, quod proprie sic dicta tragoedia ab uno histrione profecta, alterum histrionem Aeschyli demum in re scenica obsequuta imperio assumpserit, id jam abunde eo refelletur, quod, qui primus invenit *ἐπεισόδιον*, ejusdem sibi inventi laudem ab alio eripi chori duce aegre perpessus esset. Videntur enim poetae, qui dithyrambum cecinerunt, ipsi alterius utrius coryphaei munere suscepto choro et cantandi et saltandi modum dedisse; quantum ex Epigr. adesp. ab Athen. XIV, p. 629 servato (nr. CLXXI) colligi poterit:

ἀμφότερ' ὠρχεύμην καὶ ἐν Μοίσαις ἐδίδασκον
ἄνδρας ὁ δ' αὐλητὴς ἦν Ἀνακὸς Φιαλεύς.
εἰμὶ δὲ Βακχείδας Σικυώνιος· ἦ ῥα θεοῖσιν
ἐν Σικυῶνι καλὸν τοῦτ' ἀνεκεῖτο γέρας.

ubi de cyclio choro sermonem fieri dubium non est. Cfr. W. Schneiderus de trag. orig. p. 26. Welckerus Add. Tril. p. 235. Atque idem de se praedicat, quisquis est tetrametrorum auctor ap. Athen. XIV, p. 628 A.:

ὡς Διωνύσου ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
οἶδα διθύραμβον οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας.

atque Archilochus

αὐτὸς ἐξάρχων πρὸς αὐλὸν Λέσβιον παιήονα.

Antiquitus enim poetae, qui cantum cyclium docerent, artem etiam saltandi exercuerunt; et choreutis schemata praesaltabant; quare Hesych. v. διδάσκαλος. (Tom. I, p. 978) πᾶς ὁ ἐναργῶν τι περὶ δραματοποιΐαν καὶ τῶν κυκλίων χορῶν παρασκευήν, atque disertius etiam Harpocratio et Etym. M. s. v. διδάσκαλος. Ἰδίως διδασκάλους λέγουσι (Ἀττικοὶ add. Etym. M.) ποιητὰς τῶν διθυράμβων ἢ τῶν τραγῳδιῶν, unde et ipsum carmen dithyrambicum vocatur διδασκαλία ap. Plut. an seni Tom. II, p. 785 (Vandal. diss. Marm. Ant. VIII, 5 p. 672. Boettiger l. l. p. 284. 87). Itaque Arionem Herod. I, 23 refert dithyrambum primum cecinisse et docuisse, (ποιήσαντα καὶ διδάξαντα), Cinesias autem, inter dithyrambicos suae aetatis nobiliores referendus, haud dubie a κινήσει h. e. celeritate in saltando insigni denominatus est: Schol. Ar. Ran. v. 153. Κινησίας διθυραμβοποιός· ὃς ἐποιήσατο Πυῤῥίχην, ἢ ὅτι ἐν τοῖς χοροῖς πολλῇ κινήσει ἐχρήσατο. — Superest denique Suidae locus v. χοροδέκτης· ὁ τοῦ χοροῦ προεξάρχων, qui id quod dixi optime confirmat. Χοροδέκτης enim (sive χορολέκτης rectius nominetur) cum teste Aelian. H. A. XI, 1. XV, 9 is haberetur, qui ἐνδόσιμον exhiberet, qui carmen praeiret, denique, ut breviter dicamus, qui ἐξάρχει; Suidas contra inter voces ἐξάρχων et προεξάρχων (h. e. qui primus cantum auspicatur) distinxit; unde accuratissime h. l. interpretatum esse eum quem exscripsit verisimile fiat. Quod si alter ἐξάρχων, alter προεξάρχων uno choro praefuit, quamnam muneri προεξάρχοντος melius stetisse, quam ipsum poetam credideris? Cfr. p. 64. Non reputarunt, qui hac de re judicium tulerunt Kolster l. l. p. 18 sqq. Sommerbrodt l. l. p. 16. — Similiter ap. Demosth. or. de cor. προηγεμών significantius dictum est, quam ἡγεμών (Dissen. h. l. p. 412). De voce ἐξάρχειν cfr. Fr. A. Wolf Prolegg. p. CCLXIII. Muellerus Eumen. p. 89. Welckerus Add. p. 245. Liebel Archil. p. 121. — Quod inter προεξάρχοντα et ἐξάρχοντα discrimen, quam vere statuatur, ad demonstrandum optime inservit Philoxeni Cyclops, cujus ex fragmentis duo distingui possunt confabulantes, alter Cyclops, alter Ulyxes. Etenim verba illa

fr. VI: *οἴῳ μ' ὁ δαίμων θηρίῳ συγκαθεῖρξεν;* (p. 61) aperte Ulyxis esse in caverna cum Polyphemo inclusi, bene observat Fiorillo l. l. p. 84. Ex fr. VII vero (p. 63) compertum habemus, Polyphemum Ulyxi ejulanti respondisse *ἔθυσας, ἀντιθύσῃ.* Nec non bipartitum in hoc dithyrambo chorum fuisse cognosci potest, cum si Ulyxem sine sociis induxisset Philoxenus et herois dignitati et Homericae narrationi repugnasset; Polyphemum autem inter armenta velut pastorem fictum esse, ex Aristophanis parodia satis apparet. Unde Horatianum „Pastorem saltaret uti Cyclopa[118]."

Sed jam de reliquis choreutis, quid statui possit, videamus. Ac Schneiderus quidem in eo libello, quem de originibus tragoediae Graecae (Wratisl. 1817) in lucem edidit, postquam jam in altero, quam de origg. com. Gr. eodem anno emiserat p. 24 de dithyrambicis et satyricis choris, quibus ut constet Thespis usus sit, obiter effatus est, in eo igitur eandem rem de integro suscipiens, ita argumentum pertractare conatus est, ut c. I de choris dithyrambicis, c. II de satyricis, c. III denique de tragicis choris exponeret, ejusque disputationis summam maxime perspicue exponeret p. 5. „Dithyrambicos autem choros diximus nullam mutationem compertos esse atque a tragoedia semper et ubique alienos fuisse. Nec tragicos quidem choros ex his proxime ortos esse contendere ausim, sed primum satyricos, e quibus demum emersit tragoedia." Etenim persuaserat sibi Schneiderus „tantum inter hoc utrumque, dithyrambum inter et tragoediam, interesse discriminis ut si nihil aliud intercessisset, alterum ex altero nasci non potuisset." cf. l. l. p. 36. Neque Schneiderus est, qui solus ab hac sententia standum rebatur, sed Pinzgerus etiam de dram. satyr. p. 11. Muellerus Dor. II, p. 368. Jacob. Q. S. p. 25 sq. simile quiddam suspicati esse videntur. Verum tamen meliore jure iisdem ex aversa parte pugnant Genthius[119])

---

118) Satyr. I, 5. 63 ib. Heindorf.

119) *Dass man bei diesen Gesängen Satyrn vorstellte, oder wenn auch nicht wirklich vorstellte, doch in der Idee annahm, lag schon nahe und war natürlich.*

in libello: *„Aesthet. Abhandl. über das Satyrspiel"* p. 55 §. 7 et Welckerus[120]) Add. p. 233, etsi, quae de Arionis satyris Welckerus[121]) paulo infra, Boeckhius[122]) et Ulricius[123]) disputarunt, non omni mihi ex parte comprobarunt. Sed res in aperto est, dummodo dithyrambus, quid significet, meminerimus, sc. idem, quod *τιτύραμβος* h. e. carmen a Tityris sive rusticis hominibus satyros imitantibus cantantum. Vide cap. V. Nunc enim reapse patet dithyrambum sine satyris ne existere quidem potuisse; etiamsi postea satyrorum exuisse personas probabile sit (Welcker p. 233), ac simul Arionis satyri, quid memorabile in se continuerint elucet, nimirum *σατύρους* dicitur *εἰσενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας*. Satyrorum enim instar, gestu, sermonisque lascivia diu ante Arionem se gessisse rusticos et colonos quis neget? (Welcker pag. 226) Ario vero primus repraesentavit tityros metrum servantes, dithyrambo tum primum in Graecia resonante atque hoc certe quod memoriae traderetur dignum fuit. Neque alius sensus depromi ex Suidae verbis laudatis potest, quippe qui verbo *εἰσενεγκεῖν* utens Arionem Satyros addidisse, inseruisse dithyrambico choro (quae Welckeri sen-

---

[120]) *Was die Einführung von Satyrn betrifft, so ist klar, dass sie nicht einen Chor ausser dem Dithyramb, das ist ausser dem Chor bildeten.*

[121]) *Nachtr. p. 234. Auf jeden Fall scheint das eigentliche Spiel des Arion städtisch gewesen zu sein, ohne die Satyrmaske, welche der Dithyramb auch in Athen ablegte, als die Männer und Knabenchöre von Staatswegen aufgestellt wurden. Die Satyrn also die er hinzufügte erhielten dem veredelten in den Kreis der Kunst erhobnen Chorgesanges etwas von der alten ländlichen Lustbarkeit, eben so wie später im attischen Satyrdrama das Volksspiel dem Erzeugniss der städtischen Kunst beigesellt wurde.*

[122]) Boeckh *Staatsh.* Vol. II, p. 363. *„— wiewohl er als handelnde Personen schon Satyrn dem Chor zugesellt haben soll."* —

[123]) *Geschichte der hellen. Dichtkunst. Vol. II, p. 584. Nachdem Thespis vielleicht auf Arions Vorgang die Satyrn von der ersten Darstellung durch den Männerchor und seine Vorsänger getrennt hatte, wurden nun auch in den eigentlich dithyr. Aufführungen Satyrn von den Chören der Männer oder Knaben abgesondert.*

tentia est) minime in animo haberet, sed verbi illius significationem admisit usitatam, Arionem metricis Satyrorum lusibus inventis novi aliquid in scenam introduxisse, ac prodire jussisse in publicum. Alia sane quaestio esset, quo usque temporis haec satyros imitandi consuetudo pervaluerit; sed eam opinor in medio relinqui satius erit, siquidem hoc eo tempore desiisse fieri cum aut inter puerorum virorumque choros distingui coeptum, aut dithyrambus in theatra receptus sit, nulla certe idonea caussa videatur, cur suspicemur. Etenim, cum apud veteres scenicarum rerum ordinatores inter satyros et imberbes et barbescentes et barbatulos et barbigeros distinguerent, quid impedit ne puerorum chori imberbes istos barbatulosque, virorum autem barbatam satyrorum gregem imitari potuissent, et cum in dramatico [124]) lusu non aegre plebs illa superum ferretur, cur in dithyrambico conspecti bilem moverint? Sunt tamen alia quaedam indicia, unde ex cycliis choris mox exulasse satyros conjeceris, primum quod jam vetustiorum dithyramborum tituli ejusmodi sunt, ut satyrorum praesentiam praefracte respuant, quos inter Lasi Centauros, Melanippidis Danaides, Philoxeni Mysos et Syrum nominari sufficiet; tum quod cyclii choregi, cum dithyrambus primum inter liturgias receptus esset, quo sibi, uti aliter fieri non potuit, popularem auram benevolentiamque captarent neve in publico sumptu parci ac sordidi apparerent, simplicibus istis ac sordidis homunculis pannos undique purpureos assuere coronasque imponere aureolas coacti fuissent, quod etiamsi factum esse nonnullis recentiorum vv. dd. persuasum sit, tamen a Welckero abunde refutatum est Additam. pag. 235, not. 170; denique quoniam non Antigenidam modo Philoxeni auloedum, (?) in Comissante, dithyrambo aliquo, crocoto [125])

[124]) Bode l. c. p. 166.

[125]) De crocota veste cfr. C. Bartholinus de Tibiis p. 360. Welckerus Additt. p. 109 cf. not. 29. Wunderlichius ad Tibull. I, 7, 46. C. G. Glaeserus de cantu et saltatione ap. Graec. incunabul. cult. (Lips. 1829. 8.) p. 33, qui plenus est rerum bacchicarum libellus. Meinek. Q. Sc. I, p. 25 sive hist. crit. p. 57. Com. Fragm. II, 1 p. 37 ad fr. Cratin. I. At Milesiaca calceamenta haud scio an nullo alio loco

indutum vestimento Milesiisque calceatum soleis processisse primum accepimus teste Suid. v. *Ἀντιγενίδας*, atque Anaxandridem comicum novimus cum dithyrambum aliquando Athenis doceret, comatum purpura usque ad talos demissa, pedemque nivea vinctum aluta, equo vectum recitasse cantilenae particulam; sed Polyphemum etiam in Cyclope Philoxeni colligimus ex Arist. Plut. v. 290 Schol. conspectum esse *πήραν ἔχοντα κτλ.* Videsis imprimis quae supra de mimica in Cyclope dithyrambo saltatione annotavimus.

Sed haec de chori cyclii dispositione, numero, ducibus, vestitu hactenus. Restant enim nonnulla de ipsa saltatione addenda, quae statim h. l. adducam, ut pote pauciora, quam quae singulari capite comprehendam. Ac Luetckius quidem l. c. p. 62 dithyrambis singulare quoddam saltationis genus fuisse, non verisimile arbitratur, quum inter multa saltandi generum nomina, quae recenseat Athen. XIV, p. 629 etc. nullum sit, quod dithyrambo adscribat. Tamen Poll. Onomast. IV, 16 ait: *τυρβασία δὲ ἐκαλεῖτο ὄρχημα διθυραμβικόν*, quo tamen accuratius locutus esse videtur Hesych. s. v. *τυρβασία* (Albert. Tom. II, p. 1435) *χορῶν ἀγωγή τις διθυραμβική.* Cum utrisque locis conferri juvat: Hesych. *τύρβη· θόρυβος· ἀγωγή· τάραχος.* Suid. *Σύρβη· τάραχος.* Suid. p. 3463 B. C. *Συρβηνεύς· ὁ ταραχώδης· ἀπὸ τῶν αὐλούντων μετὰ θορύβου. καὶ Συρβηνέων χορός· ὁ τεταραγμένος καὶ στώδης, ἀπὸ τοῦ τοῖς ᾠσὶν ἐπιφωνουμένου. Διὸ τάττεται ἡ παροιμία Συρβήνης χορὸς ἐπὶ τῶν ἀτάκτων χορῶν.* Zenob. Proverb. VI, 1. *Συρβηνὴς χορός· αὕτη τέτακται κατὰ τῶν ἀτάκτων χορῶν.* Ac *Τύρβαν* quidem inter Bacchica Argivorum festa

commemorentur. Certe equidem de iisdem B. Balduinum de calceo antiquo et Nigronum de caliga veterum et F. E. Rambachii de Mileto ejusque colon. dissertationem Hal. 1790. 4. frustra percurri. De albis calceis cf. Bald. l. l. p. 74. 5. Ceterum de Batalo Ephesio, auloedo, qui haud multo ante Demosthenem vixit, simile quoddam traditur a Liban. Vit. Dem. 2. (p. 4, 24 sq. ap. Bekk. oratt. Phil.) *Ἱστόρηται γάρ τινα Βάταλον Ἐφέσιον αὐλητὴν γενέσθαι ὃς πρῶτος ὑποδήμασι γυναικείοις ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχρήσατο καὶ μέλεσι κατεαγόσι καὶ ὅλως τὴν τέχνην ἐμαλθάκιζεν.* cf. E. Guhl Ephesiac. p. 147.

fuisse Pausan. II, 24, 6 testis est: τῷ Διονύσῳ δὲ καὶ ἑορτὴν ἄγουσι καλουμένην Τύρβαν. cfr. Prellerus l. l. p. 1066. Schoellius l. l. p. 97. De saltatoris nomine ΤΥΡΒΑΣ ap. Jahnium Vasenbilder. p. 28. Vid. cap. V, §. 6. Neque Welckerus in Addit. p. 225 improbabiliter Θυρμίδας populum ex tribu Oeneïde, quasi Τυρβίδας cum Bacchica ista saltatione connectit. Fuit igitur, si quid video, tyrbasia species quaedam sive σχῆμα quoddam saltationis dithyrambicae. Etenim mimicas[126]) saltationes si paullo accuratius adspexeris, schematum figurarumve miram quaedam prae se tulerunt varietatem, eo tamen constanter, opinor, servato modo, ut quinque figuris plures contineri in iis non liceuisset.

Sic „pythici modi, qui ad tibiam canitur, partes quinque sunt, rudimentum, provocatio, jambicum, spondeum, ovatio. Repraesentatio autem est pugna Apollinis contra Draconem; et in ipso experimento locum circumspicit, num sit conveniens pugnae, in provocatione vero provocat Draconem, sed in Jambico pugnat. Continet autem Jambicum tubae cantum et odontismum, utpote dracone inter sagittandum dentibus frendente. Spondeum vero dei victoriam repraesentat: et in ovatione deus ad victoralia carmina saltat." Pollux IV, 10. περὶ τῶν πέντε πυθικῶν ἀγώνων. Τοῦ δὲ πυθικοῦ νόμου τοῦ αὐλητικοῦ μέρη πέντε, πεῖρα, κατάκελευσμός, ἰαμβικόν, σπονδεῖον, καταχόρευσις κτλ. Cfr. Muellerus Dor. I, p. 318.; II, p. 215. Schoellius l. l. p. 63—67 qui praeter Boeckhium de Pythio nomo prolixius agunt. Apud eosdem invenies quidem, Strabonem Geogr. IX, 3, p. 281 Tauchn. in describendis carminis partibus a Polluce discedere, verumtamen et hic nonnisi quinque partes, sive actus mimicos agnoscit. — Luciani quoque locus de Salt. Tom. IV, p. 185 Cogn. hic in censum venire potest: ἰδεῖν γὰρ πέντε πρόςωπα τῷ ὀρχηστῇ παρασκευασμένα (τοσούτων γὰρ μέρων τὸ δρᾶμα ἦν) κτλ. atque tota denique in fabularum

---

[126]) Optime enim Welckerus l. c. p. 230 contra Schneiderum l. c. p. 6 contendit dithyrambicam saltationem non e mera constitisse sicinnide, sed mimicam potius indolem habuisse. — De συρβηνέων χορῷ cfr. Bergkius Comment. p. 91, qui tamen ad tibiarum strepitum traxit, quo Bendidea sacra personabant, et Meinek. Com. II, 1. p. 67

compositione non ultra quinque actus drama producendi consuetudo, mihi non magis ad recentiorem tragoediam, quam ad antiquissimos jam mimorum ludos pertinuisse semper visa est. Probabile igitur fit, quapropter hoc a nobis disputatum est, in dithyrambicis quoque saltationibus, similiter certas usu venisse tripudiandi figuras, quas inter ea, quam *τυρβασίαν* vocarunt, profecto neque tranquilla neque simplex fuit, et, si conjecturae locus est, fortasse in fine saltationis et carminis, cum ad summum furorem et enthusiasmum peracta res esset, optime locum habere visa est; veluti in nostratum quoque saltatione ea, quam nomine „*Contredanse*" a Francogallis acceperunt, idem saepissime adverti licet, ut cum primum quinque aut sex *σχήματα* sive figuras repraesentaverint, in septimae figurae fine, quam non inepte Graecorum *ὅρμῳ* comparaveris, ejusque gratiosissimae, paullatim laxatis vinculis ordineque turbato, tota denique saltatorum ac saltatricum cohors, huc illuc fluctuante mota provoluta ducis haud secus ac rhythmi expers in diversas partes discedat ac dilabatur. At, ne ad res devias me abduci patiar, Cinesiae, quam ferunt Pyrrhiche admonet, quam Luetckius admodum breviter tetigit.

Meursius in Orchestra p. 71 duplicem pyrrhichen observat unam antiquiorem militarem, alteram Dionysiacam in qua pro hastis thyrsi erant, ferulaeque et faces et Bacchi res gestae ejusmodi repraesentabantur. Quod Athenaeus manifeste docet XIV, p. 631 a. *ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυῤῥίχη Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεςέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας. ἔχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων· προίενται δὲ ἐπ' ἀλλήλους καὶ νάρθηκας καὶ λαμπάδας φέρουσιν ὀρχοῦνταί τε τὰ περὶ Διόνυσον καὶ περὶ τοὺς Ἰνδοὺς ἔτι δὲ τὰ περὶ τὸν Πενθέα.* Atque eandem pyrrhicham significare videtur Lucian. de saltat. p. 101: — *σχήματα παντοῖα ἐπιδείκνυνται πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνοντες, ἄρτι μὲν πολεμικὰ καὶ μετ' ὀλίγον δὲ φορευτικά, ἃ Διονύσῳ καὶ Ἀφροδίτῃ φίλα.* Quid igitur, cum Cinesiae ista *πυῤῥίχη* tantam celebritatem nacta esset, haud scio an non multum a vero aberraverimus, si primum ab eo Laconicam saltationem armatam in Dionysiacam choream immutatam esse putaverimus? Quod quidem Cinesiae inventum acerbissime Aristoph. Ran. 153

notat, ubi Dionysum, cui Hercules qualibus in Tartaro supplíciis malefici afficiantur, exponit, haec adjicientem facit:

> νὴ τοὺς θεοὺς ἐχρῆν γε πρὸς τούτοισι καὶ
> τὴν πυῤῥίχην τις ἔμαθε τοῦ Κινησίου.

quem ad locum Schol. haec annotat: *Κινησίας διθυραμβοποιός, ὃς ἐπονήσατο πυῤῥίχην. ἢ ὅτι ἐν τοῖς χοροῖς πολλῇ κινήσει ἐχρήσατο· τινὲς δὲ οὐ γράφουσι τὸν Νὴ τοὺς θεοὺς στίχον, ἀλλ' ἀφαιροῦσιν, καὶ οὕτω τὸ ἑξῆς γράφουσιν· Ἢ πυῤῥίχην τις ἔμαθε τοῦ Κινησίου.* Ceterum immerito hunc versum νὴ κτλ. expungi a nonnullis censeo, quum statim adnexo versu ἢ πυῤῥίχην κτλ. tota joci vis in versu Ἢ Μορσίμου τις ῥῆσιν ἐξεγράψατο pessum detur. Etenim gradatio hominum sceleratorum ex inopinato finitur, vel interrumpitur potius non sine magno joco commemoratione eorum, qui tragoediae particulas exscripserint, utque ex Morsimi quidem tragoediis; quemadmodum bene observatum invenio a Guil. Exnero de Schola Aeschyli et Trilogiarum ratione (Vratisl. 1840. 8.) p. 16. Si vero, quid Aristophani Pyrrhichen docendo Cinesias peccasse visus sit, quaeras, quoniam ipsi bilem moverit, iniquus admodum judex exstitit E. Muellerus *Gesch. der Theorie der Kunst.* Vol. I, p. 203. „*So wird in den Vögeln der Dithyrambendichter Kinesias dargestellt, dessen Pyrrhiche getanzt zu haben nach der Meinung des Dionys in den Fröschen zum Aufenthalt im Mistpfuhle der Verdammten vollkommeu qualifizirt* (Ran. 154 Schol.) *wegen der Erbärmlichkeit dieses Tanzstücks.*" Cui ut solet ad verbum assentitur Bodius. — Vereor, ut recte. Ac mihi certe rem multo melius expedivisse Hanov. Exerc. Crit. p. 49 videtur, qui ad Pherecratis ista:

> Κινησίας δέ μ' ὁ κατάρατος Ἀττικὸς
> ἐξαρμονίους καμπὰς ποιῶν ἐν ταῖς στροφαῖς
> ἀπολώλεχ' οὕτως, ὥστε τῆς ποιήσεως
> τῶν διθυράμβων, καθάπερ ἐν ταῖς ἀσπίσιν
> ἀρίστερ' αὐτοῦ φαίνεται τὰ δεξιά.

„versionibus strophorum ἐξαρμονίοις declarari arbitratur, saltationem cyclii chori non congruentem illam, neque cum modo tibiarum vel lyrae, neque cum cantu. Itaque factum videri Cinesiae dithyrambis ut chorus versiones faceret, antequam

tibiis significarentur; quare ubi secundum Musices rationem dextra debebat parte chorus collocatus esse, sinistra conspiceretur et invicem." Idem ad hanc confirmandam sententiam laudat Schol. Arist. Ran. 153 „ἐν τοῖς χοροῖς πολλῷ κινήσει ἐχρήσατο. Videtur igitur Aristophanes l. c. magis novationes quam artem Cinesiae perstrinxisse. Omnino vero pyrrhiches mentionem facere Aristophanes longe alia de caussa videtur: cum hanc saltationem, ut videtur, instituenti Cinesiae accidisse fertur, ut ad Hecates imaginem cacaret. Lysistr. v. 390:

τί τοῦτό σοι τὸ πυῤῥόν ἐστιν; οὐκ ἔτι που
Κινησίας σου κατατετίληκέν ποθεν;

Ran. 360:

ἢ κατατιλᾷ τῶν Ἑκαταίων κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπᾴδων.

Suid. p. 2019 C. Gaisf. Ac sunt praeterea in Aristoph. Gerytad. ap. Polluc. VI, 111 versus nonnulli:

τότε μὲν Διόνυσέ σου κατεκοντάβιζον ἂν
νυνὶ δέ σοι κατεμοῦσιν, τάχα δ' εὖ οἶδ' ὅτι
καὶ καταχέσονται.

in quibus non sine veri specie Bergkius putavit Cinesiam tangi. Cfr. Meinekius I, p. 227. Nec non ejusdem Cinesiae *saltandi* genus irridetur ab Arist. Avv. 1378.

ἀσπαζόμεσθα φιλύρινον Κινησίαν.
τί δεῦρο πόδα σὺ κυλλὸν ἀνὰ κύκλον κυκλεῖς.

Io Chius, num quid in saltando novaverit parum compertum habemus, verum si idem, quem Athen. XIV, p. 633 tradit τοῦ Διονύσου σπονδεῖον πρῶτον κιθαρίσαι, non Dio fuit Chius, quomodo in Mss. est, sed Io Chius; hanc in musica dithyramborum novationem etiam ad saltationem pertinuisse probabile est: ita quidem, ut cum graviori tibiarum sonitui major choreutarum numerus convenisset; idem nunc minueretur, ne saltatium strepitus tenuiorem lyrae clangorem vinceret.

CAPUT VIII.

DE DITHYRAMBORUM MUSICA ET COMICORUM IN REBUS MUSICIS CENSURA.

Eupolis Athenaei XIV, p. 623.

Χ' ἡ Μουσικὴ πρᾶγμ' ἐστὶ βαθύ τι καὶ κάμπυλον
ἀεί τε καινὸν ἐξευρίσκει τι τοῖς ἐπινοεῖν δυναμένοις.

Dithyrambo choricas tibias accinisse testis est Pollux IV, 80: *οἱ δὲ χορικοὶ (αὐλοὶ) διθυράμβοις προςηύλουν.* Easdem femineas ac tensione medias tradit Aristides Quinct. de Mus. p. 101: *τὸν δὲ χορικὸν θηλύτητος διὰ τὸ εἰς ὀξύτητα εὐχερές.* Inde, qui cycliis choris tibia modum dabant, dicti sunt *χοραυλαί* (Boeckh. Corp. Inscr. Nr. 1585), de quibus plura vide ap. Gasp. Bartholinum de tibiis p. 81—87. Iidem tamen etiam *κύκλιοι αὐληταί* vocantur in Corp. Inscr. nr. 1586, unde tibiae quoque, quibus usi sunt, cycliae appellatae. Hesych. *κυκλεῖοι αὐλοί.* Vid. Boeckh. de Metr. Pind. p. 259 [127]). Verum tamen dubitare possumus, utrum choricarum sive cycliarum tibiarum satis constans usus pervaluerit, an alia quoque tibiarum genera in dithyrambicis certaminibus admissa fuerint. Atque non ita constanter *χορικοὺς αὐλοὺς* adhibitos fuisse, haud oblique colligas ex Amphide Athenaei IV, p. 174 T.

---

[127]) Eduardi Kruegeri dissertationem „de Musicis Graecorum organis circa Pindari tempora florentibus. Gotting. 1830. 4" cum in hac bibliotheca frustra quaesivissem non sine molestia ex Gottinga mihi comparavi; transmissam tamen mox intellexi ad meos usus nihil prorsus valere posse.

A. ἐγὼ δὲ τὸν γίγγραντα τὸν σοφώτατον.
B. τίς δ' ἔσθ' ὁ γίγγρας; *A.* καινὸν ἐξεύρημά τι.
ἡμέτερον, ὃ θεάτρῳ μὲν οὐδεπώποτε
ἔδειξ'· Ἀθήνησιν δὲ κατακεχρημένον
ἐν συμποσίοις ἤδη 'ςί. *B.* διὰ τί δ' οὐκ ἄγεις
εἰς τὸν ὄχλον αὐτό; *A.* διότι φυλὴν περιμένω
σφόδρα φιλονεικοῦσαν λαχεῖν τιν'· οἶδα γὰρ
ὅτι ταῦτα πράγματ' ἀνατριαινώσει κρότος.

Exstabat hic locus in Amphidis fabula *Διθύραμβος* inscripta. De ipso vero dithyrambico certamine sermonem fieri, cui novum se gingrantis inventum adaptare atque populo primum in theatro ostentare velle confitetur is, qui alter colloquentium introducitur, ex commemoratione tribus patere videtur. Ἑκάστη γὰρ φυλὴ (ut ait Schol. Ar. Avv. 1040) Διονύσου τρέφει διθυραμβοποιόν, unde Cinesias in Aristophanis l. l. haec de se praedicare potuit: ὃς ταῖσι φυλαῖς περιμάχητός εἰμ' ἀεί. — Praeter tibias autem in cycliis choris etiam citharae usum jam cap. V, §. 5 contra Welckeri disputationem in Ann. Instit. Archaeol. (1829) p. 401 defendi.

Neque spernendum sententiae meae praesidium est id, quod ne dithyrambici quidem poetae omnes tibiam pari in honore haberent, tantique aestimarent, quam citharam, ita ut non absonum videatur, inter duplicem fere dithyrambicorum scholam internoscere, alteram Doriam, quaeque ab ea profecta traditur, Phrynnideam, alteram Melanippideam; illam fidicinum celeberrimorum copia abundantem ac nobilem, alteram spectatissimis tibicinibus aeque insignem. — Atque hercle tibiarum lusum nemo majoribus laudibus adornavit, quam Telestes Athenaei XIV, p. 616 B. Κομψῶς δὲ κἀν τῷ Ἀσκληπιῷ ὁ Τελέσης ἐδήλωσε τὴν τῶν αὐλῶν χρείαν, ἐν τούτοις·

...... Ἢ Φρύγα καλλιπνόων αὐλῶν ἱερῶν βασιλῆα
Λυδὸν ὃς ἅρμοσε πρῶτος
Δωρίδος ἀντίπαλον Μούσας νόμον αἰόλον ὀμφᾷ
Πνεύματος εὔπτερον αὔραν
Ἀμφιπλέκων καλάμοις. . . . .

Ac Lasum quoque Hermionensem αὐλῶν πολυφωνίᾳ ab ipso primum inducta, satis tibiarum fautorem declarat. (Plut. de

Mus. XXIX). Contra hostem illis capitalem Melius se gessit Melanippides (vid. p. 78), non ille Philoxeni praeceptor, sed antiquior, junioris avus, quem in Marsya imprimis dithyrambo tibiis indixisse bellum Athenaeus XIV, p. 616 E. testis est. — Conviciatur ibidem haec:

ἁ μὲν Ἀθάνα
τὤργαν' ἔῤῥιψέν θ' ἱερᾶς ἀπὸ χειρὸς,
εἶπέν τε· Ἔῤῥετε αἴσχεα σώματι λύμα,
οὔ με τᾶδ' ἐγὼ κακότατι δίδωμι.

Pratinas quoque tibiarum in theatris imperium subvertere summopere innititur ap. Ath. XIV, p. 617 C.

τὰν ἀοιδὰν κατέστασαν Πιερὶς βασίλειαν·
ὁ δ' αὐλὸς ὕστερον χορευέτω·
καὶ γάρ ἐστ' ὑπηρέτας Κώμῳ μόνον·
θυραμάχοις τε πυγμαχίαισι νέων θέλει παροίνων
ἔμμεναι στρατηλάτας.
παῖε τὸν φρυγίλον (? φρυγίλου)
ποικίλου πνοὰν ἔχοντα,
φλέγε τὸν ὀλοσιαλοκάλαμον
λαλοβαρύοπαραμελορυθμοβάταν θ'
ὑπὸ τρυπάνῳ δέμας πεπλασμένον.

Quae tam effusae querellae quid sibi velint, quo tendant, divinare licet ex Plut. de Mus. c. XXX. ἀλλὰ γὰρ καὶ αὐλητικὴ ἀπὸ ἁπλουςέρας εἰς ποικιλωτέραν μεταβέβηκε μουσικήν. τὸ γὰρ παλαιὸν ἕως εἰς Μελανιππίδην τὸν τῶν διθυράμβων ποιητὴν συμβέβηκεν τοὺς αὐλητὰς παρὰ τῶν ποιητῶν λαμβάνειν τοὺς μισθοὺς, πρωταγωνιςούσης δηλονότι τῆς ποιήσεως, τῶν δ' αὐλητῶν ὑπηρετούντων τοῖς διδασκάλοις ὕςερον δὲ καὶ τοῦτο διεφθάρη.

At sive citharam aliquis sive tibiam excolendam prae ceteris sumserit, nescio, quo facto simul cum instrumento etiam novandi studium accepisse videatur, ut non immerito Anaxilas Athen. XIV, p. 623 caneret:

ἡ μουσικὴ δ' ὥσπερ Λιβύη πρὸς τῶν θεῶν
ἀεί τι καινὸν κατ' ἐνιαυτὸν θηρίον τίκτει . . .

imitatus haud dubie Eupolin e cujus incerta aliqua fabula Athenaeus ibidem hunc affert locum:

Χὴ μουσικὴ πρᾶγμ᾽ ἐστι βαθύ τι καὶ καμπύλον
ἀεί τε καινὸν ἐξευρίσκει τοῖς ἐπινοεῖν δυναμένοις.

Nec sine consilio Eupolis h. l. musicam *πρᾶγμά τι καμπύλον* vocavit, cum ex comicorum lectione abunde pateat, tum fidicines tum tibicines, imprimis vero poetas dithyrambicos, penes quos fere omnis eo tempore musicae exercitatio recondita erat, minime hoc spectasse, quibus machinis novisque artificiis corroborarent musicam ac stabilirent, sed quibus eam tormentis ac flexuris debilitarent, comprimerentque. Spectat huc Aristophanes Nubb. 970:

εἰ δέ τις αὐτῶν βωμολοχεύσαιτ᾽ ἢ κάμψειέν τινα καμπὴν
αὐτὸς δείξας, ἐν θ᾽ ἁρμονίαις χιάζων ἢ σιφνιάζων,
οἵας οἱ νῦν τὰς κατὰ Φρύνιν ταύτας τὰς δυσκολοκάμπτους
ἐπετρίβετο τυπτόμενος πολλὰς, ὡς τὰς Μούσας ἀφανίζων.

quem locum Pollux Onom. IV, 9 respexit: *καὶ Φρῦνιν δὲ τὸν Κάμωνος μέλεσι πολυκάμπεσι τοῖς ὑπὸ τῶν κωμῳδῶν δυσκολοκάμπτοις κληθεῖσι κεχρῆσθαι λέγουσι.* Etenim Phrynnis praecipue musicam flexisse accusabatur; atque a frequentiori mollicularum istarum modulationum et flexionum usu *Ἰωνοκάμπτης* dictus est (Plut. de laude sui p. 958 A.). Ab eodem Musica in Pherecratis fabula quadam conqueritur, in tremulorum sonorum artificiosissimas quasi voragines totam sese immersam esse, rapidoque cursu modo huc modo illuc jactatam:

Φρύνις δ᾽ ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα
κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν.

Quo vero sensu Phrynnis *Ἰωνοκάμπτας* audiebat, eodem reliqui dithyramborum poetae a comicis *ᾀσματοκάμπται* appellabantur; unde Aristophanes Nubb. 332.

κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας ἄνδρας μετεωροφένακας.

quae verba scholiasta non improbabiliter ad Cinesiam et Cleomenem dithyrambicos refert. Atque hunc Aristophanis locum respicere Jo. Tzetzes videtur in *στιχ. π. διαφ. ποιητ.* v. 140 (Cramer. Anecd. Oxon. III, p. 334). . . . *τὰ δὲ λοιπά μοι μάθε*

οἱ πρὸς τὸν Διόνυσον γράφοντες λόγους
παμπλειστοπολυστρόβητον ἔγραφαν μέλος
οἷόνπερ αὐτὸς στίχον ἀρτίως ἔφην
ᾀσματοκαμπῶν πλειστοποικίλῳ τρόπῳ.

Verum enim ad saniorem artis rationem pauci videntur rediise, Certe Musica in Pherecr. l. l. unum Phrynnidem laudat, quod ab hostibus in sua castra transfuga redierit.

ἀλλ᾽ οὖν ἔμοιγε χοὖτος ἦν ἀποχρῶν ἀνήρ.
εἰ γάρ τι κἀξαμάρτανεν αὖθις ἀνέλαβεν.

— Nec reliqui poetae, opinor, potuissent mutare castra etiamsi voluissent. Adeo ex ipsa poesi omnis et vis et ars evanuerat, inanique et circumvaganti furori cesserat, ut si quis audientium captare favorem vellet, is in musicis magis, quam in poeticis artificiis perclitaretur, necesse esset. Quam quidem poeticorum ingeniorum sterilitatem, solidaeque poesis defectum, optime perspexit Xenarchus in Porphyra ap. Athen. VI, p. 225 C.

οἱ μὲν ποιηταὶ λῆρος εἰσίν, οὐδὲ ἓν
καινὸν γὰρ ἐξευρίσκουσιν ἀλλὰ μεταφέρει
ἕκαςος αὐτῶν ταῦτ᾽ ἄνω τε καὶ κάτω.

contra lege Aristoph. in Nub. 546 sq. 560. Vesp. 1049. 1043. Pac. 748. Eq. 537. *καινὰς ἰδέας* poetarum egregie praedicantem. Locos indicavit Th. Bergk. Comment. p. 269.

Ex ejusmodi enervatorum poetarum grege Telenicus tam futilis, tamque levium cantilenarum auctor fuit, ut ipsius nomen vel in proverbium abiret, et, si quis propter inane quoddam aut dictum aut inventum deridendus esset, is simpliciter *τελενικίζειν* diceretur. Itaque Hesychius *τελενικῆσαι. ἀντὶ τοῦ μὴ* (M. leg. *τοῦ ᾆσμα*) *κενὸν ποιῆσαι.* De Telenico isto nobilissimus locus est ap. Phaniam Eresium Athen. XIV, p. 638 C. *Τελενῖκος ὁ Βυζάντιος, ἔτι δὲ Ἀργᾶς ποιηταὶ μοχθηρῶν ὄντες ᾀσμάτων πρὸς μὲν τὸν ἴδιον χαρακτῆρα εὐπόρουν, τῶν δὲ Τερπάνδρου καὶ Φρύννιδος νόμων οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἠδύναντο ἐπιψαῦσαι.* (Meinek. Com. Vol. II, 1 p. 137).

Itaque poetae comici fere omnes, quippe qui reliquiorum poetarum acerbissimam sibi exercendam censuram [128]) sumerent, nihil et praeceperunt diligentius et auditorum animis

---

[128]) Cf. Ed. Mueller *Gesch. der Theor. d. Kunst.* Tom. I, p. 203—206, — Roetscher *Aristophanes und sein Zeitalter p.* 67. — Kanngiesser l. l. p. 23.

imprimere saepius studuerunt, quam ut deperditam temporis musicam aut penitus emendarent, aut reversi ad vetustam ac decoram simplicitatem, novam illam totam quasi inhonestam et impudicam aspernarentur. Hinc Eupolis in Helotibus ap. Athen. XIV, p. 628 D. Stesichori, Alcmanis et Simonidis carmina a nemine jam exposci conqueritur, sed Gnesippi undique resonare incesta adulterorum emollita carmina:

Τὰ Στησιχόρου τε καὶ Ἀλκμᾶνος Σιμωνίδου τ' ἀρχαῖον
ἀείδειν
ὁ δὲ Γνήσιππός ἐστιν ἀκούειν
κεῖνος νυκτέριν' εὗρε μοιχοῖς ἀείσματ' ἐκκαλεῖσθαι
γυναῖκας ἔχοντας ἰαμβύκην τε καὶ τρίγωνον.

Apud eundem in incerta fab. ap. Suid. v. Βαστάσας (Meinek. II, p. 549) interrogat aliquis praesentes:

Ἄγε δὴ πότερα βούλεσθε τὴν νῦν διάθεσιν
ᾠδῆς ἀκούειν, ἢ τὸν ἀρχαῖον τρόπον;

Hinc Epicrates ap. Ath. XIII, p. 606.

Τἀρωτικ' ἐκμεμάθηκε ταῦτα παντελῶς
Σαπφοῦς, Μελήτου, Κλεομένους, Λαμυνθίου.

et Cratinus in Bubulcis ap. Athen. XIV, p. 688 summa ira permotus increpat Archontem, qui cum sibimet ipsi chorum denegaverat, tum neque Sophoclis (at quanti poetae!) precibus obsequi voluerat:

ὃς οὐκ ἔδωκ' αἰτοῦντι Σοφοκλέει χορόν,
τῷ Κλεομάχου δ', ὃν οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ
ἐμοὶ διδάσκειν οὐδ' ἂν εἰς Ἀδώνια.

Nimirum Cleomachi filius (siquidem Dobraei conjectura τῷ τ. Κλεομάχου pro Κλεομάχῳ jure locum tuebitur) idem ille Gnesippus fuit, quem jam ab Eupolide vidimus infestis telis non leviter petitum esse. — Nam sane ἀρχαίων quae dicuntur ποιημάτων hodie vix ulla memoria ad nos pervenisset, nisi eorum apud comicos aliqua certe mentio injecta fuisset, quippe qui carmina ista modo parodiis expressa modo ipsis verbis auctorum, plerumque fabularum parabasibus amarent innectere. Atque Cratinum quidem Athenaeus XV, p. 698 testis est hujusmodi parodiis saepius usum esse, eundemque in Panoptis

novimus Cecidae, veteris dithyrambici mentionem injecisse: (Schol. Ar. Nubb. 984) Aristophanes quoque Eqq. 523 duorum ἀρχαίων ποιημάτων initia servavit, alterum: τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων alterum, quomodo optime suspicatum esse Meinekium puto: Ἥρη χρυσοπέδιλε. Apud Comicum enim est: Δωροῖ συκοπέδιλε: quae verba Hesychius in Glossarium relata sic explicat: παρῳδεῖται ἐκ τῶν ἀρχαίων ποιημάτων. Deinde Cydiae Hermionensis, poetae fortasse dithyrambici, nonnulli dicunt versum esse, quem Arist. Nubb. 967 servavit: Τηλέπορόν τι βόαμα [λύρας addit Schol. h. l.]. Lamproclis autem carminis cujusdam initium: Παλλάδα περσέπολιν δεινάν quod non mediocriter auctum exhibent scholl. ad Ar. Nubb. 960 et Aristid. Tom. III, p. 538 Dindf. fortasse Phrynichus (fr. XVII ap. Meinek.) commemorat. En integrum Aristophanis locum:

εἶτ' αὖ προμαθεῖν ᾆσμ' ἐδίδασκον, τὼ μηρὼ μὴ ξυνέχοντας
ἢ Παλλάδα περσέπολιν δεινάν, ἢ τηλέπορόν τι βόαμα
ἐντειναμένους τὴν ἁρμονίαν, ἣν οἱ πατέρες παρέδωκαν.

Neque Cecidae mentionem omisit Aristophanes ib. v. 985.

καὶ Κηκείδου καὶ Βουφονίων.

Ac sane bene res sese habuisset, si nihil omnino Athenienses illis temporibus veterum poetarum carmina curassent. Quam enim perverso atque ἀμούσῳ modo ab iis tractata essent, qui curarent ea, atque veterum poetarum quasi assertores sese jactari vellent; docet Cratini ex Chironibus fr. X.

Κλειταγόρας ᾄδειν ὅταν Ἀρμοδίου μέλος αὐλῇ.

„Clitagorae carmen canere, tibicine modos Admeti praeeunte.“ quem locum Th. Bergk. Commentt. p. 217 simpliciter de artis musicae depravatione accepit, Meinekius in proverbiali dicendi genere inniti suspicatur (cf. Arist. Lysistr. 1236) quo notarentur ii, qui temere omnia miscerent ac confunderent. Quid quod ne ὄρθιος quidem νόμος gravissimus ille et augustissimus propriam dignitatem innatumque decus retinuisse videatur, reputato Arist. Eccl. 739 facetissimo loco:

σὺ δὲ δεῦρ' ἡ κιθαρῳδὸς ἔξιθι,
πολλάκις ἀναστήσασά μ' εἰς ἐκκλησίαν
ἀωρὶ νυκτῶν διὰ τὸν ὄρθριον νόμον.

Cfr. Suidas v. λοιδορεῖσθαι. — —

Tanta igitur frigora, tantaque jejunitas, cum in lyricam ejus aetatis poesin irrepsissent, etiam musicae vigorem ac virtutem exstincta esse, non est, quod mireris. Novo inventorum aliud urgebat aliud; quod excogitaverat alter, eo aut perficiendo aut antiquando alter sibimet ipsi quaesivit gloriolam; neque erat, ubi acquiescere aut pedem sistere musica posset; sed huc illuc fluctuari et circumferri cogebatur tanquam poetarum et popularis aurae ludibrium; adeo omnino ipsa vera musica evanuerat, ac duntaxat *μουσοδονήματα* fere supererant. Qua de corruptela foedissima non insulse Pherecrates in Automol. fr. II.

Νὴ τὸν Δήμητρ' ἀνιαρόνγ' ἦν κακῶς ᾄδοντος ἀκούειν
Βουλοίμην γὰρ κἂν ἀκαλήφαις τὸν ἴσον χρόνον ἐστεφανῶσθαι.

Etenim antiqua Musica mascula fuit ac simplex, recentior illa effeminata evasit et multisona. Hinc tot comicorum illae de mollitie et dulcedine carminum pravorum querellae, hinc eorumdem frequentissimae de insano ac turbulento vocum et instrumentorum multifario strepitu tragoediae. Sed jam examinemus singula diligentius. Atque, uti ab emollita *illa* ac delicatula Musica exordiar, mascula musices virtus una cum *ὀλιγοχορδίᾳ* evanuit, teste Plut. de Mus. c. XII. *τὴν γὰρ ὀλιγοχορδίαν* (sic bene Wyttenb. pro *ὀλιγοχορείαν*) *καὶ τὴν ἁπλότητα καὶ σεμνότητα τῆς μουσικῆς παντελῶς ἀρχαϊκὴν εἶναι συμβέβηκεν.* Hujus depravationis auctor Pherecrati Melanippides. Melius notatur:

ἐμοὶ γὰρ ἦρξε τῶν κακῶν Μελανιππίδης
ἐν τοῖσι πρῶτος, ὃς λαβὼν ἀνῆκέ με
χαλαρωτέραν τ' ἐποίησε χορδαῖς δώδεκα.

de quo loco R. Hanov. Exercit. crit. p. 39 aptissime sic disputat: „De hoc tamen numero non videtur dubitandum esse. Nam cum Athenis vetus Terpandri lyra emendari coepta esset, ab alio aliud veri est simile prius tentatum esse, quam Timothei opera lyra XI chordarum inveniretur, et communi usu reciperetur. Itaque Melanippides ante potuit XII chordis uti, nixus quodammodo vetere tetrachordo et Pythagoreo, vel Lycaonis octochordo, de quo cf. Boeckh. de Metr. Pind. p. 205, 6."

Verum tamen in Melanippidem prae ceteris cadere videntur, ea, quae ipsa sibi Musa identidem fundit solamina

ἀλλ' οὖν ὅμως οὗτος μὲν ἦν ἀποχρῶν ἀνήρ
ἐμοίγε πρὸς τὰ νῦν κακά.

Contra, qui primus vere effeminasse Musicam dici posset, Phrynis videtur Mytilenaeus, quem sive ex quinque[129]), ut in Codd. est, sive ex septem fidibus, quot post Burettium Mem. Acad. XXIII, p. 152 etiam R. Hanovio Exercc. crit. p. 51 et Meinekio Com. Fr. Vol. II, 1, p. 239 placuerunt, duodecim elicuisse harmonias malis nihilo secius incredibile quiddam effecisse dicas, cum harmoniarum multitudo ex fidium numero apta esse soleat. Cf. Boeckh. de Metr. Pind. p. 212. Thiersch *Einleit. z. Pind.* p. 43.

Servavit autem Plutarchus l. l. hos de Phrynnide ex Pherecratis Chirone versus:

Φρύννις δ' ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα
κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν
ἐν ἑπτὰ (s. *πέντε*) *χορδαῖς δώδεχ' ἁρμονίας ἔχων.*

Quam cum fidium numero non congruentem harmoniarum multitudinem non nisi summa tum remittendis, tum intendendis fidibus varietate adhibita a Phrynnide posse effectum esse, quivis intellegit. — Itaque verisimillimum est, quod de Phrynide Schol. Arist. Nub. 971. *οἱ κωμικοὶ πολλάκις αὐτοῦ μεμνημένοι, ἐφ' οἷς ἐκαινούργησε κλάσας τὴν ᾠδὴν παρὰ τὸ ἀρχαῖον ἦθος, ὡς Ἀριστοφάνης καὶ Φερεκράτης.* Nihilominus et hunc ferre se velle Musica confitetur: *ἀλλ' οὖν ἐμοίγε χ' οὗτος ἦν ἀποχρῶν ἀνήρ*, quippe cui summum audaciae fastigium unus Timotheus attigisse visus esset. Priusquam tamen de XI Timothei chordis dicam, iterum mihi Gnesippi atque Cleomenis mentio facienda est, quos ex enneachordo

---

[129]) Quinque chordae certe non defendi poterunt loco Telestae ap. Ath. XIV, p. 637 A.

ἄλλος δ' ἄλλαν κλαγγὰν ἱεὶς
κερατόφωνον ἐρέθιζε μαγάδην
πενταῤῥάβδῳ χορδᾶν ἀριθμῷ
χεῖρα καμψιδίαυλον ἀναστροφῶν τάχος.

cf. Boeckh. de Metr. P. p. 263.

quasi mellitas elicuisse, cantilenas convellit Chionides in Pauperibus ap. Athen. XIV, p. 638.

ταῦτ'. οὐ μὰ Δία Γνήσιππος οὐδὲ Κλεομένης
ἐν ἐννέ' ἂν χορδαῖς κατεγλυκήνατο.

ubi Schweigh. ἐννεαχόρδοισι conjecit; de quo instrumento a Theophrasto Pierite invento cfr. Bodius de Orpheo p. 177. Fortasse non absurde hinc conjecturam capere liceat, enneachordum plerumque cantilenis amatoriis adhibitum esse; nam et Gnesippus et Cleomenes eroticorum carminum auctores feruntur. De Gnesippo cfr. Meinekius Vol. II, 1, p. 6; pag. 27—29; p. 481.

Namque, ut hoc statim addam, petulantia illa amatoria carmina poetis comicis haud parvam ridendi copiam praebuerunt. Ex eorum numero Lamynthii Milesii sunt, quo de Phot. Lex. p. 207. 10. Λαμύνθιος ποιητὴς ἐρωτικῶν μελῶν. Hunc Epicrates ridet in Antilaidis fragm. III.

τἀρώτικ' ἐκμεμάθηκε ταῦτα παντελῶς·
Σαπφοῦς, Μελήτου, Κλεομένους, Λαμυνθίου.

eundemque Lyden meretricem lyrico carmine nobilitasse Clearchus in Eroticis auctor est ap. Athen. XIII, p. 597 a. Cfr. Meinek. Vol. III, p. 367. De Meleto cfr. idem ibidem. Deinde Charixena quaedam tangitur cum a Theopompo in Sirenibus:

— αὐλεῖ γὰρ σαπρά·
αὕτη γε κρούμαθ' οἷα τἀπὶ Χαριξένης.

tum a Cratino in Ulyxibus (fr. IX).

οὐκ ἴδι' ἄττα κοὐκέτ' ὄνθ' οἷα τἀπὶ Χαριξένης.

quem ad locum Meinekius Vol. II, 1, p. 98 attulit Hesychii locum s. v. ἐπὶ Χαριξένης . . . ἔνιοι δὲ καὶ ποιητρίαν αὐτὴν ἐρωτικῶν λέγουσιν. His denique Battalum poteris adjicere, quo de Meinekius postquam in Hist. crit. p. 333—36 jam plurima contulit, deinde ad Antiphanem (Vol. III, p. 32) Hedyli locum adjecit ex Athen. IV, p. 176 D.

ηὔλει δὲ Γλαύκης μεμεθυσμένα παίγνια Μουσέων
καὶ τὸν ἐν ἀκρήτοις Βάτταλον ἡδυπότην.

Sed ad nos praecipue pertinet Libanius ap. Phot. Bibl. 266, p. 495 Bekk. ἱστόρηται δέ τις Ἐφέσιος Βάτταλος αὐλητὴς

γενέσθαι ὅς — ἐχρήσατο μέλεσι κατεαγόσι, καὶ ὅλως τὴν τέχνην ἐμαλάκισεν. Ejusdem, ut poetae κατεαγότα κρούματα γράφοντος Schol. Aesch. c. Tim. §. 726. ὡς ποιητοῦ τρυφερὰ καὶ παροίνια γράφοντος Plut. Dem. c. IV, ut αὐλητοῦ μαλακοῦ Gramm. Bekk. Anecd. p. 221 meminit. — Sed haec de delicatulis istis carminibus sufficiant.

Lyra decem fidibus instructa Ionem Chium usum ferunt, nisi Bergkius PLG. p. 427 verba Euclidis emendatius legit sic: ἐνδεκάχορδε λύρα δεκαβάμονα τάξιν ἔχουσα κτλ. Utut est, Io ipse neque decimam neque undecimam adjecit chordam, sed hoc aliorum tantum invento usus est. Nam decima chorda lyram auxit Histiaeus Colophonius; undecima vero Timotheus Milesius, novator ille et cupidissimus et prudentissimus. Plinius quidem H. N. VII, 56 ab eo nonam affixam chordam tradit. Sed Nicomachus Harm. II, p. 35 Meib.: Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος τὴν ἑνδεκάτην χορδὴν προςῆψε, neque aliter Boethius et Lacedaemoniorum decretum; cll. Joanne Sarisberiensi Metalogic. p. 79. 80 (Par. 1610. 8.). Plutarchus enim c. XXIX minus significanter: οὗτος γὰρ ἑπταφθόγγης τῆς λύρης ὑπαρχούσης ἕως εἰς Τέρπανδρον, διέῤῥιψεν εἰς πλείονας φθόγγους, quem locum manifeste corruptum censet Boeckhius de Metr. Pind. p. 205. 8. Probabiliter itaque Meinekius in Pherecrate δώδεκα commutat in ἕνδεκα. Qua in re mirum hoc est, quod quo invento nobis de Musica optime meritus videtur, eodem ex veterum eruditorum hominum censura depravasse artem crederetur. Cfr. nos p. 113. Superest locus Pseudocensorini p. 145 (ed. Lugd. 1743): „Inde fecisse tres primos de quibus supra dictum est, hanc excepisse extensionem Linon quem quidam Apollinis filium tradunt et Nymphae Paramesae Chrysthemidi reliquisse, ab eo adjunctum modum qui synemmenos dicitur; hunc numerum auxisse Terpandrum adjectione diezeugmenon, qui primus a gravibus in acutum avertitur, deinde Timotheus addidit duos parameson et hyperboleon."

Corrige si tanti est: „nymphae Paramesae: [hunc] Chrysothemidi reliquisse, ab eo sqq." „Avertit" Manutio debetur. Ceterum hunc locum, quamvis hyperboleon injecta mentione, in ea, quae de chordarum auctione quaestio est, nihil moramur.

Truditur enim artificium artificio, perfectio perfectionibus. Quare neque Bullialdi interpretio locum tuebitur: Addidit Timotheus in tetrachordo hypaton parhypaton hypaten et lichanon hypaton chromaticas in tetrachordo meson paramesen et lichanon meson itidem chromaticas. Haec enim non nisi XI fidibus apta: Censorino vero de plusquam XI sermo est. Praeter chordam undecimum, num•aliud quiddam, novaverit, non satis scio: nam certe chromatis, quamvis eodem sit frequentissime usus, absurde inventor dicitur. „Certum est enim Lysandrum Sicyonium chroma jam usurpasse, qui Epigono Sicyonio recentior tamen antiquissimae aetatis musicus est, ac primus ex citharistis plura instrumenta eidem cantico adhibuisse dicitur sumpto modo hoc modo alio. Ath. XIV, p. 683 A." Boeckh. dMP. p. 250. Ac Praxidamas quidem Suidae v. *χιάζειν* auctor est, Democritum Chium (sub Bastae nomine ab Eupolide irrisum) atque Theoxenidem Siphnium primos fuisse, qui chromatico genere uterentur. cfr. Meinek. Euphor. p. 175. Bergk. Aristophanis fr. CII. Pollux etiam IV, 65. *τὸ μέντοι Σιφνιάζειν καὶ Χιάζειν, τὸ περιέργοις μέλεσι χρῆσθαι ἀπὸ Δημοκρίτου τοῦ Χίου καὶ Θεοξενίδου τοῦ Σιφνίου, ὅς καὶ Ὑπερτονίδης ἐκαλεῖτο;* unde jam Emendd. fort. p. 17 sq. Censorino c. IX pro Hypericle vel Hyperide reddidi Hypertonidem. Quam conjecturam etiamnunc tueor, licet improbante Schneidewino Nuncc. Gotting. p. 1385 (1844) cui eundem locum non mediocrem medelam debere supra indicavi p. 124. „Perfectissimi tamen lyrici chromate semper et ubique abstinuerunt. In tragoediam primus induxit Agatho." Boeckh dMP. p. 251.

Sed audiamus nunc comicos etiam de multisono organorum strepitu conquerentes. Nimirum maxima eo tempore homines invaserat musicae cupiditas, ut fere inveniretur nemo, quin aut tibiis aut fidibus canendi artem calleret, aut alio quovis organo dexteritatis suae specimen proderet. Quam equidem musomaniam non inficete rident Aristophanes Athenaei IV, p. 184 E.:

ὅστις αὐλοῖς καὶ λύραισι κατατέτριμμαι χρώμενος.

et Phrynichus ibid.

οὐ τουτονὶ μέντοι σὺ κιθαρίζειν ποτὲ αὐλεῖν τ' ἐδίδαξας.
Eandem respiciunt Pherecrates in Dulodidasc. fr. VIII. οὐκ ἀπολιβάζω (Meinek. ἀπολιβάξεις —;) καὶ τριγώνους καὶ λύρας. Anaxilas ap. Athen. IV, p. 183 b.

ἐγὼ δὲ βαρβίτους, τριχόρδους, πηκτίδας
κιθάρας, λύρας, σκίνδαψον ἐξηρτυόμην.

Ideo ap. Philemonem Athen. IV, p. 175 D. vel indoctior aliquis habetur, quod νάβλα, quale sit instrumentum, nesciat:

. . . . τί φῄς; οὐκ οἶσθα νάβλαν; οὐδὲν οὖν
οἶσθας ἀγαθὸν σύγ'· οὐδὲ σαμβυκιστρίαν;

Quid mirum igitur, si musici quoque veterem bonam artem relinquerent, et quo confidentius auditorum indoctorum captare gratiam ac benevolentiam possent, in meras nugas et quisquilias inciderent, unde ne comicorum quidem vituperationibus ad rectam sese reduci artis rationem paterentur. Ac primum quidem in modorum mutatione mira licentia quaedam musicos incessit, qua propter non modo Phrynnidem et Cinesiam sed imprimis Timotheum etiam vehementer exagitatos esse a Pherecrate vidimus. Inde Anaxandrides, bonus haud dubie dithyramborum scriptor, operumque ab ipso profectorum judex acerbissimus quem antiquae adscribere scholae non dubitaverim, in Protesilai fragm. I. harmoniarum perstringit metabolen.

αὐλεῖν δ' αὐτοῖς Ἀντιγενίδαν.
Ἀργᾶν δ' ᾄδειν καὶ κιθαρίζειν
Κηφισόδοτον τὸν Ἀχαρνῆθεν
μέλπειν δ' ᾠδαῖς
τότε μὲν Σπάρτην τὴν εὐρύχορον
τότε δ' αὖ Θήβας τὰς ἑπταπύλους
τάς θ' ἁρμονίας μεταβάλλειν.

Qua ἁρμονίας μεταβολῇ quid significetur: quum non omnino inter se congruant, quae dicuntur a diversis scriptoribus, de universa hac doctrina accuratissime disputatum est, a Fr. Bellermanno Ἀνωνύμου συγγρ. π. μουσ. p. 30—34. Hunc igitur legat, cuius novisse plura interest. Nam in nostram rem sufficiet Phrynichi attulisse verba (Bekkeri Anecdd. p. 15, 25); quae ante Bellermannum Meinekius in censum vocaverat l. l. Sunt autem haec: „ἡ μὲν γὰρ μεταβολή ἐστιν ἐξ ὁμοίου τόνου

εἰς ἀνόμοιον μετάβασις, οἷον εἴ τις ἐνὶ ποιήματι ἢ κρούματι τὴν μελοποιΐαν τυχὸν Δώριον οὖσαν Ὑποδώριον ποιεῖ, μιγνὺς τῷ Δωρίῳ τὴν Ὑποδώριον. ἁρμογὴ δέ ἐστιν, ὅταν αὐλήσας τὸν Φρύγιον τόνον καὶ ἐκτελέσας τό τε ᾆσμα καὶ τὰ κρούματα τελέως μεθαρμόττηται εἰς ἕτερον τόνον, Ὑποφρύγιον ἢ Λύδιον ἤ τινα τῶν τρισκαίδεκα ἁρμονιῶν· δύναται δ' ἂν καὶ ἡ μεταβολὴ ἁρμογὴ καλεῖσθαι. Simile quid spectat Pherecrates Autom. fr. X.

Ἀτραπίζοντες τὰς ἁρμονίας διὰ πασῶν.

Quid, quod vel instrumentum excogitatum est musicum, sub nomine panharmonii[130]), risum idem ab Alexide in frg. incertt. LXII. *τὸ π α ν α ρ μ ό ν ι ο ν τὸ καινὸν ἐντείνων, τέκνον.* Sic correxi locum Meinekio corruptiorem quam qui sanari possit visum. Denique propter Lydiam harmoniam in tragoedia usurpatam Cratinus in Horis increpat Cleomachum:

. . . . *Ἴτω δὲ καὶ τραγῳδίας*
ὁ Κλεόμαχος διδάσκαλος, παρατιλτριῶν
ἔχων χορὸν Λυδιστὶ τιλλουσῶν μέλη
πονηρά. κτλ.

Cf. Boeckh. de Metr. Pind. p. 240. Neque comici poetae fuerunt, qui soli harmoniarum, quae paulatim invaluerat, incuriam flagellis suis caederent, sed ipse Pratinas dithyramborum poeta nobilissimus absque Plut. de Mus. c. XXXI iis additus: *ὅσοι τῶν λυρικῶν ἄνδρες ἐγένοντο ποιηταὶ κρουμάτων ἀγαθοί,* non uno loco musicam ab impendente labe defendere studuit. Itaque in nobilissimo illo hyporchemate ap. Athenaeum p. 614 B. v. 18 Dionysum imprecatur:

θριαμβοδιθύραμβε
κισσοχαῖτ' ἄναξ, ἄκουε τὰν ἐμὰν Δ ώ ρ ι ο ν χ ο ρ ε ί α ν.

Idem ap. Athen. XIV, p. 633 A.:

Λάκων ὁ τέττιξ εὔτυχος ἐς χορόν.

et ap. Athen. XIV, p. 624 F.:

Μήτε σύντονον δίωκε, μήτε τὰν ἀνειμέναν Ἰαστὶ Μοῦσαν
ἀλλὰ τὰν μέσαν νεῶν ἄρουραν αἰόλιζε τῷ μέλει

* * *

[130]) De panharmonio cfr. C. Schneiderus ad Plut. Civit. Tom. I. p. 259 sqq. p. 279 B.

. . . . πρέπει τοι πᾶσιν ἀοιδὰ
Λαβράκταις Αἰολὶς ἁρμονία.

Mox autem ad harmoniarum perturbationem diversissimae accesserunt clangorum vocumque turbae magnaque turbulentarum quisquiliarum caterva, quas comici plerumque μυρμηκιάς vel τερετίσματα vel νιγλάρους appellare consueverunt. Atque μυρμηκιάς optime Passowius in Lexico Tom. II, p. 208 interpretatur: „*ein musikalisches Ameisengekribbel und Gekrabbel für die Ohren der Zuhörer.*" Sic Pherecr. l. l. Timothei ἐκτραπέλους μυρμηκιάς carpit, quem ad locum Meinek. Com. Fr. Vol. II, 1. p. 331. „ᾄδειν μυρμηκιάς nihil aliud significat, quam cantillare aliquid, quod propter incredibilem sonorum varietatem et celeritatem formicarum ultro citroque discurrentium similitudinem referat." Νίγλαροι et τερετίσματα fere promiscue usurpantur pro chordarum aut tibiarum plusquam artificiosis modulis (cfr. Hesych. II, p. 682). Etenim, quam verbi νίγλαρος interpretationem R. Hanov. Exerc. Critt. p. 55 protulit: „νιγλάρους esse meras voces quibus certa quaedam significatio non subjecta sit, quale Aeschyli sit φλαττοθράτ" ea, quomodo locum tueri possit, non video. Hesych. enim explicat: νίγλαροι τερετίσματα· περίεργα κρούματα. Phot. Lex. p. 300. 1: νιγλαρεύων, τερετίζων· καὶ ὁ νίγλαρος κρουματικῆς διαλέκτου ὄνομα. Hesych. τερετίσματα — τὰ τῆς κιθάρας κρούματα. Cfr. Fr. Bellermannus l. l. p. 25 et Fr. Boissonnadius ad Zachariam Mitylenaeum p. 431. Tales igitur νιγλάρους carpit Eupolis in Demis fr. XXVII.

τοιαῦτα μέντοι νιγλαρεύων κρούματα.

Tales in Timothei operibus male habuerunt Pherecratem l. c., tales denique in Lampri Musici, quae est Bergkii Commentt. p. 396 conjectura certissima, Phrynichum in fr. incert. I.

[καὶ νιγ]λάρους θρηνεῖν ἐν οἷσι Λάμπρος ἐναπέθνησκεν,
ἄνθρωπος ὢν ὑδατοπότας, μινυρὸς ὑπερσοφιστής,
Μουσῶν σκελετός, ἀηδόνων ἠπίαλος, ὕμνος Ἅιδου.

quo de loco miror Lessingii longissimam disputationem Tom. V, p. 195 (Lips. 1840) a Meinekio plane non respectam esse. Hic enim sub verbo Λάρους comoediae latere titulum non insulse conjecerat. Namque etiam Pherecrates fabulam Λῆροι

inscriptam docuit (Meinek. hist. crit. p. 86). De citharae strepitu etiam Phrynichi ex Conno fr. I. ἐνεργμός explicat Etym. Magn. p. 340. 3. κροῦμα κιθαριστικόν. His adde Platonem Comicum ap. Phrynichum Bekkeri p. 63, 27. Στρόβιλος — Πλάτων καὶ μεταφορικῶς κέχρηται ἐπὶ ᾠδῆς κιθαρῳδικῆς πολὺν ἐχούσης τάραχον. cf. Meinek. hist. crit. p. 76. Contra tibiarum clangorem tangit Phrynichus [131]) ap. Schol. Ar. Pac. 344.

πολὺς δὲ συβαριασμὸς αὐλητῶν τότ' ἦν.

συβαριασμός explicant θόρυβος.

Deinde ad tibiarum strepitum Diphili jocus pertinet in Synoridis fragm. V.

Ἐχήνισας; ποιοῦσι τοῦτο πάντες οἱ
παρὰ Τιμοθέῳ.

nec non Anaxandr. in Hoplomach. fr. I.

Μαγάδιν λαλήσω μικρὸν ἅμα καὶ μέγαν.

De Magadide cfr. Boeckh. de Metr. Pind. p. 261. 6 Meinek. Vol. III, p. 179. Praeterea tragici nescio cujus de Phrygiis tibiis locum parodia mihi expressisse videtur Alexis Athenaei II, p. 54 F. Sic enim substituo graviora vilioribus:

τότε θειοφανὲς μητρῷον ἐμοὶ
μελέδημ', αὐλός,
Φρυγίας εὑρήματα Μούσας.

Cfr. Bellermann l. l. p. 40.

Denique ad hujusmodi insanos strepitus Meinekius Tom. II, 1 p. 391 non absone etiam Hermippum Ath. XIV, p. 636 D. refert:

Λεπάδας τε πετρῶν ἀποκόπτοντες κρεμβαλιάζουσιν.

atque conferri jubet Aristophanis Ran. 1305.

καί τοι τί δεῖ
λύρας ἐπὶ τοῦτον; ποῦ 'στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις
αὕτη κροτοῦσα; Δεῦρο Μοῦσ' Εὐριπίδου.

---

[131]) In Phrynich. fr. X ap. Priscian. Inst. Gr. XVIII, p. 195 Krehl. Φρύνιχος· ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν, μή μ' ἀτιμάσας γένῃ, malo Tragicum intellegere, cujus versum aperte imitatus est Sophocl. Antig. v. 560. ὦ φίλταθ' Αἵμων, ὥς σ' ἀτιμάζει πατήρ. Quamquam etiam Phr. Comicus Sophoclis meminit in Musis ap. Meinek. II, 1. p. 592. fr. I, cl. fr. II), atque in fragm. inc. Polluc. III, 45. Sophocl. Trach. v. 211 vocem μελλόνυμφος videtur risisse.

Κρέμβαλα etiam a Timotheo admissa esse, docet carminis in Dianam Ephesiam initium, quod supra correximus.

Ἄρτεμι, σοί μ' ἔλε φρὴν ἐφ' ἵμερον ὕμνον ἀνυμνῆσαι θέοθεν
ἅμα δέ τις λάλα χρυσοφάεννα
κρέμβαλα χαλκοπαρᾷα χερσὶν (*ψαλλέτω* ?).

At vero mox non sufficiebat unius instrumentorum generis consonus tumultus, de quo intellego Antiphanis ex Tibicine fragmentum unicum sed (proh dolor!) corruptissimum; ap. Athen. XIV, p. 618 B.

Ποίαν, φράσον γάρ, ᾗδε τὴν συναυλίαν
ταύτην; ἐπίσταται γάρ, ἀλλ' ηὔλουν ἔτι
μαθόντες, ὥστε τοὺς αὐλοὺς σύ τε
αὐτὴ τελετῇ ψεθείθαμεν συντυγχάνεις
αὐλῶν πέραινε· δέξεται δὲ τἄλλα σοι.
ἡδύ τι κοινόν ἐστιν, οὐ χωρὶς πάλιν
συννεύματ' οὐ προβλήμαθ' οἷς σημαίνεται
ἕκαστα.

cfr. Boeckhius dMP. p. 258 sed etiam cum citharis miscebant tibias, quamquam hoc inventum non ita aspernati esse comici videntur. Certe Ephippus Athen. XIV, p. 617.

. . . κοινωνεῖ γάρ, ὦ μειράκιον, ἡ
ἐν τοῖσιν αὐλοῖς μουσικὴ κἀν τῇ λύρᾳ
τοῖς ἡμετέροισι παιγνίοις· ὅταν γὰρ εὖ
συναρμόσῃ τις τοῖς συνοῦσι τὸν τρόπον
τόθ' ἡ μεγίστη τέρψις ἐξευρίσκεται.

Ceterum praeter artis depravationes, contra Musicos etiam ipsos, poetas comicos strinxisse calamum per se patet. Itaque Pherecr. in Feris fr. IV.

Α. Φέρ' ἴδω, κιθαρῳδὸς τίς κάκιςος ἐγένετο;
Β. Ὁ Πεισίου Μέλης. Α. μετὰ Μέλητα δ' ἦν —
Β. ἔχ' ἀτρέμας· ἐγᾦδα· Χαῖρις.

quem ad locum Schol. *ἦν δὲ ὁ Χαῖρις οὗτος κιθαρῳδός· καὶ γέγονεν αὐλητής· ἔστι καὶ ἕτερος αὐλητής, οὗ μνημονεύει Κρατῖνος ἐν Νεμέσει.*

Execestidis, quem paulo ante Avv. 765 propter servilem conditionem tetigit Aristophanes, etiam artis caussa alibi meminisse testis est Schol. Arist. Avv. 11 his verbis:

Ἐξηκεστίδης ἔχων λύραν
Ἔργον Εὐδόξου τιταίνει ψίθυρον εὐήθη νόμον.

Polymnesti Colophonii citharoedi mentio praeter multos alios locos exstat ap. Cratin. fr. incert. CXLII ap. Schol. Arist. Eq. 1284.

καὶ Πολυμνήστει' ἀείδει μουσικήν τε μανθάνει.

Boeckh. Fr. inc. Pind. 87. Th. Bergk. Comment. p. 230 sqq.

Eunidarum nomine, (qua de gente citharoedica et orchestica arte florentissima Meinek. Vol. II, 1 p. 56. cfri. jubet Meurs. Lectt. Att. V, 10. Vales. Harpocr. p. 34. Th. Bergk. Comment. p. 70. Bossler de Gent. Att. p. 50) Cratinus totam inscripsit fabulam. Denique si vera est Horstigii ad Quinct. Inst. Or. I, 10, 7 conjectura: „apud quem Pronomus (vulg. Prodamus) et musicam et literas docet." Pronomi quoque commemorationem faceret Eupolis in Capris cf. fr. X, XI. — De Pronomo cf. Boeckh. dMP. p. 260 et Bellerm. l. l. p. 41. Sed haec hactenus. Musicorum enim *κωμῳδουμένων* catalogum facile multo majorem e comicorum fragmentis componere possis. — Videtur autem haec quam descripsimus corruptela musices etiam arti cum saltandi, tum voce canendi valde obfuisse. Ac de orchestica testis est Plato ap. Athen. XIV, p. 628 D.

ὥς' εἴ τις ὠρχεῖτ' εὖ θέαμ' ἦν νῦν δὲ δρῶσιν οὐδέν,
ἀλλ' ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται.

et Metagenes ap. Phot. p. 591. 9.

τίς τρόπος ἵππων, ὡς δ' ὀρχοῦνται τὸν βαρβαρικὸν τρόπον ἵππων.

De furibunda saltationis specie etiam Pratinas queri videtur ap. Athen. XIV, 614 B.

τίς ὁ θόρυβος ὅδε, τί (sic Cod.) *τάδε τὰ χορεύματα;*
τίς ὕβρις ἔμολεν ἐπὶ
Διονυσιάδα πολυπατάγα θυμέλαν;
ἐμὸς ἐμὸς ὁ Βρόμιος,
ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν κτλ.

Pertinet huc etiam *τὸ κρεμβαλιάζειν*, de quo Hesych. *κογχύλια καὶ ὀστράκια συγκροτοῦντες ἐρισμόν* (leg. *ἐῤῥυθμόν*) *τινα ἦχον ἀποτελεῖν τοῖς ὀρχουμένοις.* cf. Meinek. hist. crit. p. 252. Th.

Bergk. Comment. p. 429. — De inscitia voce canendi Menandri ex Epiclero fabula exstat insignis locus ap. Stob. Flor. CXXI, 11.

ὥσπερ τῶν χορῶν
οὐ πάντες ᾄδουσ' ἀλλ' ἄφωνοι δύο τινὲς
ἢ τρεῖς παρεστήκασι πάντων ἔσχατοι
εἰς τὸν ἀριθμόν. κτλ.

quem ego de cycliis choris, quam de tragicis aut comicis intellegere malo (Meinekius hist. crit. p. 441).

Neque in communi hoc artium periculo poesis intacta servari potuit; sed, quam multa comicorum censurae probari non possent — ut vehementissimos eorum in tragicos poetas impetus mittam, — testimonio sunt frequentes eorum de carminibus dithyrambicis nomisque et querellae et joci. Atque a nomis ut ordiar, rodebant comici imprimis Argam pravorum nomorum poetam, quem Phanias Eresius Athen. XIV. p. 638 cum Telenico et ipso poetarum pessimo conjungit. Eundem irrisum lege ab Anaxandride in Protesil. fr. I.

Ἀργᾶν δ' ᾄδειν καὶ κιθαρίζειν —

et ap. Alexidem Athen. XIV, p. 638 C.

τί πρὸς τὸν Ἀργᾶν οὗτος; ἡμέρας δρόμῳ
κρείττων.

Sermo ibi est de Choronico, qui et ipse nomorum poeta videtur fuisse. Ex solo enim Alexide innotuit:

Χορόνικος ὁ ποιητὴς ὁδί
Τινῶν ποιητὴς ᾀσμάτων; Β. Σεμνῶν πάνυ. κτλ.

Horum poetarum νόμοι, de quibus alibi nihil omnino traditur, haud scio an νόμοι κύκλιοι fuerint, qui ap. Polluc. Onom. IV, 10 Pythiis opponuntur: „ὁ δὲ Σακάδα νόμος Πυθικός, οἱ δὲ Εὐΐου κύκλιοι. Cyclii vero nomi quales fuerint fortasse Plutarchus de Mus. c. IV explicabit: ὅτι δὲ οἱ κιθαρῳδικοὶ νόμοι οἱ πάλαι ἐξ ἐπῶν ξυνίσταντο Τιμόθεος ἐδήλωσε. τοὺς γοῦν πρώτους νόμους ἐν ἔπεσι διαμιγνύων διθυραμβικὴν λέξιν ᾖδεν, ὅπως μὴ εὐθὺς φανῇ παρανομῶν εἰς τὴν ἀρχαίαν μουσικήν. — Nec non frequentatum et nomicis et dithyrambicis poetis exordium ἀμφί μοι αὐτὸν ἄναχθ' parodiae lusu riserunt comici. Sic Cratinus a Suida I, pag. 144,

traditur Terpandri nomum, orthium risisse, cujus hoc initium fuit:

ἀμφί μοι αὐτὸν ἄναχθ' ἑκατήβολον ᾀδέτω ἁ φρήν.

cf. Meinek. Tom. II, 1 p. 60.

E dithyrambicis Telestes risus est a Theopompo Athenaei XI, p. 501 F.

Λαβοῦσα πλήρη χρυσέαν μεσομφάλην
Φιάλην Τελέςης δ' ἄκατον ὠνόμαζέ νιν.

Philoxenum risit Theognetus ap. Athen. III, p. 104 versum ex Cyclope

οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν

parodia sic exprimens:

οἵῳ μ' ὁ δαίμων φιλοσόφῳ συνῴκισεν.

Eundem Macho et Sopater in scenam induxerunt et Aristophanes permultis locis. Eundem Antiphanes, quamvis multa laude extollat in Tritagonista fabula, suppares dithyramborum scriptores multa acerbitate vituperans:

πολύγ' ἐστὶ πάντων τῶν ποιητῶν διάφορος
ὁ Φιλόξενος. πρώτιςα μὲν γὰρ ὀνόμασιν
ἰδίοισι καὶ καινοῖσι χρῆται πανταχοῦ
ἔπειτα τὰ μέλη μεταβολαῖς καὶ χρώμασιν
ὡς εὖ μέμικται, θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν
ἐκεῖνος εἰδὼς τὴν ἀληθῶς μουσικήν.
οἱ νῦν δὲ κισσόπλεκτα καὶ κρηναῖα καὶ
ἀνθεσιπότατα μέλεα μελέοις ὀνόμασιν
ποιοῦσιν ἐμπλέκοντες ἀλλότρια μέλη.

nihilo tamen secius ipse ridet in Traumatia

παραδιδοῦ δ' ἑξῆς ἐμοὶ
τὸν ἀρκεσίγυιον ὡς ἔφασκ' Εὐριπίδης.
B. Ευριπίδης γὰρ τοῦτ ἔφασκεν, οὐ μὰ Δί'· A. ἀλλὰ τίς;
B. Φιλόξενος δήπουθεν.

et in Parasito

— — κάκκαβον λέγω·
σὺ δ' ἴσως ἂν εἴποις λοπάδ'.

Timotheum tangunt et Antiphanes in Caeneo

εἶθ' ἡ θῆλυς φιάλαν Ἄρεος
κατὰ Τιμόθεον, ξυςόν τε βέλος.

et Anaxandrides in Aeschra

— — — *ἐν πυρικτίτοισι γὰς*

Τιμόθεος ἔφη πότ', ἄνδρες, τὴν χύτραν, οἶμαι, λέγων.

Cfr. de his et subtilioribus etiam lyricorum poetarum ineptiis, a Comicis derisis Meinekium de mediae comoediae indole disputantem, in histor. crit. p. 285 sqq., ubi (p. 278) simul illud prae ceteris putat commemorandum „quod ea fere argumenta singulari cum studio ejus aetatis poetae sibi tractanda sumpserint, quae aliorum poetarum maximeque tragicorum carmina quodam quasi parodiae lusu traducerent, et fabulas ab antiquis poetis traditas ad lusum jocumque detorquerent." Cfr. praeterea, quae p. 279 de Hermippo dicit.

Ex harmoniis dithyrambis Phrygia aptissima habebatur, nomis Lydia. Procl. Chrestom. p. 419 sq. (Lips. 1832). *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταῖς ἁρμονίαις οἰκείοις ἑκάτερος χρῆται. ὁ μὲν γὰρ τὸν Φρύγιον καὶ ὑποφρύγιον ἁρμόζεται· ὁ νόμος δὲ τῷ συστήματι τῷ τῶν κιθαρῳδῶν Λυδίῳ.* Aristoteles Polit. VIII, 7, 12 (p. 1342). *οἷον ὁ διθύραμβος ὁμολουγουμένως εἶναι δοκεῖ Φρύγιον.* Cfr. Boeckhius ad Platon. Min. p. 26 et dMP. p. 239. Itaque Phrygiam harmoniam prae ceteris laudat Telestes ap. Athen. XIV, p. 617 B, XIV, p. 626 A. Admittebatur tamen etiam Doria [132]) harmonia; quae tamen dithyrambis tam parum erat apta, ut Philoxenus quum *δωριστὶ* componere dithyrambum vellet, invitus in Phrygium modum abriperetur. Aristot. l. l. Attamen Simonidem scimus dithyrambis Doriam harmoniam accommodasse. Varios modos carminibus suis poetas adhibuisse dithyrambicos per se patet ex his quae supra de *μεταβολῇ ἁρμονίας* disputavimus; sed diserte testatur idem Dionys. Halic. de Comp. Verbb. p. 131 Reisk. (p. 262 Schaef.). *οἱ δέ γε διθυραμβοποιοὶ καὶ τοὺς τρόπους μετέβαλλον Δωρίους τε καὶ Φρυγίους καὶ Λυδίους ἐν τῷ [αὐτῷ] ᾄσματι ποιοῦντες, καὶ τὰς μελωδίας ἐξήλλαττον, τότε μὲν ἐναρμονίους ποιοῦντες, τότε δέ χρωματικοὺς, τότε δὲ διατόνους. καὶ τοῖς ῥυθμοῖς κατὰ πολλὴν ἄδειαν ἐνεξουσιάζοντες διετέλουν. οἵ γε δὴ κατὰ Φιλό-*

---

[132]) **Falso Passow in Lexic. Tom. I. p. 542 „*immer in phrygischer Weise.*"**

ξενον καὶ Τιμόθεον καὶ Τελέστην· ἐπεὶ παρά γε τοῖς ἀρχαίοις τεταγμένος ἦν ὁ διθύραμβος. — Dithyrambicus μελοποιΐας τρόπος fuit μεσοειδής. Aristid. Quinct. de Music. p. 30 Meibom. τρόποι δὲ μελοποιΐας γένει μὲν τρεῖς· διθυραμβικός, νομικός, τραγικός· ὁ μὲν οὖν νομικὸς τρόπος ἐστὶ νητοειδής, ὁ δὲ διθυραμβικὸς μεσοειδής, ὁ δὲ τραγικὸς ὑπατοειδής. Boeckh. de Metr. p. 109.

Nec de melopoeia omitti debet Aristoxeni locus ap. Anonym. Biogr. Sophocl. Φησὶ δὲ Ἀριστόξενος, ὡς πρῶτος τῶν Ἀθήνηθεν ποιητῶν τὴν Φρυγίαν μελοποιΐαν εἰς τὰ ἴδια ᾄσματα παρέλαβε, καὶ τῷ διθυραμβικῷ[133]) τρόπῳ κατέμιξε. —

[133]) Cfr. Od. Muellerus Eumenid. p. 92. —

SCRIPTORES EMENDATI VERBORUMQUE RARIORUM INDICULUS.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 4, 2. Bergk. *Αὐλητίδου* conjecit. — 54, 16. Idem *'Ορτυγίην.* — 97, 29. Adde Phot. Bibl. p. 532 Bekk. — 100, 10. Similis vox *ὑψιφάεννος* Philonis ap. Euseb. Praep. Ev. IX, 37. — 103, 31 pro mencor l. memor. — 137, 34 l. Theodoro. — 160, 22, 3. Respicit haec Lucian. Diall. Mer. T. IV, p. 454 Hcp. — 165, 15 l. Maeandrum. — 217, 31 l. animadvertisse. — 220, 2 l. nulli. — 225, 19 l. ademptam. — 229, 10. Testimoniis de cycliis choris adde: Lucian. de gymn. T. I, p. 750 Hnrcp. et Schol. Aesch. Tim. in Mem. Berol. Acad. scient. 1836. p. 288. — 231, 26 26 l. a Rob. — 249, 12. insere *εὐ* ante *Πιερίδες*, hoc ut metrum fiat [–́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏓]. — 270. De Pratinae loco hoc lege animi caussa Jac. Baileji append. ad Hermesian. (Lond. 1839. 8.) p. 104—26. — De Phrynnidis patre meis similia proferre Bergkium nunc video.
